PAVLI BENII
EVGVBINI
Philosophiæ & Sacræ Theologiæ Doctoris,
QVI QVATVOR, AC VIGINTI ANNOS
In Patauino Gymnasio professus est Eloquentiam e prima sede,
IN M. T. CICERONIS
Orationem pro lege Manilia Commentarij.

VT AVTEM CVM THEORIA ET PRÆCEPTIS coniungatur Praxis & vsus, sic explicatur nobilis hæc Oratio, vt vno eodemque tempore Eloquentiæ præcepta obseruentur, & Cicerone Authore ac Duce, cum vsu coniungantur.

HIS OMNIBVS, VT IN QVOLIBET Orationis genere præclara extent exempla,

SVBIICITVR ORATIO PRO ARCHIA POETA, pro M. Marcello, & in L. Pisonem; ac singularum artificium explanantur.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.
BORGHESIVM S. R. E. CARDINALEM
Amplissimum & Pauli V. Nepotem Optimum.








VENETIIS, Apud Io. Guerilium. M. DC XXV.

Facta à Superioribus Potestate: Cum Priuilegio.

Præſens Liber, cuius titulus eſt. In M. Tullij Orationem pro lege Manilia, ſeu de Pompeio Imperatore eligendo Commentarij. D. Pauli Benij Eugubini fuit lectus, & probatus pro typis pro me F. Io. Ludouicum Secchiarium Commiſs. Inquiſit. Venet.



ORATIONIS M. T. CICERONIS

Pro lege Manilia, seu de Cn. Pompeio Imperatore deligendo.



PRÆFATIO.



1 *TSI ea sunt Marci Tullij monumenta, vt admirabilem venustatem & eloquentiam referant omnia, nec inter eius Lucubrationes ulla sit in qua non elucoat incredibilis quadam dicendi vis & copia, verissimè tamen affirmari potest eius eloquentiam in Orationibus maximè elucere ac dominari. Quapropter quoties ferè aut in forum aut in Curiam ad dicendum venires, dici vix potest quantus ad eum audiendum concursus fieret, quantopere auditorum aures caperet quàm incredibili animos voluptate perfunderes. Verumtamen si quis ex me quærat, quæ tandem ex Tullianis Orationibus maximè omnium mihi probetur, illud equidem sine vlla dubitatione affirmauerim, Manilianam cæteris omnibus antecellere, atque adeò elegantiæ, leporis, vno verbo, eloquentiæ palmam referre. Vt propterea magnus hic dicendi Author & Eloquentiæ Parens in cæteris Orationibus cæteros Oratores, in hac se ipsum, longo interuallo superauerit.* Cur Maniliana Oratio ex omnibus deligat. Ratio. I.

Quæ cum ita sint, Auditores optimi, nemo, vt opinor, meum non probet consilium, cum me audiat Manilianam Orationem delegisse quam in hoc Florentissimo ingenuarum doctrinarum Gymnasio atque adeò præclarissimo ingeniorum ac gentium Theatro, explicarem. Verè enim Florentissimos lepôres & venustatis campos, siue
2 *purissimos eloquentiæ fontes, aperire, ac magna cum vtilitate parique iucunditate degustare liceat.*

Quanquam alijs quoque, iisque grauissimis, rationibus adducor vt nobilissimam hanc Orationem nobilissimis Auditoribus proponam, in qua ingenium excolant, atque animum illi suum oblectent. Ac primùm quidem illud statuo, Manilianam Orationem sic conflatam & constitutam esse, vt inde præcepta dicendi percommodè haurire liceat ac deriuare. Quapropter siue exordium spectemus, aut Narrationem, siue partes reliquas intueamur egregiè singularum partium præcepta & documenta ex ordine obseruare licebit ac declarare. Quod si Inuẽtione rursus, Dispositione, & Elocutione continetur Oratio, Inuentionis quoque, Dispositionis, & Elocutionis artificium sigillatim agnoscemus. Denique ea omnia, quæ vel ad rationes, II.

 vel

vel ad affectus, vel ad mores, pertinent; aut rursus sententiarum aut verborum fi-
guras continent, &, vt summatim dicam, cum Arte ac ratione dicendi coniuncta
III. *sunt, explicabimus. Huc accedit quòd præcepta dicendi cum vsu licebit coniungere,*
siue vno eodémque tempore præceptorum vsum ex Cicerone perdiscere. Et sanè præ-
clarum est nosse dicendi præcepta: præclarius eorum vsum obseruare ac percipere:
sed præcepta ipsa & documenta cum vsu coniungere, idque M. Tullio, hoc ex Elo-
IV. *quentiæ parente, Magistro ac Duce, hoc verò longè præclarissimum videri debet.*
Quanquam neque his finibus Maniliana vtilitas continetur. Siquidem Romanæ
antiquitatis sparsa est monumentis: ita vt ad Romanam historiam hoc est omnium
& nobilissimam & iucundissimam, cognoscendam plurimum valeat. Vt enim Popu-
lus R. quadraginta ferè integros annos decertauit cum Mithridate, ac terra mari- 3
que prælia commisit ingentia; denique non de Vrbe aliqua seu Prouincia, sed de
Asia & Europa atque adeò de terrarum orbis Imperio veriùs quàm cum Annibale
& Carthaginiensibus, contendit & dimicauit, dici vix potest quantopere nostra
hæc Oratio cum Romana historia coniuncta sit, præsertim verò quia interim M. Tul
lius ad res a Maioribus gestas nos reuocat passim: atque egregia ex antiquitate de-
promit exempla, quibus sententiam confirmet suam. Ita quidem eodem tempore vi-
tæ quoque præcepta ex eadem sumi poterunt ac deriuari. Nam historiam esse vitæ
V. *Magistram ac publicè priuatimque mortalibus varias afferre vtilitates, nihil est*
quod dubitemus. Atque his sanè vtilitatibus, etsi eximijs, præclarissimarum tra-
VI. *ctatione virtutum accessio fit maxima, dum enim siue Populum R. siue Licinium Lu*
cullum, inprimis verò Cn. Pompeium, ornat ac celebrat, dici vix potest quàm admi-
rabile virtutum ferè omnium specimen præbeat: aut quàm vehementer ad illarum
amorem auditores incendat. Denique noster Cicero in hac Oratione (id quo maxi-
VII. *mè adducor vt eam tali tantoque Consessui edisseram) optimum Ducem ac summum*
Imperatorem format ac fingit. Sed quid dico fingit? imo verò pigmentis omnibus ac
luminibus exprimit: ac veluti tabulam bonè pictam, & in optimo lumine colloca-
tam, nobis ante oculos ponit, vt bene beatéque viuendi extet exemplum.

Quinque proponuntur quas humanæ vitæ Ideas effinxit Cicero.

Et sanè is fuit M. Tullius qui quemadmodum in hoc vitæ curriculo varias su-
stinuit personas, ac varia administrauit munera, ita varias vitæ huius formas at-
que Ideas expressit, quas mortalibus magno cum bono sectari liceret & intueri. Pri-
uatam egit vitam prius, (priuatam appello, non solitariam, sed Ciuilem: in qua ta-
men publicum munus attingitur nullum) atque ita egit vt apud suos Ciues viri
I. *probi ac moderati laudem sit assecutus. Tres igitur libros scripsit de officijs, in qui-*
bus probi ac moderati viri Ideam extulit, ac formam: quicum & perfectæ amicitiæ
& præclaræ senectutis formas ac species, & egregijs tum de Amicitia, tum de Sene-
ctute lucubrationibus editis, coniunxit & copulauit. Ita fit vt siue tecum agas, siue
cum alijs contrahas, harum ope vigiliarum siue Idearum commodiùs valeas castè

Quæcum aliæ duæ numerantur.

II. *integréque vitam traducere. Cum verò moderati viri ac probi, de quo dicebam, ex-*
pressisset Ideam, post paulò in forum descendit & in Iudicijs causas egit. Quod sa-
nè munus tam disertè & copiosè ac tanta cum integritatis ac prudentiæ significa-
tione peregit, vt apud omnes citra controuersiam Oratoris optimi laudem meritus
sit. Itaque cum alia multa de Arte dicendi præcepta nobis reliquit ac monumen-
ta, tum maximè aureos de Oratore libros in quibus perfectam atque omnibus ab-
III. *solutam numeris Ideam Oratoris ostendit. E foro ac Iudicijs ad Præturam euebi-*
tur, atque omnibus centurijs & suffragijs Prætor Vrbanus renunciatur; eum ecce
tibi de Prætoris officio in Iure dicundo atque Vrbe vel Prouincia administranda

disser-

differuit: disputationem interim Q. Fratri, quoniam in Asia Praturam item admi nistrabat, transmittens atque aptans egregiè. Consul inde creatur, cum sex libros edit de Republica, in quibus Reipublicæ Principem & Consulem instituit. Cum IV.
enim munus summa vigilantia obiuisset, & caput ipsum pro Patria extremo discri mini obiecisset, Catilinæ coniurationem comprimens vnde Pater Patriæ est appellatus, quidni hanc quoque Ideam Senatoribus & Consularibus exponeret ad quam vitam conformarent? Et quanquam hi libri temporis iniuria interierint penè fun-
5 *ditus, præclara tamen multorum testificatione didicimus eloquentia fuisse plenos, prudentia, doctrina, sapientia. Id quod ex Scipionis Somnio, quod vnum retinemus, (pertinet hoc ad sextum librum) intelligere licet, in quo admirabiles & eloquentiæ, & ingenij, & doctrinæ veluti opes intuemur. Sed & Proconsul fuit in Ci-* V.
licia, & Prouinciæ præfuit cum exercitu noster Cicero; quin Parthos deuicit, ad triumphum etiam aspirauit, quem facilè assecutus esset, nisi Vrbem offendisset Ciuilibus discordijs iactatam & ad bellum inclinantem. Ergo summum Ducem atque optimum Imperatorem sibi (vt dicere cœperam) effingendũ atque omnibus planè virtutibus ornandum existimauit, quem in hac Oratione licebit nobis intueri, admirari, & ad miraculum propè suspicere.

Hac igitur de causa (vt ad rem redeam) vel potiùs his omnibus de causis hãc Orationem vel maximè delegi, quam vobis, præclarissimi Auditores, explanarem cum præsertim vno eodémque tempore tum ad eloquentiam (vt docui) tum ad historiam, Manilianæ argumentum
ac publica priuatáque vitæ commoda & vtilitates, monumẽtum habeat maximũ.

6 *Sed iam ad Manilianam accedo propiùs, cuius argumentum lubet paucis complecti, vt ipsius Orationis Inscriptionem declarare priùs, tum œconomiam & artificium cognoscere atque adeò Disputationem vniuersam intelligenter peragrare, liceat. Ergo septimus supra tricesimum agebatur annus ex quo Populus R. cum Mithridate Ponti Rege periculosum gerebat bellum. Hoc per Aquilium Legatum & Cassium insuper atque Oppium administratum est priùs. Qui sanè re malè gesta discesserunt: quin Aquilius ignominiosa quoque morte affectus est ac truci. Hac igitur elatus victoria Mithridates, in Asiam primùm, tum in Græciam insultauit, ac magnam Græciæ atque Asiæ partem Regno subiecit suo. Quid multa? centum & quinquaginta Romanorum millia vno penè die Asiâ totâ (clam enim cum Dynastis conspirauerat) miserandum in modum trucidauit. Igitur Populus Romanus, & si sociali bello adhuc complicatus esset, Marij quoque & Cinnæ armis infestaretur, quibus interim Sylla fortiter resistebat, Asiatica tamen clade & calamitate permotus, Syllam contra Mithridatem misit. Sylla igitur cum exercitu in Græciam transmisit, Athenas post longam obsidionem ac tandem Græciam vniuersam, &, quam Populus R. amiserat, Asiæ partem, recepit, magnis cladibus Mithridate affecto. Cum verò niteretur bellum planè absoluere ac Mithridatem ipsum captiuum, si fieri posset, ducere in Triumphum, ecce tibi a Populo R. quoniam Marij ac Cinnæ crudelitate Romana nobilitas miserè vexabatur ac trucidabatur, reuocatur ad Vrbem. Pacem igitur, honorificam illam quidem, sed minùs tutam & opportunam, constituit cum Mithridate, ac Murena cum duabus legionibus Legato in Asia reli-*
7 *cto, ad Vrbem redit, ac de Mithridate triumphum agit. Murena igitur his auditis, triumphi cupiditate æstuare cœpit. Itaque belli captat occasionem, inuaditque Mithridatem. Et quamuis a Populo R. prohibitus est, ex ijs tantùm quæ gessit, ad Vrbem rediens triumphum est consecutus. Sed cum Mithridates bellum non multò post renouasset, L. Licinius Lucullus aduersus Mithridatem est missus.*

Ita factum est vt Luculli exercitus, post multas victorias quibus Mithridatis potentiam terra marique mirificè fregit ac debilitauit, tandem, vt res humanæ sunt aleæ plenissimæ, & inconstantiæ, a Mithridate tali ac tanta clade affectus sit, vix vt nuncius superesset qui eam absenti Lucullo referret. Ita quidem cum Mithridates in Asiam aduersus Romanos ac Romanorum fœderatos insultaret, iámque Ariobarzanis (erat hic Populi Romani amicus ac fœderatus) Regnum occupasset, Bythiniam quoque vastasset, & varias Asiæ prouincias multis damnis & incommodis affecisset, Romæ trepidatum est. Ergo C. Manilius Tribunus Plebis legem proposuit de Pompeio aduersus Mithridatem Imperatore; ac maiore etiam quàm quisquam antea cum authoritate & imperio, deligendo. Qua lege proposita, non defuerunt ex Senatoribus qui ægrè illam ferrent: verebantur enim ne Pompeius tali ac tanta auctus potentia, Rempublicam occuparet. Id quod inprimis pertimescebat Q. Catulus & Q. Hortensius: reputabant enim Syllæ partès secutum esse; ac proinde verebantur ne in eius pectore multi laterent Syllæ. Repugnabant igitur, atque eo nomine (neque enim animi sensum omnino aperire audebant) quòd Pompeius maximis Reipublicæ periculis esset reseruandus, ne si interim aliquid ei in Asia humanitus accidisset, Respublica veluti inermis iacèret. Verùm enimuerò M. Tullius qui Cn. Pompeio mirificè fauebat, & in præsens de ipso Pompeio (vt eius animi moderationem facilè perspectam habebat) sperabat meliora; forsitan etiam vt Cæsari gratificaretur qui Pompeij adhuc erat studiosus, inprimis verò quia planè existimabat vnum Pompeium tanto periculo ac bello parem esse, omnino sibi faciendum putauit vt Manilij legem suaderet: quam etiam hac Oratione mirificè persuasit: ita vt continuò Pompeius a Populo R. Imperator aduersus Mithridatem ac summa cum potestate renunciatus sit.

Cur inscribatur pro lege Manilia: cur de Pompeio Imperatore deligẽdo: Cur ad Populum dicatur, vbi & quo tempore dicta sit.

Atque hinc animaduertere licet cur pro lege Manilia aut de Pompeio Imperatore deligendo inscribatur. Etenim siue M. Tullius siue alter quispiam hunc planè Manilianæ præfixerit titulum, certum est legis nomine id quod Manilius rogaret, appellari à M. Tullio: certum est etiam in ea de Pompeio Imperatore deligendo verba fieri; ita vt huc oratio referatur vniuersa. Nam cur ad Populum habita fuisse dicatur, inde constare potest, quòd huius erat nouas leges approbare vel reijcere: quin per tribunos rogare etiam ac ferre. Et ideò iure obseruant aliqui Plebiscitum fuisse: licet M. Tullius communis legis vtitur nomine. Atque hinc est vt omnino existimem hanc orationem non in Curia aut in ea fori parte habitam esse, vbi vel Senatus cogeretur, vel iudicia exercerentur; sed pro rostris dictam vnde ad Populum habebatur oratio. Ac fortè sub dio habita est: certè cum populo, ac proinde è Rostris diceret Roscius; contra verò populus illi obstreperet, superuolantem coruum cecidisse, Plutarchus in Pompeio testatus est. Quanquam de hac re opportuniùs infra. Iam verò quid si quis de tempore atque anno ipso sciscitetur quo habita sit hæc oratio? Ego verò omnino crediderim anno ab Vrbe condita sexcentesimo octogesimo octauo esse habitam. Siquidem Acilius Glabrio qui Lucullo in Prouincia suffectus erat, Consul fuerat anno sexcentesimo octogesimoseptimo: in sequenti verò quo dicta est Oratio, in Prouinciam venerat. Dionis quoque fragmenta Manilianam legem anno sexcentesimo octogesimo octauo latam referunt. Denique Vrbanus Prætor erat Cicero cum hanc suaderet legem: præturam verò, teste Pediano, administrauit Lepido, & Volcatio Consulibus, quos sanè Consulatum hoc item anno gessisse ex fastis satis constat?

Sed & alia multa ex dictis cognoscere liceat quæ ad huius pertinent Orationis

arti-

artificium. Nimirũ in quo genere hæc versetur Oratio: quæ sint eius partes, quis sit
ei propositus finis: quod spectet tempus: adde etiam, si placet, ad quam affectionem
sint in primis mouendi Auditores vt in Sententiam traducantur.

Ergo sine dubio in Deliberatiuo versatur genere, cum Manilianam legem popu-
pulo suadendam susceperit M. Tullius. Et quanquam longè ac latè in Pompeij lau-
datione versatur, multis etiam celebrat Lucullum; haud tamen est ad Delibera-
tiuum genus reuocanda, quandoquidem laudatio non propter se, sed suasionis cau-
9 *sa, instituitur, quemadmodum in proœmio extremo docebimus. Atque hac de causa*
ne mixti quidem generis dicenda est. Etsi enim non grauatè concedimus posse in
Oratione misceri genera, ita vt Orator interdum partim laudet vel vituperet, par-
tim accuset vel defendat, partim suadeat vel dissuadeat, ac tria hæc præcipuè sibi
proposuerit peragenda (eodémque modo vnum atque alterum tantùm sibi proponere
potest;) in præsens tamen, quoniam laudatio alterius gratia instituitur vt dicebã,
nimirum suasionis, vnico deliberationis genere continetur. Alioquin verendum
erit ne, si laudationes quæ suasionis aut defensionis causa instituuntur, causa mu-
tant genus aut miscent, omnes ferè Ciceronis Orationes sint huiusmodi: quando-
doquidem dum suadet, facillimè in eius quam suadet rei, laudationem effundit se-
se: eodémque modo dum defendit, vt id præstet commodiùs, ad laudationem descen-
dit. Denique ea de causa affirmauit Aristoteles genus Deliberatiuum, quod alio-
quin minimè omnium cum Oratoris coniungit munere (Cicero etiam aliquãdo spre-
tum ait Curia, & pulsum foro, ita vt Demonstratiuum genus Sophistis tribuat) pa-
tere quam latissimè, & Deliberatiuo Iudicialique seruire, quod siue suadeas aut
dissuadeas, siue accuses aut defendeas, ad laudationem confugias. Quod tamen
cum interim alterius gratia assumatur laus, perperam constituere diceretur aut mi-
scere orationis genus: Denique non me latet interdum splendidam Orationis faciem
vnum genus referre, cum tamen alterum clam in ea delitescat; id quod in Marcel-
10 *liana intueri licet si æstimetur diligenter. Nam tum Cæsaris laudatio, tum gratiæ*
quæ Senatus ac Marcellorum nomine Cæsari aguntur, sese offerunt vnde ad Demon-
stratiuum genus reuocetur Oratio. Et tamen Cicero clam molitur, vt Cæsar, si soli-
dam gloriam ac nominis immortalitatem expetat, Rempublicam in pristinam liber-
tatem restituat quod continet suasionem & ad Deliberatiuum pertinet genus. Sed
tamen in Maniliana Cicero nil clam molitur; nisi fortè vt Pompeio addo etiam Cæ-
sari (Pompeio enim fauebat adhuc) gratificetur. quod tamen non prohiberet quomi-
nus Oratio in deliberatione versaretur tota. Idẽ dixerim si quis recolat causas quin-
que partito distribui a M. Tullio, qui in libro primo de Inuentione, Genera causa-
rum (*inquit*) sunt quinque; honestum, admirabile, humile, anceps, obscurũ: *hæc*
enim diuisio petitur non tam ex fine & partibus vel potiùs ex causarum vi & natu-
ra vnde intimè distinguuntur & variantur, quàm ex specie quadam atque imagi-
ne siue (vt me planiùs explicẽ) ex qualitate quæ extrinsecus illis accedere solet: quo
nomine aliqui sextum quoque proferunt genus, nimirum turpe; quasi verò humili
non commodè contineatur & exprimatur. Quo sanè fit vt si ex quinquepartita hac
generis forma & ratione præsens æstimetur oratio, non sanè obscurum aut humile
sit eius genus, multo minùs turpe, sed honestum censendum sit: nam hoc in primis rei
de qua deliberandũ est, grauitas præstãtiáque suadet: hoc profitetur, & M. Tullius,
qui clamat Romani Imperij dignitatem agi ac salutem; hoc splendida orationis ip-
sius præsefert facies, in qua Manilianæ legi mira tribuitur honestas ac dignitas. Et
eâdem de causa admirabile dici potest; non quod peregrinum & inauditum cõtineat
argumen-

De Genere in quo versatur.

argumentum & preter opinionem hominũ accidat,& ab omni illorum expectatione alienum,sed quia Cn. Pompeij virtus supra quã credi posset admirabilis effingitur. Ex quibus omnibus satis item constat nihil prohibere quominùs in Deliberatiuo planè genere versetur oratio.

De partibus.

Atque hinc licet explicare secundum, in quo quęrebatur quę sint huius Orationis partes: cum enim Demonstratiuo laudationem & uituperationem: Iudiciali accusationem & defensionẽ: Deliberatiuo suasionem & dissuasionem, tribuamus, haud dubiè Manilianę Orationis, quam in Deliberatiuo genere versari ostendimus, partes erunt suasio & dissuasio. Id quod ex eo etiam intelligere licet, quòd in ea suadetur vnum Pompeium, alium praeterea neminem, Imperatotem esse deligendum. Neque verò haec eo consilio affirmauerim, quòd omnino existimem generibus seu Orationibus singulis vno eodémque tempore binas huiuscemodi partes contineri, ac propterea Manilianam una eodémque tempore suasionem habere ac dissuasionem: Nam fateor quidem ita rem aliquam in hoc genere suaderi, vt tacitè saltem aut potestate
dissuadeatur altera aut è contrario. Aliò tamen spectasse illos iudicauerim qui gene- 11
ribus singulis binas constituerunt partes: nimirum Deliberatiuo vel certè Deliberatiui generis Orationi vnam aut alteram partem necessariò conuenire, ac propterea siue quis suadeat siue dissuadeat, in Deliberatiuo versari. Id quod in Iudiciali quoque & Demonstratiuo cernitur; nam accusatio & defensio non ideo Iudiciali generi tribuuntur quòd qualibet huiusce generis Oratio & accusationem ac defensionem habeat, sed quia dum unus accusat, alter defendit, peraequè accusatio ac defensio ad iudiciale reuocatur. Atque idem (ne longum faciam) de laudatione ac vituperatione dicendum est.

De fine.

Finis uerò erit utilitas. Nam si Aristoteli credimus Demonstratiuo generi honestas ac turpitudo spectanda est: Iudiciali iustitia & iniustitia: Deliberatiuo vtilitas & detrimentum. ita quidem qui laudat, honestatẽ, qui uituperat, turpitudinem, spectat, qui uerò accusat iniustitiam, qui defendit iustitiam & aequitatem: demum qui suadet utilitatem, qui dissuadet detrimentũ. Et quãuis honestas in Deliberatiuo genere spernenda non est, quin, si cum utilitate coniũcta sit, plurimum confert ad suasionem, ęgrè tamen aut nunquã quicquã suadeas quod careat utilitate, praesertim apud populũ qui honestatis aculeos uix sentit, atque utilitate uel maximè ducitur. Tametsi illud etiam curabit bonus Orator, ut quãuis utilitatem proponat populo dum suadeat aliquid haud tamen praeseferat eum utilitati longiùs tribuere quã honestati. Certè M. Tullius etsi ex uectigalibus & publicis priuatisque detrimentis ducit argumenta quibus Auditores ad bellum suscipiendum adducat, interim tamen significat populum R. fuisse semper appetentem gloriae: pro
gloria & dignitate grauissima bella suscepisse: proindeque nunc non sine dedecore 12
acceptas a Mithridate iniurias dissimulare posse; ita ut utramque & honestatis & vtilitatis ueluti facẽ populi R. animis admoueat ut eos ad bellũ suscipiendũ incẽdat.

De tempore.

De quarto autem, hoc est de tempore, nihil est quod dubitemus. dũ enim Eloquentiae Doctores Iudiciali praeteritum tempus attribuunt, Demonstratiuo praesens, futurum Deliberatiuo, satis constat Manilianã de re futura disceptare, ac propterea futurũ tempus spectare. Denique dubitari quidem põt num iure pręteritũ iudiciali, pręsens Demonstratiuo, tribuatur. Cũ enim mortui laudentur, quidni Demonstratiuo pręteritũ concedatur? aut cur in accusatione potiùs & defensione, quã in laudatione & vituperatione, res anteactę, uel contra in laudatione & uituperatione res pręsentes, spectentur?) in Deliberatiuo certè dubitatio oritur nulla. Tametsi crediderim Iudiciali pręteritũ tribui, quòd reuera plerunq; res peractę uocentur in iudicium,

*diciũm, quisque per actas ac patratas aut saltem consilio iam susceptas esse constat.
Esse enim fieri potest vt aliqui accusentur sceleris in quo itẽ deprehendantur, vel in
quo iãdiu traducant vitam, id tamen rarò accidit si ij cũ cæteris conferantur qui
tam antea patrati accusantur sceleris. Qui verò laudatur, non iure laudetur nisi
tunc planè virtutibus clareat. nemo enim in eũ instituat laudationẽ, qui olim præ-*
13 *clarè gesserit ille quidẽ multa, sed tamen in præsens contrarijs factis, hoc est turpi-
bus fœdauerit vitã· aut ẽt virtutis contentionem planè remiserit ac studiũ: & ta-
men is qui ante acto tẽpore honestè vixerit, nunc tamen scelus aliquod admiserit ac
parricidio verbi gratia vel furto se se polluerit, accusabitur facilè. Quãquã nõ est
quod inficiemur vtrunque tẽpus in vtroq; genere spectari posse (populari tamẽ more
& modo: nam physicè tempus existit nullum) aut assumi percommodè: tam enim qui
accusat, quàm qui laudat res anteactas reuocat in memoriã: futuras etiã interdum
informat coniectura. Quin in Deliberatiuo quoque genere, cui sine controuersia fu-
turum tribuitur tẽpus, licet quoquomodo & præsens assumere & præteritũ Præsens
quia ægrè vnquam cõmodè sententiam dicas & consiliũ capias de re futura nisi præ-
sentes diligenter explores. Itaq; Mithridatis facta, vires & id genus alia Ciceroni
spectãda erant vt prudens consiliũ daret. Præteritũ quia res anteacta sunt futura-
rum imagines & exẽpla. Et hac de causa Aristoteles in primo libro Rhetoricorũ iubet
vt qui in deliberatiuo uersatur genere antiquitatis monumẽta exploret diligenter.*

*At quid de postremo? sanè auditorum animi huc illuc impellendi prout ceciderit
commodiùs: & ideò non vnã interdum sed varias affectiones excitare præstat. Sed
tamen in deliberatiuo spes maximè est excitanda si suadeamus: reformidatio ac ti-
mor si dissuadeamus. In Iudiciali sæuitia & clemẽtia, sæuitia si accusemus, Clemen*
14 *tia si defendamus. in demonstratiuo autem, quoniã nihil est deliberandum aut disce
ptandũ (nisi fortè de Oratoris facultate & eloquentia iudicium aliquod fiat) præstat
voluptatem in primis excitare & admirationẽ: si vituperemus indignationẽ & (vt
ita dixerim) stomachationem. Ita quidem Maniliana versatur in genere deliberati
uo: habet suasionem: proponit sibi vtilitatẽ: etsi non spernit honestatẽ, vnum futurũ
spectat tempus; deniq; mouet ad spem, quemadmodũ in progressu constabit luculẽter.*

D: affectione ad quam mouet maximè.

*Nunc his positis & constitutis ad Maniliana Exordium aggrediamur quod est
huiusmodi.*

PARTICVLA I.

EXORDIVM.



*Vanquã mihi semper frequẽs conspectus vester multò iucundissimus, hic
aũt locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus, est visus
Quirites: tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuiq; maximè pa-
tuit: non mea me voluntas, sed meæ vitæ rõnes ab ineunte ætate susceptæ, prohi-
buerunt. nã cum antea per ætatem nondum huius authoritatem loci contingere
auderẽ, statuerẽmq; nihil huc, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, af-
ferri oportere: omne meum tempus amicorum temporibus transmittendũ puta-
ui. ita neq; hic locus vacuus vnquã fuit ab ijs, qui vestram causam defenderent:
& meus labor in priuatorum periculis castè integrẽq; versatus, ex vestro iudicio
fructum est amplissimum consecutus. nã cum propter dilationẽ comitiorum ter
prætor primus centurijs cunctis renunciatus sum: facilè intellexi Quirites, &
quid de me iudicaretis, & quid alijs præscriberetis. Nũc cum & authoritatis in
me tantũ sit quantum uos honoribus mandandum esse uoluistis, & ad agendum
facultatis tantum, quantum homini uigilanti ex forensi usu propè quotidiana
dicendi exercitatio potuit afferre: certè & si quid ẽt dicendo consequi possum, ijs*

 osten-

*ostendam potissimùm, qui ei quoq; rei fructum suo iudicio tribuendũ esse censue-
runt. Atq; illud in primis mihi latãdum iure esse video; quòd in hac insolita mihi
ex hoc loco ratione dicendi, causa talis oblata est, in qua oratio nemini de esse po-
test. dicendum est enim de Cn. Pompeij singulari eximiáque virtute huius autem
orationis difficilius est exitu, nquàm principium inuenire. itaque mihi non tam
copia, quàm modus in dicendo quærendus est,*

EXpectet facilè quispiam vt principio Manilianam in suas partes distribuam. Ego
verò partitionem afferam nullam, nisi quæ huic Orationi cum cæteris est cõmu-
nis: ac propterea illam in Exordium, Narrationem, Confirmationem, Refutationem,
Epilogum distribuerim. Id quod cò accidat vtiliùs, quòd hinc licebit pro singulis hu-
iusmodi partibus præcepta in medium afferre ex Aristotele & M. Tullio: tum eadem
præcepta ac documenta ex ordine in ijsdem Manilianæ partibus agnoscere. Nã quod
M. Tullius deinde tripartito videtur orationem distribuere, ac priùs de genere belli,
tum de eiusdem belli magnitudine, ad extremùm de Imperatore deligendo dicẽdum 16
proponere, id verò non tam ad Orationem pertinet vniuersam quàm ad Confirma-
tionem, quemadmodum constabit suo loco. Sed iã ad Exordium redeo: quod sanè lu-
bet, Auditores, crasso filo priùs seu pingui Minerua pertexere, tum subtiliùs paulò &
explicatiùs. Vt enim pictores quod fingere moliuntur, adumbrant priùs, tum verò
coloribus illustrant, ita mihi adumbrandum erit priùs Manilianum Exordium, tum
suis veluti coloribus ac luminibus illustrandum. Ergo præsens Exordium est bipar-
titum: priùs enim docet cur factum sit vt ipse qui nunquam antea ornatissimum lo-
cum illum, hoc est Rostra attigerat, sed in foro & Iudicijs, vno verbo in priuatis cau-
sis versari consueuerat, nunc repentè, quasi mutato consilio, publicam causam attin-
gat, & è Rostris ad Populum verba faciat. Tum verò sensim indicat sibi eam causam
oblatam in qua de Cn. Pompeij virtute dicendum est.

Eiusdem summa.

Dum verò docet cur factum sit vt abstinuisset ab ornatissimo loco illo, hoc est a
Rostris, id susceptæ vitæ rationibus acceptum refert; quia scilicet cum antea nec per
ætatem ausus esset eum locum attingere; nec parem loco illi eloquentiam ac dicendi
facultatem posset afferre; omne suum tempus amicorum temporibus & causis trans-
mittendum putasset. Sed cur attingere audet hoc tempore? quia sibi accessisset, po-
puli tamen Romani beneficio; non parum authoritatis; (Aedilis enim antea, tunc
Prætor renunciatus fuerat) aliquid etiã ex assiduo dicendi studio collegisset eloquen- 17
tiæ ac facultatis. Atque hinc arrepta occasione suum consilium exponit de grato ani-
mo & memori voluntate in oblata sibi causa Populo R. ostendenda. Hæc est summa
Exordij vt crasso illam filo pertexam.

Nunc paulò subtiliùs, & accuratiùs explanetur, vt de admirabili illius artificio cõ-
stet; & germana Exordij præcepta colligantur. Illud igitur statuatur priùs Exordium
esse Orationem in qua ad reliquam dictionem Auditorum animi præparantur. Id
quod tribus efficias, nimirum si beneuolentiam, si attentionem, si docilitatem conci-
lies: vt scilicet amicè, attentè, intelligenter, audiaris. Ac beneuolentia quidem ducitur
maximè a nostris aut Auditorum studijs, officijs, meritis, virtutibus: dum tamen no-
stra citra iactantiam, Auditorum citra adulationem, commemorentur. Ac beneuo-
lentiæ quæ ex aliena persona ducitur, egregium se se nobis offert exemplum in ea Ora
tione quam habuit M. Tullius ad Pontifices pro domo sua, vbi sic orditur: *Cum multa* Io. 2.
diuinitus Pontifices a maioribus nostris inuenta atque instituta sunt: tum nihil præclarius quã quòd Or. 30.
*vos eosdem & religionibus Deorum immortalium & Summæ Reip. præesse voluerunt, vt amplissimi
& clarissimi ciues Rempublicam benè gerendo, Pontifices religiones sapienter interpretando, Rempu-
blicam conseruarent.* Hæc M. Tullius vt Pontificum authoritatem ac dignitatem com-
mendaret atque adeò sibi beneuolentiam conciliaret. At verò beneuolentiæ quã ex
propria ducit persona, splendidum extat exemplum in ea oratione quam habuit pro
C. Rabirio perduellionis reo dum sic orditur. *Etsi Quirites non est meæ consuetudinis ini-* Io. 1.
tio dicendi rationem reddere qua de causa quemque defendam: propterea quod cum omnibus ciuibus Or. 12.
*in eorum periculis semper satis iustam mihi causam necessitudinis esse duxi: tamen in hac defensione
capitis, famæ, fortunarúmque omnium C. Rabirij proponendi ratio videtur esse officij mei: propterea
quod quæ iustissima mihi causa ad hũc defendendum esse visa est, eadem vobis ad absoluendum debet
videri.*

Iam propositũ exordiũ explanatur accuratiùs.

Quid sit exordiũ, et eius vsus.

De beneuolentia; vnde concilietur & quo modo.

Exemplũ ex persona Auditorũ.

Ex propria persona.

videri. Nam mecum amicitiæ vetustas, tum dignitas hominis, tum ratio humanitatis, tum meæ vi-
tæ perpetua consuetudo ad C. Rabirium defendendum est adhortata. tum verò vt id studiosissimè
facerem. salus Reipublicæ, consulare officium, consulatus denique ipse mihi vnà vobiscum cum salu-
te Reipublicæ commendatus, coegit. His veluti incitamentis a propria persona ad beneuo-
lentiam comparat animos Auditorum. Id quod egregiè facit etiam in præsentia: *Iam qui cō*
nam vt ab aliena persona exigat beneuolentiam, appellat populi R. conspectum iucun *paretur be*
dissimum, locum in quo ille conueniret siue cum eo ageretur, amplissimum & orna- *neuolētia,*
tissimum; vt nimirum grauitatem ac dignitatem populi R. ostendat. Et huc etiā per- *Manilianæ*
tinet quod appellat Quirites, eorum a Romulo; quem inter Deos numerabant, or- *docetur exē*
tum indicans: huc quod eum locum appellat aditum laudis: huc quòd ait eundem *plo.*
locum optimo cuique semper patuisse (hinc enim commendat Populum R. quòd *A persona*
viros optimos complecteretur) huc quòd locum illum viris optimis & eloquentiæ *aliena.*
ornatis proprium esse fatetur: huc in primis quòd ipsius Populi R. erga se merita ac
beneficia commemorat: huc quòd indicat se a Populo R. sic ornatum esse vt reliquis
19 Ciuibus significarit atque præscripserit, castè integréque in foro versandum esse. His
inquam ab Auditorum persona beneuolentiam sibi conciliat M. Tullius. Quam eo- *Appropria.*
dem tempore a propria quoque persona mirificè aucupatur: idque dum pudorem il-
le suum, modestiam, & erga Populum R. venerationem, declarat, cum non esset au-
sus eum locum attingere ante maturam ætatem, vel priùs quàm aliquid eloquentiæ
ex assidua dicendi exercitatione collegisset, vel nisi postquam sibi authoritas accessis-
set ac dignitas quā deinde Populi R. beneficio adeptus erat. huc etiam pertinet quod
suam ille vigilantiam & studium amicis tuendis, exercitationem in rebus forensibus,
memorem animum erga populum R. ostendit: atque optimam de illo benemeren-
di voluntatem: quæ omnia sunt ad beneuolentiam conciliandam aptissima. Hæc in-
quam; ex propria persona M. Tullius vt beneuolentiam item sibi compatet. Ita vt hoc
exordium beneuolentiæ incitamentis sparsum sit totum.

Iam verò attentionem conciliamus cum res nouas, præclaras, admirabiles, vel etiā *De atten-*
vtiles, necessarias, optatas, dicendas proponimus: quæque in primis cum ipsorum Au *tione vnde*
ditorum salute ac dignitate coniunctæ sint. Huius rei exemplum, ne vagemur lon- *concilietur*
giùs; esse potest Exordium de quo paulò ante dicebam ad Pontifices: cum enim be- *& quomo-*
neuolentiam captaret, continuò attentionem vt pareret, pergebat. *Quod si nullo tempo-* *do.*
re magna causa in Sacerdotum Populi R. iudicio ac potestate versata est hæc profectò tanta est, vt *Exempla*
omnis Reipublicæ dignitas, omnium Ciuium salus, vita, libertas, aræ foci, Dij penates, bona fortunæ, *ex M. Tul*
domicilia, vestræ sapientiæ fidei potestatique commissa creditáque esse videantur. Sic M. Tullius. *lio.*
qui non multò aliter hoc in loco, in quo causam Populi R. sibi oblatam indicat, Ma- *Idem ex*
39 nilij legem significans: in qua sanè (id quod Auditoribus satis compertum esse pote- *Maniliana.*
rat) agebantur certissima populi Romani vectigalia, multorum & Ciuium Roma-
norum & amicorum, salus, libertas, dignitas, maiestas. Quanquam inde etiam atten-
tos reddit Auditores, quòd affirmat fore vt in ea causa exultare possit Oratio: cum de
Cn. Pompeij virtutibus esset dicendum: erat enim Pompeius populo R. charissimus.

Denique dociles redduntur Auditores, si ab initio significemus quid sit id de quo *De docili-*
est dicendum, & quale sit causæ genus, quæ vis & natura. iuuat etiam proponere, ac si *tate & qua*
opus sit, distribuere (breuiter tamen atque perspicuè) ea quæ nobis dicenda sunt. de- *ratione pa*
nique tum demum dociles efficimus Auditores, cum eorum & intelligentiam iuua- *retur.*
mus & memoriam: quod dilucida fit ac breui rerum dicendarum propositione. sic in
Oratione pro A. Cluentio. *Animaduerti Iudices, omnem Accusatoris Orationem in duas di-* *Exemplū*
uisam esse partes: quarum altera mihi niti & magnopere confidere videbatur, inuidia iam inuetera- *ex M. Tul*
ta iudicij Iuniani: altera tantummodo consuetudinis causa timidè & diffidenter attingere rationem *lio.*
veneficij criminum: qua de re lege est hæc quæstio constituta. Itaque mihi certum est hanc eandem di-
stributionem inuidiæ, & criminum. sic in defensione seruare, vt omnes intelligant, nihil me nec sub-
21 *terfugere voluisse reticendo, nec obscurare dicendo*. Sic in Cluentiana M. Tullius. Hîc verò do- *Idem ex*
ciles reddit Auditores perpaucis, cum enim de Pompeii virtute dicendum esse affir- *Maniliana.*
maret, satis intelligebant Manilianam legem in qua Imperator aduersus Mithridatem
proponebatur, esse suadendam. & idcirco cum non necesse haberet oblatæ causæ na-
turam pluribus declarare, inde attentionem potiùs confirmauit, Pompeii virtutes de
quibus sibi esset dicendum, singulares & eximias esse commemorans. Tametsi quò-
niam

niam se se paulò post offeret locus in quo Auditorum intelligentiæ opus sit consulere, atque adeò dociles illos efficere res dicendas distribuet tripartitò, atque illorum intelligentiæ prospiciet ac memoriæ. nam nihil prohibere quominus in progressu quoque orationis & beneuolentiam conciliare liceat & attentionem & docilitatem docebimus non multò post. Hæc vt de Exordij præceptis, similique de Maniliani Exordij virtutibus constet.

De Exordio tria p̄cipiuntur adhuc.

Quanquam hæc eo consilio dicta esse velim vt ad perfectam Exordij vim & naturam perfectè cognoscendam tria diligenter obseruentur adhuc. Primum est non esse putandum in Exordio semper esse necessarium, vt beneuolentia, attentio, docilitas paretur. Sed aut omnia aut vnum atque alterum, vel etiam vnum tantùm, pro vt causa postulauit ac locus. Etsi enim Exordium est quædam tum Oratoris commendatio, tum Auditorum instructio; hæc tamen subsidia, vbi opus sit, quærenda. Eridcirco (vt de Philosophorum exordijs seu procemijs sileam quæ non beneuolentiæ sed docilitati tantùm seruire debent aut attentioni: sapientiæ enim studiosi non authoritate personæ sed rerum pondere excitandi sunt & docendi ratione) videmus M. Tullium in beneuolentia captanda vel maximè insistere in hoc loco. Intelligebat enim sibi nunc maximè comparandam, cum rostra & publicam causam nunc primùm attingeret, nec antea vnquam ad populum orationem habuisset. Imò verò contingere aliquando poterit, vt præstet Exordio vti nullo, & ad rem aggredi nulla præparatione adhibita. Id quod & M. Tullius facit aliquando, vt in ea Catilinaria in qua ex abrupto incipit verbis illis, *Quousque tandem abutère Catilina patientia nostra?* & in historijs vsitatum sæpè animaduertimus, dum Imperatores aut Legati ad rem interdum aggrediuntur statim: Sic etiam apud latinum Poetam Neptunus. 22

I. Isthæc in Exordio non semper omnia esse præstanda: sed quæ causa postulet ac locus.

II. Multa vetari scopulos in exordio cauenda.

Tanta ne vos generis tenuit fiducia vestri?

Inquit orationem exordiens qua increparet ventos. Tametsi vt Exordium prætermittamus nisi graui de causa committendum non est. alioquin vel contemnere Auditores videamur, vel inertes Athletas imitari, qui sine vlla bracchiorum ac virium ostentatione in arenam descenderent. Alterum est in Exordio cauendum vt ne sit longius: oratio enim euaderet capitosa ac propterea monstrosa; nec vulgare omnino ac tritum, aut nimis commune: voluptatem enim afferret nullam, atque Oratoris industriam Auditoribus minùs probaret. Et ideò cum ex Tullianis exordijs, hoc est perfectis satis atque vulgatis, & si alioquin præclaris, haurimus, parcè hauriendum, ita vt delibare potiùs quàm surripere videamur. denique imitandum non vsurpandum est alienum Exordium: ac proprerea nostris si non coloribus at certè penicillis vtendum. Sed & cauendum ne plebeium sit atque humile: etsi enim videndum quoque est ne sit turgidum, humilitas tamen quæ sine dubio offensionem habet, est declinanda. Cauendum quoque ne sit separatum a causa & alienum, nam Oratoris industriam & laudem minueret. Id quod in Deliberatiuo ac Iudiciali genere prouidendum vel maximè. nam in Demonstratiuo quod delectationem in primis spectat, minus offensionis habet si paulò altius longiùsque ducatur. Quanquam vbi hæc caueris omnia, illud quoque diligenter cauebis, ne sit nimis elaboratum, atque artificium & industriam ostentet. Suspicionem enim gignit ac minuit fidem. denique præstat magis ex fumo flammam dare, quàm ex flamma fumum. Itaque moderato exordio vtendum, & in quo Naturam ducem sequamur. Hæc rursus de exordio fuerant præcipienda. 23

I. Ne sit longius.

II. Ne tritum & commune.

III. Ne plebeiū aut etiam turgidum.

IV. Ne separatum a causa.

V. Ne artificium & industriā ostentet.

III. Posse beneuolentiam, attentionē, docilitatē extra exordium quoque conciliari.

Quæ omnia cùm ex alijs Ciceronis Orationibus, tum ex hac maximè perdiscenda sunt, in qua beneuolentia statim a persona tum Auditorum tum propria exigitur, & ex causa ipsa continenter attentio & docilitas comparatur: & ita comparatur vt exordium nō modò proposita declinet vitia, verùm etiam omnibus numeris absolutum atque perfectum videri possit. Postremum est, nihil prohibere quominus in reliqua dictione seu oratione eadem concilientur vel instaurentur. Nam beneuolentiam cōfirmare atque augere pro opportunitate confert plurimum: attentionem etiā renouare interdum necesse est: dociles etiam efficere vbi rursus postulet locus: quæ omnia ex Cicerone passim licebit animaduertere. Nunc pauca quædam obseruemus in propositi Exordij verbis: cum enim ad elocutionem, & artificium conferant, ne humilia quidem spernenda sunt. 24

Verba quædam expenduntur ad extremū.

Quanquam, rotundæ orationi aptissima vox. vel enim circumscriptè dicimus, vel membra-

membratim, vel cæsim: quod si circumscriptè, ita vt producenda sit periodus, aptè voce *Quanquam, etsi, Tametsi*, initium facimus: cui deinde, *tamen*, vel *attamen*, aut *veruntamen*, interdum etiam *sed*, respondeat. Nam qui, *nihilominus*, subijciunt, quæ sit huiusce vocis notio non satis intelligunt. Et idem dixerim de ijs qui passim, *quamuis*, aut *licet*, pro *quanquam*, aut *etsi*, vsurpant. de qua re aliàs. Illud potiùs addo in præsens, *Quãquam*, absolutè quoque poni eleganter; at verò cum varijs modis coniungi posse, vt ex M. Tullio constat satis.

Multò iucundissimus, sic in Verrina prima, *multò molestissima*: & in primo de Oratore, atque infra etiam in hac ipsa oratione, *multò maxima*. Terentius etiam *multò fortunatissimus*: Lucretius *multò grauissimus*, eodèmque modo Horatius *multò* grauissima. Fluxit hoc dicendi genus a Græcis qui dicunt πολὺ ἥδιον, Hispanis etiam vsitatũ, qui dicunt, *muij grandissimo vellaco*; Italici tamen, præsertim recentiores (priscis enim secus accidit) ab hoc dicendi genere abhorrent: & verò latinis non frequentissimum est, ita vt non passim sit vsurpandum.

Quirites, sunt qui existiment hanc vocem domi ac pacis tempore honestam fuisse & dignitatem habuisse: in Castris ac belli tempore fuisse inuidiosam & ignominiosam: id quod ex Lampridio in Alexandro docent, vbi Imperator Romanam legionẽ,
25 quam exauthorauerat, dimittens, *Quirites*, inquit, *discedite & arma deponite*. confirmant id ex Lucano, apud quem Cæsar lib. 5. sic milites increpabat ac dimittebat,

Iam certè mihi bella geram: discedite castris:
Tradite nostra viris ignaui signa Quirites.

Quo in loco ignominiæ causa *Quirites* appellari volunt, quasi ciues & armis tractandis ineptè designarentur. Ego verò, nisi rem planiùs doceant, ægrè assentiam, quid enim prohibet quominus Alexander Quirites dicere potuerit, vt eam legionem certo nomine, vt fit, appellaret designarétue? Cæsar verò, dum ignauos dicit Quirites, videtur propter adiunctum milites afficere ignominia, non quia illos appellet Quirites. Certè olim tanti æstumabatur hoc nomen, vt Virgilius Augustum Quirini appellauerit nomine, Cicero Romanos item Quirites honoris causa nuncupauerit sæpè. Quid multa? Virgilius dum canit,

Vna ingens Amiterna Cohors priscique Quirites.

Instructum exercitum ac belli studia describit ac dignitatem, non ignominiam conflat militibus. Sed tamen non est cunctandum fateri reuera in castris inuidiosum nomen fuisse & ignominiosum, atque imbelles significasse. Siquidem Suetonius in Iu-
pag. 19. b. hoc est per7. pag. ante fin. p. 13 l. m.
lio Cæsare scribit, Cæsarem commilitones appellare consueuisse milites: & tamen Decumanos missionem postulantes, *Quirites*, inquit, *pro militibus appellauit*. ex quo factum est, vt ij se milites esse respondentes, missionis cogitationem omnem abiecerint. Sic Lampridius spartanis *Tantæ*, inquit, de Alexandro loquens, *seueritatis fuit, vt*
26 *sæpè legiones integras exauthorauerit ex militibus. Quirites appellans*: & non multò post. *Continete*, inquit Alexander, *vocem truculentam & campo ac bellis necessariam, ne vos hodie omnes vno ore atque vna voce Quirites dimittam, & incertum an Quirites*, Sic Alexander: qui sanè, quoniam adhuc fremerent milites, illud continenter pronunciauit quod ab initio referebam, *Quirites discedite atque arma deponite*: ita vt sine dubio in Castris inuidiosum esset nomen, & non quidem Paganos rursùs significaret, quemadmodum censent aliqui, sed ciues: nam certè Plutarchus a Cæsare Ciues appellatos scribit milites cum dimitterentur: & ideo apud Suetonium quoque non Ciues sed milites se illi esse responderunt. Tametsi sic Ciues Quiritium nomine designabantur, vt quoniam Ciues opponebantur militibus, tanquam imbelles & effœminati dimitterentur; ex quo etiam intelligitur militis nomen eo tempore in honore fuisse. Nam vt militari virtute cõparauerant Imperium, cæteræ doctrinæ frigebant; ita vt Ciues cum militibus sine inuidia atque adeo ignominia aliqua conferri haud possent. Quare Virgilius qui in exercitu conscribendo milites appellat Quirites, seu Quirites commemorat, vel additamento illo, *Prisci*, inuidiam sustulit; vel fortasse in eorum sententiam spectauit, qui Quirites a Curibus dictos existimant: nam certè illud *Prisci*, hoc subindicare videtur.

27 *Ab ineunte ætate*; non infantiam intelligit sed adolescentiã, in qua videri vult secum ipse statuisse plenissimum illum dignitatis locum non ante maturam ætatem attingere.

gere. Ita sanè rem Oratorio more amplificaret, vt suum pudorem ac venerationem augeret.

Omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putaui, otium ac tempus quod suis ille rebus gerendis referre suo iure poterat M. Tullius, amicorum temporibus, ac propterea illorum rebus iuuandis (forensibus tamen) retulit pro sua in illos beneuolentia & charitate. itaque suum tempus amicorum temporibus transmittere, est opportunitatem rerum gerendarum (id enim videtur significare tempus in præsentia) a suis ad aliena transmittere ac referre negocia & commoda. ita vt non necesse sit locum quasi mendosum nouare. neque enim desunt qui tribuendum legi cupiant pro transmittendum. Quanquam quid si quis *amicorum temporibus*, interpretetur amicorũ periculis: quasi verò dicat, omne meum tempus amicorum periculis propulsandis contuli? Certè videtur interdum suum aut alienum tempus appellare suas vel alienas res prosperas vel aduersas. Sic pro Milone, *fortunas meas in communionem temporum tuorũ contuli*, & de claris Oratoribus, *omnibus exemplo debet esse, quantum in hac Vrbe polleat multorum obedire tempori, multorúmque vel honori, vel periculo seruire*. Ipse tamen pro commodo & opportunitate (vt dicebam) commodiùs intelligi posse crediderim. Sic enim pro Cluentio, *illa oratio potiùs temporis mei quàm iudicij, & authoritatis fuit*, & rursus *orationes illæ causarum & temporum sunt*: quibus in locis significare videtur se pro occasione & opportunitate dixisse si non pro sui aut iudicij hominúmue dignitate. Ex quo fieret vt significaret se tempus quod suis rebus oportunè transmisisset, amicorum temporibus hoc est opportunitatibus (forensibus scilicet) quæ se se illis iuuandis offerrent, transmisisse & contulisse. ea verò de causa id affirmat quòd etsi Verrem accusauerat, plurimos tamen defenderat. Immo verò ita accusauerat Verrem vt profiteretur se non tam accusatoris quàm defensoris personam subire: quod scilicet Siciliam vniuersam simúlque Romanorum iudiciorum integritatem pro virili parte sua tueri niteretur. Denique & in Philippicis deinde & in Orationibus cõtra Rullum de lege Agraria sine dubio populi Romani dignitatem Rempublicámque defendit: ac propterea *Ego*, inquit alibi, *Senatum & bonos omnes legis agrariæ maximarúmque largitionum metu liberaui*. Nam de Catilinæ accusatione nihil attinet dicere. Siquidem Reipublicæ continet defensionem quemadmodum Pisonis & Vatinij accusatio, quoniam perniciosos insectatur ciues, ac Reipublicæ causa ferè insectatur, iustitiæ ac publici boni spectat tutelam. Illud potiùs verendum, ne deinde sic amicorum temporibus suum transmiserit tempus, vt interdum iniustæ causæ alicui patrocinium impenderit. Certè Cœliũ minùs iustè tueri visus est; denique ipsemet aliquando se iudicibus fucum fecisse fateri non dubitauit. Hactenus igitur transmisit tempus amicorum temporibus, quia illos iuuandi ac defendendi locum ac tempus siue opportunitatem amplexus est. 82

Vestram causam, publicam causam seu Imperij appellat causam populi R. quemadmodum causam vectigalium eodem aliquando appellat modo.

Castè integréque versatus: quam in foro innocentiam, & integritatem coluerat, ita vt nec largitione nec gratia a recto abduceretur, hanc castimonia etiam declarat, quòd quam habet vim castimonia aduersus libidinem, hanc habet integritas aduersus pecunias & gratiam. Nam castimonia etiam interdum pro integritate vsurpatur. Denique apud M. Tullium, castè latè patet, ita vt castum periuro opponat aliquando. 29

Propter dilationem Comitiorum: id dicit quia semel, iterũ, ac tertiò illa obijssent, quòd Augures, vt erant superstitiosi, semel atque iterum in augurijs siue auspicijs vitium aliquod notassent, vnde tertiò habenda fuerint Comitia.

Causa talis oblata est: hoc dicit tacitè Manilianam legem sibi suadendam intelligẽs: de qua populo constabat satis, dicendum esse. alioqui videri posset laudationem instituere, vt in Demonstratiuo genere versandum, cum tamen Pompeius ornandus sit legis suadendæ causa. Hæc de Exordio.

[illegible]tione. Quã quã de Inuocatione prius quã vterentur Oratores.

Nunc ad Narrationem: hæc enim succedit Exordio. Quanquam non me latet Priscos Oratores antequam narrarent, Poëtarum more inuocare consueuisse. Itaque Pericles cum ad dicendum accederet, Deum orare solebat vt ne sibi verbum imprudenter excideret: Sic Plato vel Timæus cum apud Socratem atque alios de rerum vniuersitate dicturus esset, Inuocatione vsus est antequam ad legitimam disputationem descenderet. Idem fecit aliquando Demosthenes: idem vt ad nostros veniam M.

Tullius

Tullius in Oratione pro Murena: in qua *Quæ precatus sum* (inquit) *a Dijs immortalibus*
30 *Iudices more institutóque maiorum, illo die quo auspicato Comitijs centuriatis L. Murenam Con-*
sulem renunciaui; vt ea res mihi Magistratuique meo Populo Plebique Romanæ benè ac fæliciter
eueniret; eadem precor ab ijsdem Dijs immortalibus ob eiusdem hominis consulatum vnà cum sa-
lute obtinendum: & vt vestræ mentes atque sententiæ cum Populi R. voluntate suffragijsque con-
sentiant éaque res vobis Populóque Romano pacem, tranquillitatem, otium, concordiámque afferat.
Vbi sanè visus est Homerico more ac modo inuocare. Propositionem cum Inuocatio
ne seu Inuocationem cum Propositione coniungens. Quanquam in Oratione pro
C. Rabirio Inuocationem subiecit exordio seu propositioni, quare sic differebat. *Quæ*
cum ita sint, primum quod in tanta dimicatione capitis, famæ, fortunarúmque omnium fieri necesse
est: ab Ioue optimo Maximo cæterisque Dijs Deabúsque immortalibus quorum ope, & auxilio
multò magis hæc Respublica quàm ratione hominum & consilio gubernatur; pacem ac veniam peto:
precórque vt hodiernum diem & ad huius salutem conseruandam & ad Rempublicam constituen-
dam illuxisse patiantur; deinde vos Quirites, quorum potestas proximè ad Deorum immortalium
numen accedit; oro atque obsecro, quoniam vno tempore uita C. Rabirij hominis miserrimi atque in-
nocentissimi salus Reipublicæ uestris manibus suffragijsque permittitur: adhibeatis in hominis for-
tunis misericordiam: in Reipublicæ salute sapientiam quam soletis. Quem locum sine dubio
imitatus est Plinius secundus in Panegyrico ad Traianum, vbi nō solùm Iouem opti-
mum maximum inuocat, verùm etiam Vrbis & Imperij (quod fecit M. Tullius) au-
31 thorem & conseruatorem illum appellat. quin etiam quemadmodū M. Tullius pro-
fitetur se boni Consulis more ad eam causam descendere, sic Plinius se officiū illud,
quippe Consulis proprium, obire testatur. Scio quidem esse qui existiment M. Tul-
lium in propositis Orationibus inuocasse quòd Consul esset: Consules verò non sine
inuocatione ad dicendum accederent. Sed cum illud ijs ipse concessero, consueuisse
quidem Consules illud præfari, *Quod fœlix, faustum fortunatúmque sit*; adhuc tamen af-
firmabo ex veteri consuetudine fluxisse vt Oratores quoque vberiùs, Poëtarum scili-
cet more ac modo, inuocarent. Itaque Valerius Maximus in suæ historiæ procemio
cum inuocare decreuisset, *Nam si prisci* (aiebat) *Oratores ab Ioue optimo Maximo orsi sunt,*
si excellentissimi Vates a Numine aliquo principia traxerunt, mea paruitas eò iustius ad fauorem
tuum decurrerit. ita sanè de veteri Oratorum more id quod dicebam testatur luculen-
ter. tametsi dum Tiberium quasi Deum inuocat, labitur iniquè ac turpiter. Verùm
enimverò quoniam inuocandi vsus penè obsoleuit (a Christianis enim Oratoribus co-
litur quidem, & sanctè colitur: a cæteris in foro & Concionibus prætermittitur) mis-
sa Inuocatione, quam inter Orationis partes haud referre lubet, ad Narrationem de-
scendamus, quæ est huiusmodi.

PARTICVLA II.


Tque vt inde oratio mea proficiscatur: vnde hæc omnis causa duci-
tur: bellum graue, & periculosum vestris vectigalibus, atque so-
cijs, a duobus potētissimis regibus infertur, Mithridate, & Tigra- Reditur ad narrationem.
ne: quorum alter relictus, alter lacessitus, occasionem sibi ad occu-
pandam Asiam oblatam esse arbitrantur. equitibus Romanis hone-
32 *stissimis viris afferuntur ex Asia quotidie literæ: quorum magnæ res agūtur in*
vestris vectigalibus exercendis occupatæ, qui ad me pro necessitudine, quæ mi-
bi est cum illo ordine, causam Reipublicæ periculáque rerum suarum detulerūt:
Bithynia, quæ nunc vestra prouincia est, vicos exustos esse complures: re-
gnum Ariobarzanis, quod finitimum est vestris vectigalibus, totum esse in
hostium potestate: Lucullum magnis rebus gestis, ab eo bello discedere:
huic qui succurrerit, non satis esse paratum ad tantum bellum admini-
strandum: vnum ab omnibus socijs, & ciuibus ad id bellum Imperatorem

 deposci,

deposci, atque expeti: eundem hunc vnum ab hostibus metui: praeterea neminem.

Tria proponuntur & explicantur, vt de Narratione constet.

HIs continetur & absoluitur Maniliana Narratio. In qua sanè, vt quemadmodũ exordii sic narrationis tum vis ac natura tum verò praecepta declarentur, tria praestare iuuat. Ac primùm quidem generatim, sed rudi opere, explanabo huius narrationis summatimque Narrationis vim, vsum, praecepta diligenter exponam: ad extremum nostrae huius narrationis artificium agnoscam, & quàm egregiè in hac M. Tullius praecepta coluerit, demonstrabo. Atque hac de causa (vt scilicet de Tullianae huius narrationis artificio magis constet) problemata quaedam de narratione interponam & explicabo, curiositatis, spero etiam vtilitatis iucunditatisque, plenissima.

I. *In quo summatim exponitur Maniliana narratio.*

Ergo vt a primo aggrediar, Narrat M. Tullius bellum inferri populo R. & a quibus, aut per quam occasionem inferatur. Et quoniam potuisset aliquis sciscitari vndenam 33
ipse Marcus Tullius haec resciuisset, monet ex Asia quotidie literas afferri equitibus Romanis, iisque viris honestissimis, quorum pecuniae ac fortunae in populi R. vectigalibus occupatae sunt; ita fieri vt pro necessitudine, quae sibi cum eo intercedit ordine, ad eum retulerint Reipublicae fortunarúmque suarum pericula quibus addet Bithyniae quae nunc esset Prouincia populi Romani, vicos complures exustos esse nunc populi R. Prouinciam esse affirmans, quia cum Bithynia Nicomedis Regis esset antea, is, quoniam in Regnum sibi a Mithridate ereptum, a Sylla fuerat restitutus, ad extremum moriens populum R. Bithyniae haeredem instituit ex quo factum est vt a populo R. de more in Prouinciam redactum sit Regnum illud. Addit Regnum Ariobarzanis (Cappadociam intelligit quod Romanorum vectigalibus adiacebat) in hostiũ potestatẽ venisse: Lucullum magnis rebus gestis discedere; qui Lucullo successisset (id enim valet succurrere hoc in loco, vt pro Amerino *succurram atque subibo*) imparatum esse ad tantum bellum: vnum a Ciuibus & sociis Imperatorem expeti: vnum ab hostibus metui praeterea neminem. Haec de primo; de quo tamen non multò post constabit vberiùs.

II. *In quo narrationis natura & vis triplici descriptione declaratur.*

Venio ad Secundum, vt narrationis naturam explicem & praecepta. Ergo cum definierim quid sit Exordium, ac docuerim esse orationem quae praeparat animos Auditorum ad reliquam dictionem: quid ni enitar narrationem quoque definire aut describere? Igitur sunt qui narrationem dicant esse rerum explicationem: & rectè: nam reuera res veluti explicantur, ita vt inde rerum seu causae statum intueri liceat. & ideo M. Tullius, narratione peracta, addebat è vestigio, *Causa quae sit videtis*: quasi diceret ex narratione iam causae statum intelligi. Sed tamen aptiùs, mea
I.
II. quidem sententia, narratio dicitur Sedes argumentorum. ideo enim narrat Orator 34
vt ex narratione deinde argumenta depromat ad fidem faciendam: ita vt in narratione, si a bono Oratore proficiscatur, argumenta veluti delitescant. Quanquam praeclariùs adhuc ii qui statuunt Narrationem esse fundamentum constituendae fidei. Etsi
III. enim Oratores extrinsecus etiam deriuare coniecturas solent atque argumenta, praecipua tamen argumenta ex Narratione, hoc est ex facti constitutione, depromũt: ita vt Narratio sit veluti fundamentum constituendae fidei seu fidei faciendae atque altiùs confirmandae. Haec de Definitione.

Narrationis praecepta proferuntur.

Nunc tria sint optimae Narrationis praecepta: nimirum vt sit perspicua, breuis, probabilis. ac perspicuitas quidem consulit Auditorum intelligentiae: breuitas memoriae: probabilitas fidei. ita fit vt Auditores intelligant, meminerint, credant. At enim quî efficiatur perspicua? si planis verbis vtaris,
I. hoc est propriis, significantibus, communibus: ac propterea obsoleta interim, metaphorica seu translata, Poëtica item, noua & inusitata declines: idem dixerim de sententiis, quae non ex Philosophorum penetralibus atque abditis doctrinis sed ex communi vsu & Ciuili consuetudine sunt deriuandae. Quî breuis? si nihil alienum, nihil
II. non necessarium, ea complectaris: ac rem semel tantùm nec pluribus quàm opus sit verbis, exponas. quod si illud Flacci in mentem veniat —— *Dum breuis esse laboro Obscurus fio* —— ac propterea obscuritatem pertimescas; sic statuas. me breuitatem illam probare quae cum perspicuitate cohaereat: cohaerebit autem si nihil necessarium fuerit praetermissum: nihil rursus redundauerit. neque enim eam Narrationis breuitatem laudauerim, quae rem quam paucissimis omnino perstringat verbis; sed in qua nihil necessarium requiri, nihil redundans notari, possit. quae laus in Ma-

miliana post paulò agnoscetur;in qua ociosum verbum nullum,necessaria omnia. Denique probabilis erit Narratio si temporis seriem atque ordinem conseruabit vbi tē- III.
poris habenda sit ratio: si cum personis & locis consentiet:mirum est enim quàm verisimilis reddatur Narratio quæ cum personis,locis,tempore demū,consentit. Idem dixerim si facti seu euentus causæ proferantur quæ refert probabilitatem. denique si tum a communi opinione & fama tum ab vsu & consuetudine haud dissentiat. Hæc ad probabilitatem. Nam quæ ab Oratoris integritate ducitur fides alterius est loci. Hæc germanæ Narrationis præcepta, quæ in Maniliana diligenter agnoscam, si priùs Theoremata quædam explicauero, ex quibus tum de Narrationis vsu ac perfectione tum de Narrationis Manilianæ artificio,planiùs constet. Ergo quæritur primò, Num *Problemata quędā interponūtur & enodantur de Narratione.*
sine crimine prætermitti possit Narratio. Huic ego per cūctationi breuiter sic respondeo. si apud Iudices vel Auditores de toto rei statu constet satis, potest & verò debet prætermitti. idē si res ab aduersario narrata fuerit,nec in ea dissentimus, aut nobis eam prodesse posse arbitramur. Sed tum in primis & omittenda cum factum sit turpe aut iniquum,ita vt nobis obsit,aduersarijs prosit. Hoc enim tempore non modò Narratione verùm etiam Exordio quod a re ipsa ducatur, erit supersedendum, & Insinua- I.
tione potiùs (de hac aliàs) vtendum. Denique in re turpi nihil minùs quàm ex Narra- *Num prætermitti possit Narratio.*
36 tione subsidia quærenda sunt vt causæ seruiamus. Contra verò vbi de rei statu nō plane constet apud Auditores, & verò aliquid subsidij ad causam parari possit, Narratio nullo modo est prætermittenda. Sed & illud quæritur: num interpellata vti Narratione liceat & interrupta. De qua re sic statuo. Si longiorem Narrationem postulet cau- II.
sa, nihil prohibet cur prima Narrationis parte expleta, inde statim (ne scilicet è me- *Nū interpellata narratione vti liceat.*
moria diffluat) argumēta depromamus, quibus id quod proposuimus cōfirmemus: tum ad alteram partem Narrationis redeamus,atque argumēta item ex ea ducamus, quemadmodum in prima, & ita deinceps: sic enim & memoriæ Auditorum & breuitati prospiciemus commodiùs: alioquin si post longam Narrationem argumenta inde proferamus, fieri poterit vt res vnde argumenta ducuntur; Auditori non recurrant in mentem,ac propterea argumentorum vim minimè percipiant. Certè M. Tullius tum in Philippicis,maximè verò in secunda;tum in Verrinis; per partes narrat ac probat. cætero quin,vbi paucis res enarrari possit,non est interpellanda narratio. Iam III.
verò quid si quis quærat num in Narratione sit iucunditati studendum ac suauitati? Ego verò non abnuerim: dum tamen nil depereat de perspicuitate,breuitate, proba- *Nū iucunditati ac delectationi sit in narratione seruiendum.*
bilitate. Imò in Demonstratiuo genere, quod delectationem fermè spectat, bellè cadit iucūda Narratio. Denique in laudatione ac vituperatione nil prohibet quominus paulò liberiùs Exordij & Narrationis laxentur habenæ vt delectationi seruiamus. Et hinc alterum problema enodari potest, an scilicet admirabilis debeat aut possit esse Narratio: nam cum admiratio ex rebus nouis,inusitatis, ac fermè incredibilibus oria- IV.
37 tur, verendum est ne probabilitati, quæ maximè requirenda est, obsit talis Narratio. *Nū admirabilis sit constituenda narratio.*
Ergo in Demonstratiuo genere interdum commodè cadat admiratio, cum de nulla re sit disceptandum (nisi fortè de dicentis industria & facultate) sed delectatio spectetur quæ ex re admirabili conciliatur facilè, in Deliberatiuo & Iudiciali, ægrè omnino: nisi tamē res ita sit admirabilis, vt simul peruagata atque testata sit. Quid ni enim rem fortiter aut audacter ac præter omnem consuetudinem gestam enarrem, vbi constanti fama aut testibus cōperta sit? At enim quid si dubitetur num sit affectibus instruen- V.
da, & ad motus animorū ciendos? sanè vbi res ea sit ex qua naturaliter affectus veluti *Num affectibus sit instruēda.*
fluere videantur, omnino sinendum vt affectibus etiam, qui tamen causæ seruiant, instruatur Narratio. quin etiam, si commiseratione egeat causa, ferendum, vt Narratio lachrymas quoque exprimat ab Auditorum oculis: alioquin cum reuera non afficiēdi gratia sit instituta Narratio, sed vt fides inde commodè constituatur, quæsiti affectus atque arte parati non tam narrationi conueniunt, quàm rationibus succedunt quibus res confirmata fuerit: tunc enim commodè afficiatur Auditor. Verùm enimuerò quid si requiratur num Historico more sit pertexenda? Equidem si de verbis ac VI.
stylo quæras, paulò ornatior & cultior fingi possit Oratoria Narratio. Nam alioquin *Num historico more pertexēda.*
Oratoria dictio in reliquis partibus; præsertim in demonstratiuo genere historiæ nitorem & elegantiam superet necesse est. De qua re tota in libro de historia copiosè: vbi docuimus Poëtæ stylum ac dictionem Regiæ sponsæ similem esse, quæ non sine di-

gnitate calamistrata incedat, atque omnibus luminibus ac pigmentis ornata, oratorium honestissimæ matronæ ac nobili, quę naturale quoddam referat decus ac dignitatem: Historicum matremfamilias exprimere quæ munditia contenta sit. De qua re consulas Theorema septimum libri primi de Historia. Quod si de artificio reliquo sciscitaris, sic statuo, Historica narratio veritatem spectat, Oratoria probabilitatem. Itaque historicī est ne latum quidem vnguem a veritate discedere, omninóque efficere vt nihil (si tamen momenti alicuius sit) planè omittatur quod ad rerum gestarum cognitionem pertineat.; & ideo non modò res gestas & euentus, verùm etiam consilia & causas narrat bonus historicus. Orator contrà; reticere multa potest, & verò debet, cum non omnia prosint causæ, imò interdum non tam curiosius veritatē requirit Orator (quod tamen facit Historicus) quàm probabilitatem, vtcunque etiam veritate dissimulata, consectatur. Hæc sint Theoremata quæ explicasse velim tum vt etiam atque etiam illustrarem vim atque vsum narrationis (id quod iudeo mihi perfecisse) tum vt de Narrationis Manilianæ artificio constare posset, ad quam rem nunc aggredior. Pag.8.& 43.

In Manilianæ narratione proposita agnoscūtur præcepta.

Primò igitur præcipiebam non esse committendum vt Narrationē prætermittamus, nisi fortè certis quas afferebam de causis. Nunc igitur, quoniam a re Maniliana causæ illæ absunt longissimè (honesta est enim non turpis, iusta non iniusta, & verò ea continet quæ nec antea a quoquam fuerant exposita nec per se satis perspecta erant & cognita) narratione vtitur M. Tullius. Præcipiebam rursus vt si paucis absolui possit 39
narratio, non interpellaretur. integra est igitur Maniliana non interpellata, quemadmodum absoluitur paucis. Sed & præcipiebam vt ne ad delectationem, ad affectus, ad admirationem, præsertim de industria; comparata esset narratio: ac talis est sine dubio Maniliana narratio, simplex est enim quęque tum affectibus, tum pigmentis ac luminibus caret: ita vt ad historicam narrationē accedat propè, quemadmodum per se constare satis potest: & ex eâdem statim cognoscere licet tum esse perspicuā, tum breuem, vt non necesse sit in ijs immorari. Duo tamē præceperam, quæ in narratione Maniliana diligenter sunt agnoscenda, cum sint perfectæ narrationis caput ac vertex, Vnum est vt causæ statum sic declaret exponátque, vt interim argumenta & fundamenta fidei in narratione veluti dissemineniur, siquidem narratio est rerum explicatio, sedes argumentorum, fundamentum constituendæ fidei. Alterum vt probabilis sit & ad fidem gignendam accommodata. Hæc igitur habet agnoscere vberiùs. Ergo dum principio narrat bellum graue & periculosum vectigalibus ac socijs, idque a Mithridate & Tigrane, inferri, qui ad Asiam occupandam aspirarēt; eò spectat vt intelligat populus R. cuiusmodi & quantum esset ac propterea non esse contemnendum, quin celebritate vtendum, atque optimum in primis Imperatorem (id quod Orationis caput est) deligendum; & ideo in confirmatione comprobabit, simúlque exaggerabit & amplificabit belli illius, & genus, quod est honestatem, vtilitatem, necessitatem, & magnitudinem ac grauitatem. En in his paucis verbis grauissima delitescere argumēta, quæ deinde amplificabūtur ac dilatabūtur copiosè, etsi enim hæc non antea perficiet quàm Luculli cauerit dignitati; vbi tamen huic satis cauerit, magnitudinem ac periculum exaggerabit vberiùs. Denique ideo narrat bellum inferri vectigalibus populi R. vt non solùm causæ statum perdiscant Auditores, verùm etiā hinc magis ac magis ad bellum illud suscipiendum, ac Pompeium, hoc est Imperatorem optimum deligendum incendantur. Itaque deinde ostendet in vectigalibus 40
illis in quæ bellum inferebatur, esse præsidia belli & ornamenta pacis; vno verbo, Romani Imperij & dignitatem & pondus vectigalibus niti & contineri. Et eâdem de causa commemorat bellum illud inferri etiam socijs populi R. vt nimirum deinde doceat socios illos esse Reges, Vrbes multas ac populos qui in fide populi R. conquiescerent, ac propterea non posse tale bellum dissimulare aut prætermittere sine ingenti dedecore. Et huc pertinet quod addit a duobus potentissimis Regibus inferri, vt nimirum populus R. intelligat non vnum esse hostem sed duos, non vulgares sed Reges, non mediocris potentiæ sed potentissimos. En alia rursus argumenta in narratione disseminari.

Duo agnoscuntur adhuc in Manilianæ narratione.
I. Quod pertinet ad causæ statum.
II. Quod pertinet ad probabilitatē.
De priore.

Quæ omnia exaggerabit altiùs suo loco. Denique duo in primis molitur Cicero in hac oratione; vnum vt populum R. ad bellum suscipiendum impellat contra Mithridatem,

datem, alterum vt populus R. Pompeium huic bello præficiat, ac maiore quã quiſ-
quam antea, potentia & authoritate præficiat. Atque his duobus capitibus compro-
bandis, ac populo R. ſuadendis ſeruit egregiè quicquid propoſita narratione conti-
netur. Mihi enim, ne longum faciam, ſat ſit ſpecimen huius rei non vulgare dediſſe
hactenus vt conſtet cauſæ ſtatum hac narratione conſtitui, atque ita conſtitui vt Ma-
niliana hæc narratio cauſæ explicatio dici poſſit ac ſedes argumentorũ. Nunc de pro-
babilitate. Ergo potuiſſet quiſpiam ſciſcitari a M. Tullio quî fieri poſſet vt cum Mi- *De poſteriore.*
41 thridates a Sylla primùm, tum a Murena, denique a Lucullo, fractus eſſet & in extre-
mas vſque oras coniectus, nunc repentè tale ac tantum bellum inferret populo R,
eiúsque vectigalibus ac ſocijs. potuiſſet etiam ſciſcitari vnde hæc reſciret aut comper
ta haberet, cum tam fidenter ea proferret. Cicero igitur vt ne probabilitate careret
narratio, continuò docet vnde comperta hæc ſint, & ideo ſubdit, *Equitibus Romanis ho-
neſtiſſimis viris afferuntur ex Aſia quotidie literæ: quorum magnæ res aguntur in ueſtris uectigali-
bus exercendis occupatæ, qui ad me pro neceſſitudine, quæ mihi eſt cum illo ordine, cauſam Reip. pe-
riculaque rerum ſuarum detulerunt.* vbi ſingula verba conciliant probabilitatem. nõ enim
ignotis hominibus hac de re literæ afferebantur, ſed Equitibus Romanis, iiſque ho-
neſtiſſimis viris, & ex Aſia ipſa afferebantur, & multæ, imò quotidiè: tanta erat trepi-
datio Aſiæ, tale periculum belli. Ex quibus magna ſine dubio accedebat narrationi
fides & probabilitas: quandoquidem vbi mentitus eſſet M. Tullius, tot habuiſſet ſuæ
impudentiæ teſtes quot in Vrbe erant Romani equites. Quanquam ſint iſthæc, M.
Tulli, veruntamen quid cauſæ eſt cur equites Romani hæc tecum communicarint,
ad Senatum verò ac populum nondum retulerint? Ergo tacitæ huic populi R. cogita-
rioni occurrit, quare, ij (inquit) *ad me pro neceſſitudine, quæ mihi eſt cum illo ordine, cauſam
Reip. periculáque rerum ſuarum detulerunt*: quibus verbis duas indicat cauſas vnde ſecum
rem communicauerint Romani Equites, apertam vnam, tacitam alteram. Prima eſt
quia M. Tullius, licet pro ſua virtute in ordinem Senatorium fuerat cooptatus, ex pa-
42 tre tamen erat ortus equeſtris ordinis: & ideo M. Tullius eum ordinem coluerat ſem
per, & multis ſtudijs & officijs (id quod ad Q. fratrem ſcribit) complexus fuerat. Igi-
tur Equites illi pro neceſſitudine quæ ſibi intercedebat cum M. Tullio, ei rem in pri-
mis detulerant, ac tum ſuum tum Reip. pericula denunciauerant. Altera, quæ tamen
deliteſcit; ea eſt quòd M. Tullius & authoritate apud populum, & gratia & eloquen-
tia & meritis plurimùm valebat, ac Remp. mirificè diligebat, ita vt nemo eſſet qui
maiore fide priuato illorum, communíue Reipub. periculo conſulere, ac de re tota
referre poſſet populo R. Et huc ſpectant ea verba, *Cauſam Reipub. periculáque rerum ſuarũ
mihi detulerunt.* cum enim præſtaret populo rem referre, eum deligendum puta-
runt, qui tum dicendi facultate tum gratia apud eum valeret. Ita quidem cum narra-
tioni ſummam probabilitatem conciliarit, illud iam profert quod antea minùs com-
modè & probabiliter retuliſſet. Quare ſic pergit, *Bithyniæ, quæ nunc ueſtra prouincia eſt,
uicos exuſtos eſſe complures: regnum Ariobarzanis, quod finitimum eſt ueſtris uectigalibus, totum
eſſe in hoſtium poteſtate*: Vbi & explicat adhuc ſtatum cauſæ, & argumenta iacit vnde in
confirmatione deinde etiam atque etiam excitet populum R. ad bellum celeriter ſu-
ſcipiendum ac Pompeium Imperatorem deligendum. Et quoniam rurſus mirari po-
tuiſſet populus R. (neque enim perinde ac Senatus publicas res perſpectas habere po-
terat: & ideo M. Tullius aiebat *Bithyniæ quæ nunc ueſtra Prouincia eſt*, quibus verbis nũ-
quam vſus eſſet in Senatu) quî hæc accidiſſent, cum Lucullus Mithridatem profli-
gaſſet, idcirco pergit M. Tullius, ac narrat Lucullum magnis rebus geſtis ab eo bello
diſcedere diceret quaſi profligaſſe quidem ſed non debellaſſe: quin Lucullum reuo-
catũ fuiſſe ita vt diſcederet: ac proinde factũ eſſe vt Mithridates ſe ſe collegerit & in
Aſiã inſultarit. At enim ſucceſſorem quoque habuit. Habuit quidem, ſed hic non ſa-
tis paratus eſt, inquit M. Tullius, ad tantum bellum adminiſtrandum. Quibus verbis
ſic tacitè populi R. cogitationi ſatisfacit, vt modeſtiæ quoque ſatisfaciat. Etenim ſuc-
ceſſerat Lucullo Acilius Glabrio, vir rei militaris imperitus, quíque longè impar eſ-
ſet tanto bello, ita vt Aſiatici (id quod non multò poſt intelligetur) conquererentur,
quòd in tam ingenti diſcrimine Acilius ſuffectus eſſet: ac propterea Pompeium po-
ſtulabant, etſi, ne apud Acilium offenderent, non ſatis audebant palam eum poſtula-
re. Et ideo ſtatim ac M. Tullius dixit Acilium non eſſe paratum, quod bonis rerum
æſtima-

Pergitur in narrationis explicatu: quo de cauſæ ſtatu in primis & de ipſius narrationis probabilitate mouemur.

stimatoribus significabat nil minùs quàm Acilio fidem eum in tam ingenti periculo; statim vt Pompeio caneret, pergebat vnum ab omnibus socijs & ciuibus ad id bellum Imperatorem deposci: vnum ab hostibus metui: præterea neminem. Ex quibus postremis verbis colliget deinde M. Tullius non esse cunctandum, Imperatorem decernere Pompeium: quod in primis sibi populo R. persuadendum proposuerat. Hæc est narratio: quæ cum cæteris virtutibus claret ac laudibus quæ in narratione expeti possunt, tum maximè perspicuitate, breuitate, & probabilitate. Atque hæc dicta sint vt perfectæ narrationis præcepta in Maniliana agnoscamus, ac præcepta ipsa cum vsu coniungamus. Nunc ad Confirmationem deueniam, si tamen priùs vnam atque al- 44

Dubitatur de Maniliana narrationis vsu. Respondetur.

teram dubitationem, qua narrationis Manilianæ euerti videtur vsus, diligenter diluero. Ergo paulò subtiliùs, sed iure tamen, illud quæratur; quî non ociosa interim sit narratio ista. nam, vt omittam Inscriptionem propositam Orationis argumentum ac propemodum causæ statum legentibus obijcere, id planiùs præstat Exordium. quid igitur narrationem adhuc in hoc conterere? Ego verò subtiliori dubitationi parem cogor responsionem afferre. Quatuor igitur videor mihi, quod pertinet ad rem propositam latenter in Oratione intueri, quæ in planta sese apertè obijciunt, nimirum semen, radices, truncum, ramos. Et quidem in Oratione semini respondet Inscriptio: quandoquidem in inscriptione tanquam in semine delitescunt cætera. Radicibus respondet exordium vnde semen effunditur, & planta incipit propagari. Narratio truncum exprimit. vt enim a trunco rami omnes oriuntur, sic a narratione argumenta & probationes. Denique Oratio reliqua cum ramis consentit: vt enim illi plantã explent, sic confirmatio, & cæteræ partes orationem complent vniuersam. vt propterea quemadmodum in planta ociosum nihil, sic nil ociosum in Oratione. Tametsi illud quoque fatendum est, Oratorem non tam scriptione quàm dictione suum obire munus ac peragere: ac propterea hac in re inscriptionis rationem habendam esse nullã,

Dubitatur rursus.

ita vt hinc multò magis appareat necessitas narrationis. Iam verò altera Dubitatio illa sit, qua ratione in hanc causam conueniat narratio, cum narratio rerum sit præteritarum: causa hæc suasione & deliberatione contineatur, quæ futura spectat solùm, 45

Respondetur.

Sed dubitationem inde liceat diluere, quòd vt rectè deliberes, ac de rebus futuris statuas, præteritas ac præsentes præstat cognoscere. vt enim Medicus tum demum rectè de medicina deliberat & curatione, cum res anteactas diligenter explorauerit, atque inde morbi statum agnouerit, sic bonus Orator prospicit causæ. Denique in deliberatione assumenda sunt præterita, spectanda præsentia, atque hinc consultandum ac deliberandum de futuris. Quanquam illud etiam obseruãdum, verè quidem dici deliberationem spectare futurum tempus, narrationem res anteactas aut præsentes persequi; sed tamen illud quoque verissimè affirmatur, rerum futurarum deliberationẽ ex præteritis ac præsentibus occasionem atque initia ducere. Ita vt res quoque præsentes vel anteactæ narrandæ sint. Si enim clade affectus sit populus R. aut aliqua iniuria affectus, vel etiam aliqua interim Vrbe spoliatur, hæc sanè quæ vel præsentia sunt vel anteacta, populo R. enarres oportet, vt de ratione deliberet qua iniuriã vlcisci valeat, aut accepta detrimenta sarcire; quod futurum spectat tempus. Iam verò ijs quæ de

Huiusce narrationis stylus qualis.

narratione diximus, illud addiderim; huiusce narrationis stylum, sine dubio ab exordij stylo dissidere. Verè enim exordij, quod explanauimus, oratio ampla est, ornata, rotunda, magnifica, quæque sublimis generis atque scriptionis offerat formã. Contra verò huiusce narrationis dictio pressior est, simplex, breuis: quæq; mediocre, interdum etiam humile, dicendi genus non nihil refert. Veruntamen, quoniam non in Demonstratiuo genere versatur cui proposita est delectatio & admiratio, sed in Deliberatiuo, in quo perspicuitas requiritur maximè, improbanda non est, quin, si me 46 audias, laudanda: nam præterquam quod temperatum dicendi genus ac simplex in narratione exposcitur maximè, non secus ac magnificum percõmodè cadãt in exordium. Historici stylum ac dicendi genus cui affinis est Oratoris narratio (vterq; enim narrat) exprimit luculentè. Fateor Historicam quoque dictionem & narrationem non vnius generis esse apud omnes, quin interdum manare latiùs, sèque non parum attollere; sed tamen apud plerosque moderatis cõtenta est finibus. Ita fit vt membratim fermè dicant aut cæsim, circumscriptè perraro. Ex quo fit vt interim in Maniliano Exordio circumscriptæ orationis ac rotundæ nobis in primis appareat forma: in narra-

narratione membratim dicere doceamur & cirumſcriptè. Hæc de narratione tota. Nunc ad confirmationem progrediamur, quam ſic auſpicatur M. Tullius.

PARTICVLA III.

Cauſa quæ ſit videtis: nunc quid agẽdum ſit conſiderate. Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de Imperatore deligendo eſſe dicendum.

NArratione abſoluta; Tranſitione vtitur noſter Author, atque illa quidem rei de qua agitur aptiſſima, artificióque pleniſſima. Ait enim, *Cauſa quæ ſit videtis*, vt intelligamus iam cauſæ ſtatum, cuius gratia narratio *Iam ſuccedit Confirmatio.*
inſtituitur maximè, fuiſſe declaratum ac demonſtratum: & huc (ſi quoſdam audias) pertinet illud *videtis*; vt ſcilicet tacitè indicetur rem illis non tam narratam quàm ante oculos veluti poſitam eſſe. Quan-
47 quam fortaſſe ait *videtis*, quia cum ſummatim rem enarraſſet, fore ſperaret vt illi pro ſua prudentia quæ eſſet cauſa, iam ſatis animaduerterent. Addit verò, *Nunc quid agendum ſit conſiderate*, vt aditum aperiat tripartitæ quam è veſtigio proponit diſputationi, ac de ſingulis, quoniam pro ſingulis initia iecerat in narratione, verba faciat. Et ideo pergit, *Primùm mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de Imperatore deligendo eſſe dicendum.* Quo in loco nemo inde perturbetur quòd rerum dicendarum propoſi- *Tripartitam Ciceroproponit diſputationem.*
ſitio, quippe quæ ſeruit docilitati, pertineat ad exordium; ac propterea hîc alieno loco proponi videatur, nam generalis rerum propoſitio habetur illa quidem in exordio, vt docuimus; partitio verò eiuſdem Propoſitionis, ſi quæ ſit neceſſaria; tum in Exordio, tum poſt narrationem, prout ſcilicet locus tulerit & opportunitas; fieri & poteſt & debet. Quapropter, cum commodiùs caderet in hunc locũ in quo ex narratione deriuatur percommodè; & verò ſtatim per partes ſingulas diſceptatur, nihil eſt quòd ſuſpicemur fuiſſe in Exordio faciendam. Adde tripartitam hanc rerum dicendarum varietatem non tam Orationi vniuerſæ quàm confirmationi reſpondere.

Dum verò in tripartita iſta rerum dicendarum partitione de Genere belli ponit dicendum primo loco, per genus belli (ne id fallat quempiam) intelligit naturã & conditionem huius belli: num ſcilicet honeſtum ſit an turpe: ſed in primis num ſit vtile *Aggreditur ad primam partẽ quæ eſt de genere belli.*
ac neceſſarium inquam non abſolutè ſeu præciſè ac ſine exceptione vlla, quemadmodum neceſſarium eſt homini occumbere, ſed ex hypotheſi & ſuppoſitione quemadmodum loquuntur Scholæ: quia nimirum, ſi velit populus R. ſuam dignitatem atque
48 vtilitatem tueri huiuſmodi bellum ſuſcipiat neceſſe eſt. id quod moraliter adhuc & communi more & modo eſt intelligendum: quandoquidem nihil prohibet quominus forte fortuna Reipublicæ dignitas & commoda ſarciri poſſet aliunde: vt ſi Mithridates verbi cauſa interim a Glabrione interfectus eſſet, atque Aſia vniuerſa in Romani Imperij fidem confugiſſet, vel Mithridates ipſe ſponte ſuum ille Regnum ſeque ipſum populo R. ſubieciſſet: quod tamen optandum magis erat quàm ſperandum. Et ideo hoc bellum, vt ex hypotheſi, ita moraliter, cenſetur neceſſarium. Ita quidem primo loco ſibi proponit demõſtrandum hoc bello contineri populi R. ac ſociorum dignitatem & vtilitatem, ac ſummatim totius Romani Imperij incolumitatem, ac propterea non poſſe ſine dedecore ac detrimento prætermitti. Vtrum verò ſit magnum, ſecundo referuat capiti; quemadmodum de Imperatore deligendo, reijcit ad tertium. Hîc igitur primùm omnibus eloquentiæ neruis belli honeſtatem atque adeò neceſſitatem ſuadere nititur. Sed M. Tullium audiamus qui ſic pergit.



PAR-

PARTICVLA IV.

GEnus est enim eiusmodi, quod maximè vestros animos excitare, atque inflammare debet. in quo agitur Populi Romani gloria; quæ vobis à maioribus cum magna in rebus, tum summa in re militari tradita est. agitur salus sociorum, atque 49 *amicorum; pro qua multa Maiores vestri magna & grauia bella gesserunt. aguntur certissima Populi Romani vectigalia, & maxima: quibus amissis, & pacis ornamenta & subsidia belli requiretis. aguntur bona multorum ciuium, quibus est & a vobis & Imperatoribus Reip. consulendum.*



Aec primùm Cicero: quæ sanè Dialecticus sic exponeret. Bellum in quo tum Reip. dignitas, salus & vectigalia, tum sociorum ac Ciuiũ bona, continentur, suscipiendum est. hoc bellum est huiusmodi. Igitur suscipiendum est. Sed quoniam Orator a Dialectico inde maximè differt, quòd hic pressè disserit, ille (etsi alioquin adamat enthymemata) copiosè (ideo enim affirmabat Zeno Rhetoricam palmæ, Dialecticam pugno, esse persimilem) latiùs manat manabitque primum hoc argumentum. Ait igitur M. Tullius genus illius belli esse huiusmodi quod maximè illorũ animos excitare atque inflammare debeat. Id quod probat argumento ducto a gloria, a salute sociorum & amicorum, a vectigalibus, a fortunis multorum ciuium, quæ omnia agantur hoc bello. Sed dicamus de singulis, & agnoscamus Ciceronis eloquentiã & artificium: nam reuera quemadmodum ait debere hoc bellum eos excitare & inflammare, ita statim illis ingentes subijcit veluti faces vnde ad bellum illud suscipiendum excitetur & inflammetur.

Docet hoc bellum esse honestum, vtile, necessarium.
I.
a gloria.

Primò igitur ducit argumenrum a gloria præsertim militari. & rectè, quandoquidem Romanis gloria ac bellica maximè fuerat dux ad terrarum Orbis Imperium comparandum. etenim vel ab Romuli vsque temporibus ea inter Romanos fama percrebuerat, fore vt si militiam colerent, Terrarum Imperio potirentur. Id quod ex humano capite augures, nescio quo pacto, coniectarant, quod, Capitolij fundamenta dum foderent ac iacerent, inuenere. 50 Cum enim homo in cæteris animantibus dominetur, fore iudicarunt vt Romani in cæteras gentes dominatum obtinerent. id quod appositè non multò post Iulius Proculus sua authoritate apud vulgus confirmauit, dum gens illa Romuli desiderio teneretur, *Romulus*, inquit, *Quirites, parens Vrbis huius, prima hodierna luce Cælo repentè delapsus, se mihi obuium dedit. Cum perfusus horrore, venerabundúsque adstitissem, petens precibus, vt contra intueri fas esset, Abi, nuncia, inquit, Romanis, Cælestes ita velle, vt mea Roma caput Orbis Terrarum sit. Proinde rem militarem colant, sciántque, & ita posteris tradant, nullas opes humanas armis Romanis resistere posse.* Atque hac spe & cupiditate vel maximè adducti cum Carthaginensibus primùm tum cum reliquis gentibus dimicarunt. Itaque scitè Virgilius Iunonem introducit, quæ cum Carthaginensibus Mundi Imperium optaret, cruciatur, quòd illud Aeneæ posteris, hoc est Romanis, referuari nescio quo pacto audisset;

—— Hic illius arma,
Hic currus fuit; hoc regnum Dea gentibus esse,
Si qua fata sinant, iam tum tenditque fouétque.
Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci
Audierat, Tyrias olim, quæ verteret arces.
Hinc populum latè regem, bellóque superbum
Venturum excidio Libyæ; sic voluere parcas,

canit Virgilius de Carthagine & Romanis. Ac propterea cum Venerem, deinde illud cum Ioue conquerentem induxisset

Certè hinc Romanos olim voluentibus annis 51
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,
Pollicitus, quæ te genitor sententia vertit?

eundem Iouem fecit pronunciantem, Romanos post grauissima bella, fore rerum dominos.

His

His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi. quin aspera Iuno,
Quæ mare nunc, terráſque metu, cælúmque fatigat,
Consilia in melius referet, mecúmque fouebit
Romanos rerum dominos, gentémque togatam.

Atque hac etiam fortaſſe de cauſa illud de Pœnis cecinit Virgilius

Quo primùm iactati vndis & turbine Pœni
Effodere loco signum, quod Regia Iuno
Monstrarat, caput acris equi: sic nam fore bello
Egregiam, & facilem victu per ſecula gentem.

Crediderim enim verbis illis *& facilem victu*, quaſi ænigmate indicaſſe fore vt facilè vincerentur: idque ea de cauſa quòd inuentum equi caput id planè indicaret ſi cum inuento a Romanis hominis capite conferatur. Equus præſtat ille quidem bellica laude, ita vt ad bellum, vel Aristotele annuente, fictus a Natura videatur. Sed tamen facilè etiam ab homine domatur ac ſuperatur. Quod argumento eſſe poterat, fore vt Carthaginenſes etſi bello egregij (id quod accidit) vincerentur. Vt propterea minimè ſit dubitandum Romanos ſpe ab Heroicis vſque temporibus militaris gloriæ ſpe erectos hanc gloriam veluti hæreditariā poſteris reliquiſſe. Ait igitur M. Tullius in hoc
52 bello agi gloriam Populi Rom. quæ illi a maioribus cum alijs in rebus tradita eſſet ac veluti per manus conſignata, tum maximè in re militari: quaſi dicat fore turpiſſimū ſi quam illis in re militari ſummam gloriam reliquerant Maiores hanc non ſtrennè tuerentur. Et ideo paulò poſt, *Videte* (inquit) *ne vt illis pulcherrimum fuit tantam vobis Imperij gloriam relinquere, ſic vobis turpiſſimum ſit, illud quod accepiſtis, tueri & conſeruare non poſſe.* Secundo loco argumentum a ſalute ducit ſociorum, atque amicorum, pro qua Maiores item multa eaque magna & grauia bella geſſiſſent: quaſi dicat, niſi vellent a Maioribus degenerare, atque adeò hac quoque in re acceptam gloriam amittere, videndum eſſe ne ſocios atque amicos a Mithridate oppugnatos desererent, ſed fortiter pro eorum ſalute decertarent. At enim quæ bella pro amicis & ſocijs ſuſceperunt Maiores? Dicam duce ipſo M. Tullio, qui de hac re tota copioſè paulò poſt. Tertiò ducit argumentum a vectigalibus Populi Rom. iiſque certiſſimis ac maximis, quæ eſſent & pacis ornamenta & ſubſidia belli. Vbi cū a gloria, a dignitate & honeſtate, duxerit argumentū, iam argumentatur ab vtilitate: maxima verò & certiſſima appellat Aſiatica vectigalia, quia reuera eſſent copioſiſſima (id quod conſtabit non multò poſt) & verò præ cęteris tutiſſima. Quamuis non ea erant quæ neglecto hoc bello non poſſent non amitti. Alioquin nihil erat quòd vectigalium periculum commemoraret: ita vt comparatè, vel in pacatum ſpectans tempus, aut etiam Oratorio more, certiſſima nuncupentur. Certè in Oratione ſecunda contra Rullum negat vllum
53 vectigal eſſe certum ac tutum, niſi Campanum: quod oratorio more de Campano etiam pronunciauit, & vt ſeruiret cauſæ. nam Campanum quoque varijs iniurijs ac periculis erat obnoxium: erant autem vectigalia (ne id prætermittamus quod ad Romanorum vectigalium rationem maximè pertinet) alia ſtipendiaria, alia cenſoria. Stipendiaria illa erant quæ de victis nationibus iure belli imponebantur: erant enim tum victoriæ inditium ac præmium, tum ſumptuum qui in bello erogati eſſent aut prouincijs illis tutandis neceſſarij viderentur, ſubſidium. Cenſoria quæ ex alijs Prouincijs capiebantur: quæ in Vrbe per Cenſores publicanis locabantur. Atque huiuſmodi erāt Aſiatica quæ inter cenſoria & vberrima & certa, citra calamitatem tamen belli; cenſerentur. Vtrum autem vectigalia iurè appellentur ornamenta pacis & ſubſidia belli, & num pecuniæ ſint belli nerui, opportuniùs requiremus infra, vbi rurſus belli vtilitatem & pacis dignitatem vectigalibus ait contineri: aut etiam vectigalia Reipublicæ neruos cenſenda eſſe. Nunc enim in quadripartita Ciceronis ratiocinatione pergendum ne interpelletur oratio. Poſtremò ducit argumentum a bonis & fortunis multorum Ciuium, quibus omnino eſſet a Populo Rom. ac Reipublicæ moderatoribus, hoc eſt a Coſſ. & Senatu vniuerſo, diligenter proſpiciendum, intelligit autem tum Equites Romanos quos paulò antè dixerat pecunias in Aſiaticis vectigalibus occupaſſe, tum alios Ciues multos qui, quemadmodum indicabit poſtea, in Aſiaticis negocijs ſuas pecunias & fortunas cum fortunis & pecunijs Equitum coniunxiſ-

II. *a ſalute ſociorum & amicorū.*

III. *a vectigalibus quæ eſſent ornamēta pacis & ſubſidia belli.*

IV. *a fortunis Ciuiū Romanorum.*

iunxissent. quo argumento efficit rursus non posse Populum Rom. bellum illud negligere quin crimen subeat magnum ac detrimentum: cum tot ciuium fortunæ agantur ac periclitentur. Hæc sunt argumenta, quæ tanquam faces subijcit Populo 54
Rom. vt illum ad Mithridaticum bellum incendat. Quanquam vt singula hæc argumenta quæ aceruatim protulit, siue in vnum veluti fascem coniecit, maius habeant pondus, iam iam sibi eadem ex ordine expolienda, exaggeranda, vrgenda proponit sic pergens.

PARTICVLA V.

ET quoniam semper appetentes gloriæ præter cæteras gentes, atque auidi laudis fuistis, delenda est vobis illa macula Mithridatico bello superiore suscepta, quæ penitus iam insedit atque inueterauit in Populi Romani nomine; quod is, qui vna die, tota Asia, tot in Ciuitatibus, vno nuncio, atque vna literarum significatione ciues Romanos necandos, trucidandósque denotauit; non modò adhuc pœnam nullam suo dignam scelere suscepit: sed ab illo tempore annum iam tertium vigesimum regnat; & ita regnat, vt se non Ponto, neque Cappadociæ latebris occultare velit: Sed emergere è patrio regno, atque in vestris vectigalibus, hoc est in Asiæ luce, versari.

Proposita argumenta ex ordine exaggerat & vrget singula.



Voniam dixerat bellum illud esse eiusmodi vt deberet eorum animos inflammare, continuò vt illis quasdam veluti faces subijceret quibus te ipsa ad propositum bellum suscipiendum inflammarentur, rem illa egit ratione quæ a gloria Populi Rom. a salute amicorum & sociorum, a maximis Asiæ vectigalibus, a fortunis denique multorum ciuium, ducebatur. Qua ratione haud scio an acrior excogitari aut vrgeri posset vlla. Sed quoniam hæc interim strictim attigerat & cursim, atque in vnum veluti fascem (vt dicere cœperam) coniecerat, ita vt sigillatim ac distinctè explicanda viderentur, ecce tibi de singulis agit, ac distinctè singula expolit, exaggerat, amplificat. Primò igitur argumentum exaggerat quod duxerat a gloria Populi Rom. ac 55
propterea quemadmodum ibi dixerat. *Agitur Populi Rom. gloria, quæ vobis a Maioribus cum magna in rebus omnibus, tum summa in re militari tradita est*, hic in eadem insistens sententia, eos ait semper appetētes gloriæ præter cæteras gētes atque auidos laudis fuisse. Ex quo efficit delendam esse illis quam Mithridatico bello contraxissent maculam. Vbi non satis habet eos fecisse appetentes gloriæ atque auidos laudis, id semper ac præter cæteras gentes illis tribuit. Neque verò non exaggerat altiùs maculam Mithridatico bello susceptam. Nam penitus iam insedisse ait & inueterasse in Populi Rom. nomine. Quanquam, vt rem & declaret planiùs, & exaggeret altiùs, è vestigio qualis sit ea macula, enarrat, aitque Mithridatem vna die, tota Asia, multis in Ciuitatibus, vno nuncio atque vna literarum significatione Romanos Ciues necandos trucidandósque denotasse. Quibus verbis nihil aut clarius aut exaggeratius dici potuit, ita vt rem non tam narrare, quàm ante oculos ponere videatur. Denique, quemadmodum illud *in Populi Rom. nomine* quod est omnium gloriosissimo, & illud *insedit atque inueterauit*, quod est gloriam turpiter denigrauit, cum habet maximam; ita illud *Ciues Romanos, vno die, tota Asia, multis in Ciuitatibus, vno nuncio, necandos trucidandósque* 56
designauit, rem supra quam dici possit amplificat. Ait verò maculam illam susceptam esse Mithridatico bello superiore; quod est ante bellum a Lucullo, Murena & Sylla administratum, nimirum Q. Oppio Procos. & Cassio Aquilióque Legatis: de qua re tota diximus in argumento. & idcirco subdet Mithridatem ab illo tempore annum iam tertium & vigesimum regnare. Etsi enim iam quadragesimus ferè a belli primordio ageretur annus, ea tamen macula ante annum planè vigesimum tertium suscepta erat, cum scilicet Mithtidates Oppio Aquilióque captis in Asiam insultauit, ac Ciues Romanos omnes interficiendos curauit. De qua re sic Florus. *Primus statim impetus belli* (Mithridatici intelligit) *Bithyniam rapuit. Asia inde pari terrore correpta est.*

I. Quod ducebatur a gloria.

Vt ad gloriam tuendā Populū Rom. incēdat, exaggerat necē atque eam quā illi a Mithridate illatam.

Vbi & quo tempore illata; & qualis ac quāta fuerit.

li. 3. c. 5. p. 76. f. 77.

Nec

Nec cunctanter ad regem ab vrbibus nostris populisque descitum est. Aderat, instabat, sæuitia
quasi virtute vtebatur. Nam quid atrociùs vno eius edicto? quum omnes, qui in Asia forent Ro-
manæ Ciuitatis homines interfici iussit? Tum quidem domus, templa, & aræ, humana omnia at-
que diuina iura violata sunt. Sed hic terror Asiæ, Europam quoque regi aperiebat. Itaque missis
Archelao Neoptelomóque præfectis, excepta Rhodo, quæ pro nobis firmiùs stetit cæteris, Cy-
clades, Delos, Eubœa, & ipsum Græciæ decus Athenæ tenebantur: Italiam iam ipsámque vr-
bem Romam regius terror afflabat. Quanquam quoniam Florus strictim ingentem illam
Romanorũ attingit necem, præstat ex Appiano atque alijs obseruare Mithridatem,
vbi Asiam occupasset, ciues Romanos quotquot in ea essent, trucidandos curasse,
57 ídque Asiæ Satrapis per Vrbes singulas literis datis vt vna eadémque die Romanos
omnes atque Italos cum vxoribus & liberis trucidarent atque insepultos proijcerẽt.
Itaque centum & quinquaginta Romanorum millia inde interfecta scribit Plutar-
chus in Sylla. Sed vnius saltem Historici rem pleniùs explicantis recenseamus verba.
Appian. p.185.p. *Quo tempore Mithridates & contra Rhodios plures naues fabricauit, & Satrapis omnibus ciui-*
tatúmque magistratibus scripsit secretas literas, vt vniuersi ad eandem diem trigesimam inuade-
rent armis Romanos Italósque hospites cum vxoribus, liberis, cæterísque ingenuis domesticis, Ita-
lici generis: & occisos insepultos abijcerent: & bona eorum partim regi, partim percussoribus ce-
derent. per præconem etiam interminatus est mulctam cæsos sepelientibus, aut viuos celantibus,
præmijs propositis ijs qui latitantes tollerent, pollicitus seruo libertatem si herum occideret, debi-
tori verò creditorem necanti, dimidium debitæ pecuniæ. His clam ad omnes simul scriptis, vbi
statuta dies venit, variæ calamitatum species erant per Asiam, quarum aliquot indicabo. Hæc
& alia quibus quicquid Ephesi, quicquid Pergami atque alijs in locis miserè accide-
rit Romanis atque Italis, diligenter persequitur; illud concludens quod summam in-
p.186.p. dicat calamitatem *Tanto infortunio tunc per Asiam Romani Italique opprimebantur, vni*
pariter, & infantes, & fœminæ, imo etiam liberi seruíque, quotquot erant Italici sanguinis. Vn-
de satis apparuit non metu Mithridatis, sed odio Romanorum, Asianos prouectos ad tam imma-
58 *nia facinora.* Sic Appianus. Quanquam videndum esset num vno die & Asia tota id
contigerit quemadmodum affirmare videtur M. Tullius. Sunt enim qui vna die hoc
est eodem tempore, sed longiore paulò id contigisse velint, ídque in ea tantùm Asiæ
parte quam ille occupasset seu quæ illi obtemperaret. crediderim tamen vno planè
eodémque die cœptam vbique stragem, sic præcipiente Rege; pluribus tamen sub-
secutam atque perfectam: sic enim conciliare Historicos licet percommodè. Mira-
rer autem Ciceronem dixisse potiùs necandos trucidandósque designauit quàm ne-
cauit ac trucidauit, cum Mithridatis sæuitiam ante oculos ponere niteretur; præser-
tim verò quia reipsa trucidatos ex Historicis constat; sed tam ingens vulnus refrica-
re fortasse horruit, quòd interfectorum affines ac socios alloqueretur: & hac fortè de
causa ingentem numerum illum dissimulauit. nisi tamen dicas illud *Ciues Romanos*
magnum adhuc habere pondus: & hac fortasse de causa nullam cæterorum Italorũ
iniecit mentionem. Etsi enim ex Italis multi Romana Ciuitate donati essent, ac pro-
pterea inter Ciues Romanos censeri possent, multi tamen hac adhuc carebant præ-
rogatiua. Sed vt vt sit de Italis, interfectæ multitudinis numerum ea de causa reti-
cere potuit, quòd de illa, vt fama erat peruulgata; constaret satis, ac propterea facti
rationem, Mithridatis in quam astum, qui non facilè cognitus erat omnibus, malue-
rit commemorare vt inflammaret animos Populi Rom. Subdit verò hunc non mo-
dò adhuc pœnam nullam suo dignam scelere suscepisse, quia, etsi multis ac magnis
cladibus a Sylla, Murena, Lucullo, affectus fuerat, haud satis tamen pœnas tam in-
gentis dederat sceleris: præsertim verò quia ad extremum rursus in Asiam insulta-
uerat, ac Lucullo exercitum cæciderat. Et ideo pergit, *Regnat, & ita regnat, vt se non*
Ponto, neque Cappadociæ latebris, occultare velit: Sed emergere è patrio regno, atque in vestris
vectigalibus, hoc est in Asiæ luce, versari. vbi & rem mirificè auget repetitione illa nobi-
li, & eleganter alludit ad Ponti, & Cappadociæ situm qui depressius erat & obscurus,
59 simúlque solitudines habebat magnas. & ideo cum dixisset eum se se Ponto & Cap-
padociæ latebris occultasse; iam emergere illam ait, & in Asiæ luce versari.

At enim quî tandem res in hoc statu versatur M. Tulli, cum de Mithridate Mure-
na & Sylla triumpharit, Lucullus etiam maximas victorias reportarit? Huic igitur ta-
citæ percunctationi è vestigiò occurrit Cicero sic pergens.

PARTICVLA VI.

E Tenim adhuc ita vestri cum illo rege contenderunt Imperatores, vt ab illo insignia victoria, non victoriam reportarent. triumphauit L. Sylla, triumphauit L. Murena de Mithridate, duo fortissimi viri, & summi Imperatores: sed ita triumpharunt, vt ille pulsus superatúsque regnaret.

Propositũ iniuriã nõdum deletam esse.



Vibus verbis hinc excusat atque adeò commendat Imperatores illos, illinc docet, Mithridatem pulsum licet ac superatum, regnare. Atque hîc sanè licet animaduertere quàm fœliciter M. Tullius inter oppositos veluti scopulos iter tutus intendat, ac Syllam vno eodémque tempore Charybdímque dedisset. Si enim dissimulasset afflictum Asiæ statum ac pericula quæ imminebant Populo Rom. ægrè vnquã hunc in suam traduxisset sententiam. Contra verò si afflictum Asiæ statum & id quod erat penitus retulisset exaggerasśetque, verendum erat ne Imperatoribus illis ac Lucullo in primis inuidiam conflaret magnam. Quod sanè eò magis cauendum illi erat ac defugiendum, quòd non deerant qui opinarentur fore vt M. Tullius Lucullo obtrectaturus esset, Pompeio vt faueret. Cicero igitur, quippe bonus Ciuis & moderatus, Lucullo non modò non obtrectat sed fauet, laudationem de illo quoque instituens. Ita tamen vt mira dexteritate Asiaticam calamitatem sine vlla Luculli aut aliorum offensione quin aliqua cum laude indicet. Quo fiet vt Lucullo etiam præter opinionem laudato, Populum Rom. in suam sententiam traducat. Et idcirco etiam pergit.

PARTICVLA VII.

V Eruntamen illis Imperatoribus laus est tribuenda quod egerunt: venia danda quod reliquerunt. 69



Vius loci ac sententiæ vis, ne cui subdutior videatur; ea est, illis laus est tribuenda ex eo quod egerunt: venia danda ex eo quod reliquerunt: ita vt ea particula *ex eo* subintelligenda ac semel iterúmque cogitatione supplenda. At enim cur venia istis danda est?

PARTICVLA VII.

P Ropterea (inquit) *quod ab eo bello Syllam Respublica, Murenam Sylla reuocauit.*



T verè cum Marius Remp. acriter diuexaret ac Senatores insectaretur, Senatus Syllam reuocandum putauit. Tametsi fieri potuit vt Sylla triumphi incensus cupiditate, id curauerit. Certè Florus, *Sylla*, inquit, *in Asiam transgressus, Mithridatem opprimit: & debellatum etiam foret, nisi de Mithridate triumphare citò quàm verè maluisset.* Sed vt vt sit, certum est Syllam sic discessisse vt cum Mithridate pacem constituerit antea, atque hanc Populo Rom. honorificam. Constitutum est enim vt Mithridates qui Asiam, Bithyniam, Cappadociam occuparat, inde excederet, atque in Pontum fecederet, eo contentus Regno. Quin belli impensas Romanis persolueret, naues æratas LXX. omnibus ornatas Syllæ concederet. Atque his conditionibus Populi Rom. amicus ac socius appellaretur. Etsi Murena triumphi cupiditate pacem perturbauit; a Sylla enim in Asia cum duabus Legionibus Prouinciæ tutandæ non belli causa relictus erat. Itaque ipse a Sylla reuocatus est Gabinio misso. *lib. 3. c. 5*

Sed

61 Sed sint ista, verùm quid pro Luculli venia? Interim enim Syllam vnum ac Murenam memorat reuocatum. Sed cur Lucullo etiam venia sit danda, docebit paulò post ac luculentè docebit. Nunc se ad Mithridatem ipsum conuertit, vt quæ gesserit inter medio illo quod inter Murenam & Lucullum intercessit tempus, indicet. quam tem ipse etiam persequar si priùs pauca quædam resumpsero ac declarauero quæ ad latinitatem elegantiámue pertinent.

Primò igitur dum dicitur, *& quoniam semper appetentes fuistis gloriæ*, non ab re obserues aduerbium *quoniam* propriam quandam habere vim; vsurpatur enim in ijs de quibus constat vel quæ tanquam certa arripiuntur, ita vt non tam probet quàm sumat id quod subijcitur. Sic alibi Cicero, *quapropter, quoniam res in discrimen adducta est, ille pœnas Reipublicæ luat*. Et Terentius, *Quoniam nemini obtrudi potest, itur ad me*. Vbi nō probatur sed sumitur tanquam certum, rem in discrimen adductam, aut eam neutri obtrudi posse. Sic eleganter Propertius: *Expenduntur verba quædam.*

An, quoniam agrestem detraxit ab ore figuram

Iuppiter, idcirco facta superba Dea es.

ac fortasse hanc vocem vix vnquam apud bonos latinitatis Authores aliter inuenias vsurpari.

Superiore, elegantiùs teritur quàm superiori. Sic Cicero in Diuin. *Huic ego denuncio rationem esse mutandam, vt meliore & honestiore conditione sit*. Denique M. Tullius huiuscemodi comparatiua libentiùs hac vsurpat terminatione ac multò frequentiùs.

Vna die; fortasse non male hîc pro tempore diem vsurpes, quandoquidem dies in fœmineo genere frequenter significat tempus, vnde illa,

62 *Longa dies homini docuit parere Leones:*

& *Multa dies variúsque labor mutabilis æui*

Retulit in melius.

Veruntamen quoniam in fœminino quoque genere confunditur, tutius existimes hoc in loco diem pressa significatione pro die accipere quàm pro tempore: si quidē Mithridatis sęuitiæ designandæ & amplificandæ accidit commodiùs. Sed vt vt sit de Ciceronis consilio certum est non deesse ex Historicis, qui scribunt Mithridatem intra mensem id faciendum præcepisse: Cicero etiam paulò post *vno tempore* dixit, quod longiori quàm diurno aptetur non incommodè. Sed re ipsa, & qua ratione conciliari possit hæc varietas sententiarum diximus supra.

Denotauit, suspicor M. Tullium maluisse dicere trucidandos denotauit quàm trucidauit, quòd non sine infamia ad necem destinasset Ciues Romanos. Nam denotare infamare seu cum infamia designare interdum significat. Et huc pertinet quòd ciues illos inhumatos iussit proijci. Verè enim Romani tum propter dominandi cupiditatem vnde odiosi erant Barbaris, tum propter Barbarorum Regum fastum, infamia publicè traducebantur apud exteras gentes.

Regnat & ita regnat, repetitio elegans & nobilis, & verò amplificationi aptissima. Sic, *Vestros portus*, inquit M. Tullius, *atque eos portus quibus vitam & spiritum ducitis, in prædonum fuisse potestate*. Sic alibi: *Denuncio rationem illi esse mutandam, & ita mutandam vt meliore & honestiore conditione sit*. Eodem modo infra, *De Lucullo dicam alio loco, & ita dicam, vt neque vera laus ei detracta neque falsa afficta videatur*. Sed de hac re, & qui aptè vsurpetur hoc dicendi genus, dicam pluribus infra.

63 *Insignia*, qui triūphos interpretantur, præposterè interpretantur: etsi enim triumphus sit victoriæ signum, haud tamen Imperatores illi a Mithridate triumphum reportarunt, sed a Populo Rom. illis concessus est. Ergo ait ab illo insignia victoriæ nō victoriam reportasse, quia insignia ipsa, hoc est spolia, in primis verò militaria signa, vt arma, militares vestes, vexilla, & id genus reportarunt a Mithridate. Sic Virgilius

Mutemus clypeos, danaúmque insignia nobis

Aptemus —— Sic Sallustius, *cum fascibus atque aliis Imperij insignibus ad Manlium in castra profectus est*. Significat verò M. Tullius reportasse insignia non victoriam, quia victoria illis veluti è manibus elapsa est. Simile illud, *insignia virtutis multi etiam sine virtute assecuti sunt*. Sed redeamus vnde discessimus. *Reditur ad Mithridatem ac I. quod propositum fuerat argumētū.*

PARTICVLA IX.

Mithridates autem omne reliquum tempus, non ad obliuionem veteris belli, sed ad comparationem noui contulit; qui posteaquam maximas ædificasset, ornassétque classes: exercitúsque permagnos quibuscunque ex gentibus potuisset, comparasset; Bosphoranis finitimis suis bellum inferre simulasset; vsque in Hispaniam Legatos Ecbatanis misit ad eos duces, quibuscum tum bellum gerebamus: vt cum duobus in locis disiunctissimis, maximéque diuersis, vno consilio, ab vnis hostium copijs, bellum terra marique gereretur: vos ancipiti contentione distracti de Imperio dimicaretis.

Quæ hic de Mithridate, ad capita referuntur.



ANtequam de Lucullo dicat, vt eum perinde ac Syllam ac Murenam purget laudétque, redit ad Mithridatem, docétque qua bellum instaurauerit ratione, cum a Murena dimissus esset: atque hinc commodam Luculli celebrandi non modò excusandi ansam arripiet. Ait igitur primùm, Mithridatem omne reliquum tempus (quod
I. scilicet a Murenæ discessu ad Luculli aduentum intercessit) contulisse non ad obliuionem veteris belli sed ad noui comparationem. Vbi ea verba *non* 64
ad obliuionem veteris belli, vim habent maximam, ac multò plura indicant quàm exprimunt. Bellum enim calamitatibus plenissimum esse solet, ac sexcenta mortalibus affert detrimenta. Itaque Regibus ac Ducibus prouidendum est diligenter vt bello abiecto pacem amplectantur, atque illius detrimenta, quoad eius fieri possit, sarciant. Ita quidem & iudicia in Vrbes ac regiones sunt reuocanda, agricultura, mercatura instauranda ac tractanda, nuptiæ etiam celebrandæ, denique pacis artes ac studia, in primis verò liberales disciplinæ atque doctrinæ colendæ sunt, vt anteactæ calamitates obliuioni; quoad liceat, tradantur. Id tamen neglexerat Mithridates: qui cum omnia conferre debuisset ad obliuionem veteris belli, ac propterea illius detrimentis sic consulere vt acceptæ calamitates ac bellum ipsum obliuioni traderetur, ad noui se
II. contulit comparationem. Quapropter maximas statim ædificauit classes, vbi M. Tullius nobis veluti ante oculos ponit nauium numerum, sed in primis magnitudinem qua fieret vt classis tanquam ædificia referret maxima: easdem classes ornauit, quod est cum nauticis instrumentis, tum milite & armis instruxit, ornare enim sæpè valet instruere, vt ornare prandium. Quare *Iubere* (inquit Plautus) *meliùs est prandium ornari*: & Cicero *ornari telis* dixit, & *ornare conuiuium profusis sumptibus*. Addit exerci-
III. tus permagnos quibuscumque ex gentibus comparasse, vel quia Tyrones imbellésue Populos, vel quia mercenarios alienósque armasset. Subdit simulasse bellum Bo- 65
sphoranis inferendum. Vbi simulasse ait, non quòd alijs deinde, non ijs, bellum intulerit (nam Bosphoranos subegit oppidò) sed quia simularet se bellum parare aduersus Bosphoranos tantùm, cū pararet aduersus Populum R. etiam. Atque hinc est vt ob apparatus magnitudinē (præsertim quia terra maríque pararetur bellum) statim rumor emanarit ac percrebuerit in Romanos parari bellum, Et hac de causa, quia sci-
IV. licet re ipsa de Romanis inuadendis cogitabat; vsque in Hispaniam Ecbatanis legatos misit ad eos Duces quibuscum Populus Rom. gerebat bellum. Intelligit verò Sertorium & Perpennam, Marianæ factionis Duces: vel certè vnum Sertorium, etsi rem amplificat oratorio more. Legati verò fuerunt L. Fannius & L. Magius, Ciues Romani sed transfugæ. Num verò Ecbatanis eos miserit in Hispaniam, dubitatur, vel
V. quia aliqui codices habent *cum literis*: vel quia Legati non Ecbatanis sed Sinope missi sint in Hispaniā Cicerone Authore lib. 1. in Verrem. Mihi igitur prior lectio, Manutij pace, non displicet: neque enim video cur frigidè legati cum literis dicantur missi. quanquam enim haud negauerim per se satis intelligi legatos nō sine literis mitti, hîc tamen opportunè commemorari potuit eiusmodi Legatos cū literis missos, ne Pop. R. dubitare posset num reuera Mithridatis legati essent. Quòd si quem iuuet *Ecbatanis* legere, aut cū alijs *ab Ecbatanis* (neq;.n. inusitatū M. Tullio præpositionē Vrbibus addere Græcorū præsertim more) habet Manutium quem sequatur dum sic scribit.

Muta-

pag. 5. p. *Mutationis occasionem dedit ignorantia Vrbis Ecbatanorum, quæ Mediæ caput imperij facit, in di-*
66 *ctione Tigranis. de Media autem aliisque regionibus, victis Mithridate, & Tigrane, Pompeium*
triumphasse auctor Plutarchus: & quoniam non de Ecbatanis, sed de Sinope, Ponti Vrbe Regia,
mentionem Cicero facit, cum ait de Magio & Fannio: Hoc illi nanigio ad omnes populi Romani
hostes vsque ab Dianio, quod in Hispania est, ad Sinopem, quæ in Ponto est, nauigauerunt: potest
oriri dubitatio, quasi mendosum sit, Ecbatanis, cum Cicero de Sinope loquatur. in quo primum il-
lud respondeo, Magium & Fannium Ecbatanis profectos esse a Mithridate ad Sertorium, rursus a
Sertorio ad Mithridatem Sinopem venisse, deinde fieri potest vt amplificandi causa in hac oratio-
ne Ecbatana potiùs, quàm Sinopem nominare voluerit, ut eam Vrbem quò longiùs ab Hispania di-
staret. nec tamen impedio quin, utrum malit, lector sequatur: mihi quidem illud, Et literas, ut dixi,
languidum, & ociosum uidetur. Ecbatana autem, ut omittam, quod antiquorum librorum testimo-
nio comprobatur, ea quoque ratione placet, ut duo disiunctissima loca nominentur; Hispania, &
Ecbatana: quemadmodum duo quoque nominantur lib. 1. in Verrem Ab Dianio ad Sinopem.
Sic vir doctissimus. Sed cur obsecro in tam longinquam regionem legatos misit Mi-
thridates? explicat statim Cicero pergens *Vt cum duobus in locis disiunctissimis maximéque*
diuersis, uno consilio, ab unis hostium copijs, bellum terra marique gereretur, uos ancipiti conten-
tione distracti de imperio dimicaretis. Quo in loco Manutius pro *ab unis* reponit *binis*, sic
scribens. *Si sententiam consideres, si ueteres libros inspicias, non, Ab unis, sed, A binis legendum*
esse mecum senties. quomodo autem, Ab unis, cum non unus, sed hostes duo Populi Romani, Mithri-
67 *dates, & Sertorius, nec vno loco, sed duobus disiunctissimis bellum gererent? & sententiæ non mo-*
dò nis, verum etiam venustas quædam tanquam ex oppositis acquiritur, Vno consilio, a binis ho-
stium copijs. Sic Manutius. Et acutè, fortasse etiam verè. nam quæ statim sequuntur
verba id confirmare videntur luculentè, cum enim vnius partis idest Sertorianæ in
Hispania Pompeius, alteriúsque hoc est Asiaticæ Lucullus, sustulerit periculum, satis
constat binis copijs & disiunctissimis in locis hostes cum Populo Rom. dimicasse.
Quanquam fieri potuit vt quamuis re ipsa disiunctis locis copiísque pugnarint, illud
tamen molirentur vt copias, præsertim nauales, iungerent, ac propterea vnis copijs
quemadmodum vno consilio Italiam inuaderent. Id quod infra M. Tullius indicabit
non obscurè. Quod si ita est; nihil prohibet quominus commodè Manutij pace reti-
neatur vulgata lectio. De qua tamen alibi opportuniùs.

PARTICVLA X.

SEd tamen alterius partis periculum, Sertoriana, atque Hispaniensis, quæ multo plus firmamenti, ac roboris habebat: Gn. Pompeij diuino consilio ac singulari virtute depulsum est.



QVoniam significauerat Mithridatem cum Sertorio & Hispaniensi-
bus Ducibus Populi Rom. hostibus conspirasse, ostendit qualem hu-
iusmodi conspiratio aut periculum habuerit exitum. Ac priùs nos
docet de Hispaniensi: quod ait diuino Pompeij cõsilio singularique
virtute fuisse depulsum. Vbi sanè duo pronunciat quibus non tam
fortasse veritati (quanquam aliqua ex parte veritati etiam) quã Pom-
peij seruit laudi. Vnum est Sertorianum seu Hispaniense periculum fuisse maius quã
68 Mithridaticum seu Asiaticum: vtrunque enim fuit graue, fortasse etiam Asiaticum
grauius; cum quadraginta integros annos vexauerit Populum Rom. multis vtrinque
ac magnis acceptis cladibus. Ita vt non facilè statuendũ sit grauius fuisse Hispanien-
se, nisi grauius censeamr quòd Vrbi vicinius. Alterum quia reuera Pompeius sic de-
certauit cum Sertorio, vt potiùs huius vires labefactauerit quàm oppresserit. *Vno*
l.3.c.22. *Imperatore* (inquit Florus) *resistere res Romana non potuit: additus Metello Pompeius. Hi co-*
pias viri diu & ancipiti semper acie domitauerunt. Nec tamen priùs bello, quàm suorum scelere
& insidijs, extinctus. Itaque proditione amicorum veriùs oppressus est Sertorius, cum
adhuc strenuè resisteret Pompeio. Vt propterea vtrunque augere videatur M. Tul-
lius, Pompeio vt faueat: id quod satis indicant ea verba, *diuino consilio, singulari virtute,*
quibus rem auget mirificè.

Geminum, quod a Mithridate impẽdebat periculum, esse depulsum. S... primũ quidem Pompeij uirtute

PARTICVLA XI.

IN altera parte ita res a L. Lucullo summo viro est administrata, vt initia illa gestarum rerum magna, atque praclara, non fœlicitati eius, sed virtuti: hac autem extrema, qua nuper acciderunt non culpa, sed fortuna, tribuenda esse videantur,

Alterū. et si non omnis ex parte, a Lucullo.



Aec etiam vtcunque Luculli seruiunt laudi magis quàm veritati. Nam quæ præclarè gessit aduersus Mithridatem, & virtuti & fortunæ seu fœlicitati tribuenda sunt: quæ minùs fœliciter, fortunæ quidem pléraque, sed illius quoque culpæ, sunt ascribenda: nam reuera in Ponto, cum Mithridatem eiecisset, magnus cunctator factus est, ita vt milites eum admonerent non esse cunctandum sed hostes celeriter debellandum, quin etiam interim victorijs ac fœlicitate insolens ac superbus euasit. Quare 69 laudi ac virtuti simúlque fœlicitati tribuendum quòd ab Cizici obsidione recedentem Mithridatem assecutus, adeò cæcidit, vt Granicus & Asopus cruenti redderētur: criminique quòd Mithridates non modò ob exercitus auaritiam, verùm etiam ob ipsius Luculli cunctationem, dilapsus est. fœlicitati rursus & fortunæ quòd in Pontico mari regia classis tempestate fœda sit lacerata, *quasi Lucullus* (Flori verbis vtor) *quodam cum fluctibus procellisque commercio, debellandum tradidisse Regem ventis videretur.* Atque huc spectat quòd is qui ab initio propter animi moderationem ac bellicam vigilantiam militibus carus erat, tandem ob arrogantiam in odium inciderit. Quanquam rapinis etiam quas ingentes aliquando exercuit, non minùs quàm arrogantia, victorias denigrauit, donec ad extremum ingenti clade, etsi absens pauló, affectus, hinc etiam suam ille gloriam ac famam obscurauit. Tametsi triumphus ei tandem, Cicerone in primis Authore, concessus est. Ita quidem si non Plutarcho planè assentio, qui Luculli facta omnia, siue prospera velis siue aduersa, Fortunæ accepta retulit, scribens, *Fortuna cum Lucullo militauit, prosperásque semper auras præstitit: deinde huic semper vela in altum intendenti, repugnauit;* at certè ne cum Cicerone quidem consentio dum prospera vni Virtuti, aduersa fortunæ, attribuit. Tametsi vt dicebam, sic loquitur Cicero vt seruiat causæ, atque illorum in primis ora obstruat qui Ciceronem Lucullo obtrectaturum dictitassent. Sed de Lucullo opportuniùs non multò post Ciceronis vestigijs insistentes, qui pergit,

Flor. loc. cit. pag. 78 m.

Sed de Lucullo dicam alio loco, & ita dicam Quirites, vt neque vera laus ei detracta oratione nostra, neque falsa afficta, esse videatur. 70

Purgauit, magna etiam ex parte laudauit, Lucullum, quemadmodum Asiaticum periculum & cladem nuper acceptam fateri non dubitauit. Ita quidem mira dexteritate è duobus qui se se illi obijciebant, scopulis enauigauit & vtrunque fœliciter declinauit. Nunc a Lucullo rediturus ad Populum Rom. conclusione ac transitione pulcherrima vtitur, qua significat se de Luculli laudibus alibi copiosiùs (id verò faciet non multò post) dicturum esse, atque ita dicturum, vt intelligere quisque possit se nec de vera Luculli laude quicquam detraxisse, neque illi falsam laudem affinxisse. Vbi & ijs suam probat industriam qui verebantur ne Pompeij causa obtrectaturus esset Lucullo, & illis se moderatum ostendit qui subuereri interim possent ne Lucullo quem extollere cœperat, adularetur. Ita quidem reuertitur ad Populum Rom. sic pergens,

PARTICVLA XII.

SEd pro vestri imperij dignitate, atque gloria; quoniam is est exorsus orationis meæ, videte quem vobis animum suscipiendum putetis. Maiores vestri sæpè, mercatoribus ac naviculatoribus iniuriosiùs tractatis, bella gesserunt. vos tot Ciuium Romanorum millibus, vno nuncio, atque vno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis?

Admo-

Topulum Rom. admonet suis Mithridatem incitat adhuc bellicis Maiorum exemplis.



71 Dmonet, exaggeratis verbis, iisque dignitate plenissimis, Populum Rom. vt pro sui Imperij dignitate atque gloria videret quid statuendum esset. Vbi ait non *Imperij nostri*, quod tamen sine mendacio dicere licuisset, sed *vestri* vt magis exprimeret ipsius Populi Rom. dignitatem; addit etiam, *quoniam is est exorsus orationis meæ*, vt significet se vnam Populi Rom. dignitatem spectare & gloriam, atque huius gratia in eum locum venisse ac dicendi initium fecisse. Quanquam cum eo etiam consilio conscendisset rostra, vt de re tota sententiam exponeret suam, atque adeò consilium daret Populo Rom. continuò bellum Mithridaticum suscipiendum atque iniurias ab eo Rege acceptas vlciscendas suadet. Et quoniam id planè rationibus egerat hactenus, nunc certat exemplis, atque ijs ex Romanis antiquitatibus deriuatis. Ita quidem non modò Enthymematicus verùm etiam Paradigmaticus apparet M. Tullius. Et sanè rationes momentum non exiguum habere satis constat, euincunt enim fermè Auditores: sed tamen exempla delectant magis intelliguntúrque faciliùs, ita vt apud Populum plurimum valeant; præsertim verò si res non vnis agatur exemplis sed multis: si quidem inductio quædam gignitur quæ percommodè captat assensionem. Denique tum demum oratio copiosa videri debet cum vtrisque, tam inquam exemplis quàm rationibus, instruitur oratio. Ita quidem cum rationes a Populi Rom. gloria, a salute sociorum, a vectigalium periculo, a fortunis ciuium, duxerit; in præsens agit exemplis. Ducitur verò primum a bello quod sæpè suscepisset Populus Rom. vt suorum mercatorum ac nauiculatorum vlcisceretur iniurias: quod sanè exemplum a minori ducitur ad maius, vt satis constat. Quanquam obseruandū I. exemplum.

72 est Ciceronis artificium dum tantopere extenuat causam propter quam maiores suscepissent bellum. Nam susceperant illud propter mercatores, & nauiculatores, idque leuem ob iniuriam: illud enim iniuriosiùs minuit vt subduriùs, superbiùs & similia. Contra verò auget factum Mithridatis, qui Ciues Romanos, atque innumeros ferè, vno eodémque tempore, enecasset. Quo fit vt non possit Populus Rom. non turpiter Mithridatico bello supersedere. Et huc pertinet quòd illi non semel sed sæpè pro nauiculatoribus suscepissent bellum: quòd consultò id semper egissent ita vt consuetudine receptum esset: quasi verò longè turpissimum sit bellum Mithridaticum detrectare. Id autem quod de mercatoribus narrat, ac nauiculatoribus, quorum causa bellum susceptum est, iisdem ferè verbis commemorat in postremo libro in Verrem, *Quot bella* (inquit) *maiores nostros & quanta suscepisse arbitramini, quòd Ciues Romani iniuria affecti; quòd nauicularij retenti, quòd mercatores spoliati dicerentur?* At enim quæ tandem sunt bella quæ pro mercatoribus ac nauiculatoribus suscepit Populus Romanus? sanè eò turpiùs ignorentur quòd sæpè (inquit) hæc bella suscepisse. Et tamen silent Interpretes omnes. Quin Paulus Manutius hinc ad Verrinam prouocat, vbi tamen huc nos reijcit rursus; ita vt qualia aut quibúscum pro mercatoribus ant nauiculatoribus Romani gesserint bella, non explicet. An igitur bellum Piraticum spectat quod sæpè susceptum est? Certè M. Antonius primùm tum eiusdem Filius Piratas Populi Rom. nomine est insectatus: P. Seruilius eosdem profligauit, ita vt Isaurici (ob illorum scilicet Vrbem Isauriam veluti arcem deletam) appellationem inuenerit: post quos Pompeius ipse illos nuper toto mari cæciderat. Quo tempore, *Gellius* (inquit Florus) *Tusco mari impositus, Plotius Siculo, Gratillius Ligusticum sinum, Pompeius Gallicum obsedit, Torquatus Balearicum, Tiberius Nero Gaditanum fretum, quà primum maris nostri limen aperitur, Lentulus Lybicum, Marcellinus Ægyptium, Pompeij iuuenes Adriaticum, Varro Terentius Ægeum & Ponticum, & Pamphilium, Metellus Asiaticum, Cæpio ipsas Propontidis fauces, Portius Cato sic abditis nauibus, quasi portum obseruauit. Sic per omnis æquoris portus, sinus, latebras, recessus, promontoria, freta, peninsulas, quicquid piratarū fuit, quadam indagine inclusum & oppressum est.* Quod si reuera hæc bella non sigillatim pro mercatoribus & nauiculatoribus suscepta sunt, sed pro vniuersis hominum ordinibus ac propemodum pro Romano Imperio toto, quod veluti obsessum a Piratis fuerat; iam ad tribuendum M. Tullio vt pro mercatoribus & nauiculatoribus suscepta dicat bella, vt seruiat causæ ac Populum Rom. multò magis incendat contra Mithridatem: atque hinc est etiam vt ad rem extenuandam & argumentum a minori ad maius validiùs conflandum, dicat hos iniuriosè tractatos, cum tamen in Vetrina capios

Dubitatur quę hic bel la intelligat.

post med.

73 Flo. li. 3. cap. 6.

ptos fateatur ac spoliatos. Denique cum Romani quoque mercatores ac naticulatores in Piratas inciderint, hoc commemorat M. Tullius rei benè gerendæ causa, Ciues Romanos, Prætores, Legatos qui item in Piratas incidissent, (id quod fatebitur alibi) & capti essent, prætermittit. Neque fortasse dicendum est non hæc spectasse
M. Tullium, cum recens esset susceptum in Piratas bellum, quin superiore fermè an- 74
no a Pompeio confectum aut biennio ante, cum tamen hîc dicat Maiores sæpè bellum suscepisse, nam ante Pompeium (vt diximus) vterque Antonius & Seruilius Piraticum bellum administrauerant, Pompeius instaurauerat. Quòd si etiam Ciceronem pugnes in Illyricum seu Liburnicum bellum spectasse, cum regnante Teuca *Flo. li. 2.*
muliere Populi illi popularentur omnia, ita vt Romani Cn. Fuluio Centimalo Duce *cap. 5.*
bellum in eos gesserint, non omnino ab re sentias; verè enim Præfectos nauium Romanorum iniuriis affecerant. Sed tamen vnum bellum proferas non multa, nisi quid simile in primo Carthaginense bello contigisse dixeris; nam Romani in Sicilia Piratas etiam profligarunt L. Metello Prætore. Hæc interim obseruasse velim dum tutior aut plenior se se offerat explicatio.

PARTICVLA XIII.

Legati quòd erant appellati superbiùs, Corinthum patres vestri totius Græciæ lumen extinctum esse voluerunt: vos eum regem inultum esse patiemini, qui legatum Populi Romani consularem, vinculis, ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necauit?

Alterum exemplum. 
Lterum profert exemplum, atque illud perspicuum, quod item vrget a minori ad maius. Vbi extenuat acceptam a Legatis iniuriam, superbiùs dicens a Corinthis appellatos, quod est vtcunque superbè: cum tamen non modò superbè appellati verùm etiam sordibus, id quod reticet, fœdati essent, quas è tectis in eos proiecerant: contrà verò narrat Romanis solo Corinthũ æquasse; quam rem amplificat affirmans totius Græciæ lumen extingui voluisse: idque vt argumentum maiorem vim habeat & authoritatem. Tametsi verè deleuerant Corinthum, atque eam Vrbem quæ inter clarissimas numeraretur; ita vt ob eius claritudinem, illud manarit in vulgus *Non omnibus datum est adire Corinthum*. Atque hîc quidem, vt de huius nobilitate Vrbis at- 75
que adeò de tota belli euersionisque ratione cõster, lubet Flori verba describere quibus rem breuiter ille quidem sed accuratè descripsit. *Quasi secundum illud euersionibus* *Flo. li. 2.*
vrbium curreret, ita Carthaginis ruinam, statim Corinthos excepit, Achaiæ caput, Græciæ de- *cap. 16.*
cus, inter duo maria Ionium & Aegeum quasi spectaculo exposita. Hæc, facinus indignum, ante oppressa est, quàm in numero certorum hostium referretur. Critolaus causa belli, qui libertate a Romanis data aduersus ipsos vsus est. Legatos Romanos dubium an & manu, certè oratione, violauit. Igitur Metello ordinanti, cui, tum maximè Macedonia mandata est vltio, & hinc Achaicum bellum; ad primam Critolai manum, Metellus consul per patentis Elidis campos toto cecidit Alphæo. Et vno prælio peractum erat bellum, iam & vrbem ipsam terrebat obsidio: sed fato rerum, quum Metellus dimicasset ad victoriam, Mumius venit. Hic alterius ducis dignitate exercitum sub ipsis Isthmi faucibus fudit, geminósque portus sanguine infecit. Tandem ab incolis deserta ciuitas, direpta primùm, deinde tuba præcinente deleta est. Quid signorum, quid vestium, quidue tabularum raptum, incensum atque proiectum est? Quantas opes & abstulerit & cremauerit, hinc scias, quòd quicquid Corinthij æris toto orbe laudatur, incendio superfuisse comperimus. Nam æris notam preciosiorem ipsa opulentissimæ vrbis fecit iniuria, quia incendio perustis plurimis statuis atque simulachris, æris, auri, argentique venæ in commune fluxere.

Hæc Florus.

Nam de sordibus alij, 76

PAR-

PARTICVLA XIV.

ILli libertatem ciuium Romanorum imminutam non tulerunt, vos vitam ereptam negligetis? ius legationis verbo violatum illi persecuti sunt. vos legatum populi Romani omni supplicio interfectum inultum relinquetis?


Xaggerat proposita exempla, vel certè posteriùs exemplum, vrgens illud rursus a minori ad maius, quòd nimirum turpissimum sit mortem tot ciuium Romanorum non vlcisci, cum Maiores vlti sint imminutam libertatem ac verbo violatam legationem. *Exaggeratur vtrunque.*

PARTICVLA XV.

VIdete, ne vt illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperij gloriam relinquere: sic vobis turpissimum sit, illud, quod accepistis, tueri, & conseruare non posse.


Erorat, atque acutè elegantérque perorat, primum hoc de genere belli argumentum quod a gloria Populi Rom. ducitur. Admonens Populum Rom. de turpitudine ac dedecore quod subiret dum a maioribus acceptam Imperij gloriam non tueretur. Atque hinc ad secundum progreditur quod a salute Sociorum ducebatur ac pergit. *Perorat argumentum propositū.*

PARTICVLA XVI.

QVid? quod salus sociorum summum in periculum, ac discrimen vocatur? regno expulsus est Ariobarzanes rex, socius Populi Romani atque amicus, imminent duo reges toti Asiæ, non solùm vobis inimicissimi, sed etiam vestris socijs atque amicis.


77 Esumit igitur argumentum quod non ita pridem duxerat a salute sociorum cum diceret, Agitur salus Sociorum atque amicorum pro qua multa maiores vestri, magna & grauia bella gesserunt. Et ideo hîc salutem sociorum summum in periculum vocari ait. At enim qui tandem sunt socii qui summum in periculum adducūtur? Ariobarzanem Regem profert Cicero quem Populi Rom. socium atque amicum appellat. Quanquam, quoniam non satis hinc constabat sociorum salutem in discrimen vocari cum vnus Ariobarzanes proferretur, Asiæ vniuersæ ciuitates ac Populi Rom. amicas profert, quibus Græcas etiam adiunger. Quod vt exaggeret altiùs, ait imminere (quasi verò ceruicibus iam iam manus iniicerent) non vnum sed duos Reges, nec vni Vrbi, sed toti Asiæ, eosdémque non modò Populi Rom. sed sociorum & amicorum (atque hinc efficit agi omnino salutem sociorum) inimicissimos. Et quanquam exaggeratè satis rem declarauerat, addit tamen. *Exaggerat argumētū, quod a salute ducebatur sociorum.*

PAR-

PARTICVLA XVII.

Ciuitates autem omnes, cuncta Asia, atque Graecia, vestrum auxilium expectare propter periculi magnitudinem coguntur: Imperatorem a vobis certum deposcere, cum praesertim vos alium miseritis, neque audent, neque se id facere summo sine periculo posse arbitrantur.



VBi Graeciae periculum coniungit cum Asiatico, atque ab omnibus Populi Rom. auxilium expectari ait propter periculi magnitudinem. At enim quale tandem expectant auxilium? Pompeium sanè, & ideo Imperatorem certum deposcunt: tametsi cum alius missus sit, nimirum Acilius Glabrio, non audent rem apertè denunciare, neque verò id sine magno periculo possunt; ne scilicet apud Glabrionem offendant.

PARTICVLA XVIII.

In Pōpeij laudes è re nata excurrit.

Vident & sentiunt hoc idem quod & vos, vnum virum esse, in quo summa sint omnia, & eum propè esse, quo etiam carent agriùs: cuius aduentu ipso, atque nomine, tametsi ille ad maritimum bellum venerit, tamen impetus hostium repressos esse intelligunt ac retardatos. 78



AD Pompeij qui experebatur laudes descendit, haud veritus affirmare vnum esse in quo summa sint omnia. Id quod docebit non multò post, vbi excellentes omnes Imperatoris virtutes in eo agnoscet ac celebrabit. Atque hoc inquit Asiam ac Graeciam carere aegriùs, quòd non longè absit: (erat enim in Cilicia cum exercitu vbi Piratico bello finem imposuerat) & ideo ait eius aduentu atque nomine audito, impetus hostium esse repressos ac retardatos, tametsi non contra Mithridatem aut Tigranem & ad Asiaticum bellum sed contra Piratas & maritimum venerit.

PARTICVLA XIX.

Hi vos, quoniam liberè loqui non licet, tacitè rogant, vt se quoque, sicut caeterarum prouinciarum socios, dignos existimetis, quorum salutem tali viro commendetis.



REuera in Piratico bello caeterae fermè omnes Prouinciae fuerant Pompeij fidei commissae & commendatae: qui propterea in eis praesidia collocauerat, atque ab Herculis columnis (hoc est extremis Europae finibus) ad Ciliciam vsque bellum administrauerat. & ideo iurè Asia Pompeio suam salutem postulat commendari; tacitè tamen, vt diximus, ne offendat apud Glabrionem.

PARTICVLA XX.

Atque hoc etiam magis quàm caeteros, quòd eiusmodi in prouinciam homines cum imperio misimus, vt etiam si ab hoste defendant, tamen ipsorum aduentus in vrbes sociorum non multum ab hostili expugnatione differant. 79

Asiae


Siæ postulationem eò iustiorem esse ostendit, quòd anteácto tempore eos fermè habuisset Imperatores ac Duces qui Prouinciam veriùs expilassent, quàm tutassent, ità vt eorum aduentus ab hostili incursione & expugnatione vix differre videretur: ac propterea æquum esset vt nunc tandem ei viro committeretur qui abstinens esset ac moderatus, quod est Pompeio viro temperatissimo atque iustissimo. Hîc verò inuestigandum esset, quos dicat in Asiam cum Imperio missos, quarum aduentus non multùm ab hostili expugnatione differret. Sed de hac re opportuniùs infra vbi totum hoc argumentum prosequitur copiosè.

PARTICVLA XXI.

HVnc audiebant antea, nunc præsentem vident, tanta temperantia, tanta mansuetudine, tanta humanitate, vt ij beatissimi esse videantur, apud quos ille diutissimè commoratur.


Vrsus se se in Pompeij effundit laudes, hunc vnum Asiaticis & optatum & ad eos beandos veluti fictum ostendens, apud eos dum tamen diutissimè commoraretur. Hæc Cicero ad secundum de genere belli argumentum explicandum & amplificandum, quod ducebatur a salute sociorum. Tametsi idem exemplis iam iam confirmabit perinde ac primum.

Interim tamen vnum obseruare iubet quod ad amicos pertinet ac socios Populi Rom. de quibus agebamus. etenim miretur facilè quispiam cur M. Tullius Ario- *Dubitatur*
80 barzanem ac Reges promiscuè recenseat inter Populi R. socios siue amicos, cum par esset Reges, præsertim potentes & claros, nobiliore loco ac nomine haberi ac numerari. nam amici aut socij quin etiam Ciues Romani nomen libertinis etiam atque infimæ notæ hominibus concedebatur, ita vt Romani ciues, ac Populi Rom. Amici ac socij, dicerentur. denique plebeij quique, dummodo non essent, serui nec inter mancipia numerarentur, hoc nomine dignabantur. Ergo obseruandum est, Romulum cum primum Reip. siue Vrbi ordinandæ atque in primis potentia ac dominatu augendæ conuerterit animum, illud in primis sibi faciendum putasse vt quos Populus R. iubigeret Imperio, hos Ciuitate donaret. Ex quo factum est vt breui mirificè augeri cœpta sit tum Vrbs, tum Vrbis potentia. Atque hunc sanè morem, quippe Romano Imperio propagando aptissimum, cæteri deinde Reges, præsertim Tullius Hostilius & tres sequentes, coluere; ita vt aduenis crescentibus, Vrbem adhuc magis ac magis dilatare necesse fuerit. Atque idem mos a Consulibus deinde retentus est diligenter; ita tamen vt progressu temporis varij eorum extiterint ordines & gradus qui inter Romanos Ciues aut amicos numerarentur. Ac primus quidem ordo illorum erat qui Vrbem colerent aut saltem suburbana: dummodo enim non inter Mancipia censerentur, sed saltem libertini essent, inter Romanos numerabantur. Etsi enim non facilè inter nobiles censerentur (alia enim erat Senatorij, aut equestris ordinis ratio) censebantur tamen inter ciues Populúmue Rom. Alter eorum erat ordo qui licet indigenæ non essent, in Vrbem tamen prærogatiua aliqua introducebantur & inter

Respondetur: ac simul varij Ciuium Romanorum aut Populi R. amicorũ ordines cõmõstrãtur.

81 Ciues recipiebantur. Tales fuerunt Sabini multi, Albani, Latini, Hetrusci, atque alij quibus tempore procedente in Vrbe sedes concessa est. Atque ijs sanè ius suffragij concedebatur, ita vt in Comitijs per curias, aut tribus aut centurias ferrent suffragium. Qui sanè omnes plenissimo iure Ciues Romani censebantur, ita vt nec capite plecti possent (id quod lege Plotia & Sempronia decretum fuit (nec virgis cædi, nec vinculis tradi, nisi iubente Populo. Tertius eorum erat quibus ius municipij concedebatur. Cum enim non incolerent Vrbem, municipum ciues appellabantur ac municipales: atque ij cum suffragio plerique eóque vario, aliqui sine suffragio, ciuiũ obtinebant nomen: meritorum enim & antiquitatis habebatur ratio, atque hinc etiã ad suffragia admittebantur decursu temporis. Atque ij sanè suis vtebantur legibus, cum

cum superiores Romano more ac iure vterentur. Succedebat quartus ordo qui erat coloniarum. Cum enim Populus Rom. Vrbem aut Prouinciam aliquam subigeret optarétque eam in fide atque officio continere, eò ex Romana multitudine certum numerum sub Censore trasmittebat, agrum illi distribuens, ac præsidij causa tanquã in statione ciues illos ibi collocabat. Ita tamen vt Romanis legibus degerent, ac pleno iure suffragium ferrent. Quibus colonijs in Latio primùm & Italia tum verò extra Italiam vsi sunt; ita vt innumeræ ferè ad Augusti vsque tempus Romanæ Coloniæ numerarentur: quæ sanè primarum instar vel Romanæ vel Latinæ censebantur. Tametsi aliquos contigit Populos inter Colonias referri quantumuis nulli eò Populi ex Vrbe aut aliunde submitterentur. Cum enim præsiderent illis nationibus, honoris causa illas inter Romanos Ciues iure Latino aut Romano recipiebant. Itaque ex Transpadanis multi, præsertim Veneta Prouincia; hoc nomine Coloniæ nomen ac ius adepti sunt. Ita vt aliquæ Vrbes ad Magistratus omnes, etiam ad Consulatum, haberent aditum. Postremo loco Præfecturæ numerabantur aut fœderatæ Vrbes. Qui enim longè in primis aberant nec frequentarent Vrbem, ij fœdere iungebantur, ac fœderati & amici aut socij appellabantur. Quo fiebat vt sese iuuarent mutuò, atque in populi Rom. fide esse dicerentur. Quòd si in Vrbe pro nationis suæ negotiis expediendis præfectos haberent, ij ciues inter Præfecturas recensebantur. Hinc fiebat vt Ariobarzanes ac Reges multi, quoniam longiùs ab Vrbe regnarent, nisi amicorum ac fœderatorum seu sociorum non referrent nomen, quantumuis libertini etiam eodem nomine censeri possent. Vt nil mirum a M. Tullio huiusmodi Reges promiscuè cum cœteris inferioris ordinis populis aut ciuibus amicos ac socios appellari. Adde quòd talis erat ac tanta Populi Rom. maiestas vt non vile esset apud Reges amici nomen aut socij. Certè Mithridates, Rex sanè maximus idémque superbissimus, cum pacem, Sylla authore, constituisset cum Populo Rom. se Populi Rom. amicum appellari tulit non grauatè. Sed pergamus. 82

PARTICVLA XXII.

Quare si propter socios, nulla ipsi iniuria lacessiti, maiores vestri cum Antiocho, cum Philippo, cum Aetolis, cum Pœnis bella gesserunt: quanto vos studio conuenit iniurijs prouocatos, sociorum salutem vnà cum Imperij vestri dignitate defendere?

Propositũ argumẽti sic concludit, vt exẽplis illud de more cõfirmet.



Secundam hanc partem sic cõcludit, vt exemplis etiam confirmet bellum contra Mithridatem suscipiendum esse. Quod sanè dum facit, a minori quoque ad maius vrget exempla quemadmodum fecerat antea. Eo tamen differt, quòd ibi exempla distinctè, hîc aceruatim, vsurpat. Si igitur (inquit) Maiores vestri pro sociis bella gesserunt cum Antiocho, cum Philippo, cum Aetolis, cum Pœnis, licet ab iis nulla ipsi essent iniuria lacessiti; quanto magis vos conuenit socios tueri aduersus Mithridatem a quo maximis iniuriis pronocati estis? præsertim verò (atque hîc aliud item argumentum offert quod perinde atque alterum a minori ad maius vrgeri possit) cum hinc vno eodémque tempore vestri Imperii dignitatem vobis tueri liceat. Sic M. Tullius. 83

Bellum verò gessit Populus Rom. cum Antiocho pro sociis hoc est pro Græcis. Cum enim Antiochus Lysimachiam Vrbem sibi ademptam repeteret, Græciam inuasit. Itaque Populus Rom. vt socios tueretur; misit cõtra Antiochum Attilium Glabrionem, a quo ille in Euboæa Insula victus & fugatus est. Deinde verò, cum ille renouasset bellum, ab Aemilio Regillo mari superatur, ita vt in Asiam profugerit longiùs: vbi tandem a Scipione Asiatico, cui Africanus Legatus aderat, vincitur: tametsi postremo hoc bello multis Regibus septus esset, ita ut trecenta peditum millia duceret, equos etiam, elephantos, falcatos currus non paucos. *Flor. lib. 2. c. 8.*

Cum Philippo autem (fuit hic non Alexandri sed Persis pater) bellum gessit pro

Athe-

Atheniensibus quidnm ab eo infestarentur, à Romanis opem implorarunt. Itaque Leuinus primò, tum T. Flaminius mittitur qui Græciam in libertatem restituit.

Flo. li. 2. cap. 7. Flo. li. 2. cap 9. Iam verò cum Aetolis bellum gessit Populus Rom, Fuluio nobiliore Duce, quòd Antiochum solicitassent aliquando etiam inuasissent contra Græcos; ita vt pro socijs vna eadémque de causa bellum suscepisse dicatur contra Aetolos & Antiochum: licet eos aliquando post vltus est.

84 Denique cum Pœnis primo bello decertarunt Romani propter Messanos, deinde in secundo propter Saguntum, in tertio propter Massinissam & Numidas. In primo Appius & Duillus, in altero Fabius in primis, Scipio in tertio, bellum administrauit.

Hîc tamen sunt qui M. Tullium instimulent, quasi verò præpostero differat ordine ac perturbato. Et sanè cum Populus Rom. priùs cum Pœnis quàm cum Antiocho vel Philippo aut Aetolis bellum gessisset, antea etiam cum Philippo quàm cum Antiocho, quid est cur ordine contempto, Antiochum primo commemoret loco, Pœnos postremo? Certè quemadmodum tempus est custos, sic ordo est lumen Historiæ, Denique cum hoc in loco Historicum ageret Cicero non minùs quàm Oratorem, rationem temporum contemnere haud potuit sine crimine. Ego verò in quò isti Ciceronis requirunt industriam, eam & agnosco & admiror. Etenim Populo R. suadebat vt aduersus Mithridatem, hoc est potentissimum Regem, bellum susciperet. Cum igitur id iam exemplis ageret, præstabat longiùs Regem eúmque potentissimum primo loco proferre, ac Regem cum Rege conferre, vt exemplo maius accederet pondus: hinc enim licebat commodiùs ad arma impellere Populum Rom. cû *Dubitatur* *Respondetur.*

85 audiret amicorum quoque causa Maiores contra Antiochum qui potentia Mithridati haud inferior fuerat, bellum gessisse. Et hac de causa Philippum quippe Regem secundo numerauit loco: tametsi cum hoc bellum suscepisset antea; præstabat enim potentissimum illum Regem commemorare priùs, Philippum verò quoniam non tam facilè cum Mithridate conferri poterat, Antiocho adiungere argumenti siue Oratoriæ inductionis augendæ gratia: & ideo Pœnos coniecit ad extremum. Etsi enim primum & secundum bellum Punicum antecessisset Antiochum, tamen non aduersus Regem vllum sunt hæc administrata, sed contra Remp. Hæc vt istis satisfaciam, vel potiùs vt ostendam fuisse reuera vt M. Tullij solertiam & artificium probarent in quo illud requirunt & arguunt. Vt omittam esse quidem Oratori rerum gestarum monumenta versanda vt inde exempla colligat ad fidem faciendam, nô ostentanda. Et ideo videndum fuit non tam quo ordine recenserentur exempla ista, quàm vt appositè & ad fidem faciendam accommodatè recenserentur.

Magis commoueret dum profitetur M. Tullius Populum Rom. cum ijs bellum gessisse non sui sed sociorum causa. nam reuera Populus Rom. cum ijs perinde ac cû cæteris bellum susceperat dominandi cupiditate & æstu gloriæ. Cum enim Italiam occupasset, cogitare cœpit de dominatu dilatando, atque adeò, si fieri posset, Imperio Terrarum Orbis occupando: dignum enim se existimabat cui cæteræ gentes obtemperarent: Imò verò ab Romuli vsque tẽporibus (id quod iam antea docuimus) *Dubitatur rursus.*

86 fama quædam inter Romanos manauerat, Romæ Mundi Imperium Fato quodam deberi ac parari, atque armis planè comparandum, quemadmodum Proculus Iulius edixerat pro concione. Atque huius veluti oraculum vel quòd gratissimum esset, vel quòd superstitioso illi Populo credibile videretur, cum ad posteritatem manauit tum verò ad militiam colendam ac Mundi Imperium affectandum Romanos incendit. Itaque Italia occupata, nihil antiquius habuit Populus Rom. quàm vt mare traijceret, Siciliam & Africam occuparet, atque inde ad Europam reliquam atq; Asiam arma conuerteret; libidine scilicet dominandi & imperandi incensus. Quæ cum ita sint, quid est quòd M. Tullius Romanæ Vrbis ambitionem dissimulet, & grauissima illa bella amicorum tantùm causa suscepta fuisse dictitet? Quanquam hic quoque vbi concessero gloriæ ac dominatus cupiditate Romanos tot bella suscepisse, illud etiam affirmabo, amicorum quoque gratia sæpissimè decertasse: sæpè etiam iniurias, si quas inferret cæteris populis, iustitiæ nomine cohonestasse, quasi verò amicorum causa gentes armis appeteret: id quod sigillatim accidit cum Antiocho & cæteris illis. nam cum Pœnis primùm propter Messanos amicos, tû propter Saguntinos amicos item & fœderatos, videri voluit bellum suscipere: cum Philippo item propter *Respondetur.*

amicos Athenienses; cum Antiocho & Aetolis propter reliquam Græciam; ita ut dominandi libidinem amicitiæ officijs respergeret. Etsi alioquin M. Tullius, quippe qui non tam Historicum agit quàm Oratorem, vt seruiat causæ, Romanorum cupiditatem non ægrè dissimulet.

PARTICVLA XXIII.

Præsertim cum de vestris maximis vectigalibus agatur, nam cæterarum prouinciarum vectigalia Quirites tanta sunt, vt his ad ipsas prouincias tutandas vix contenti esse possimus. Asia verò tam optima est & fertilis, vt & vbertate agrorum, & varietate fructuū, & magnitudine pastionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur, facilè omnibus terris antecellat. 87

III. *Exaggerat argumē tū, quod pertinet ad vectigalia.*

AD tertium argumentum expoliendum aggreditur, quod pertinet ad vectigalia. Cum enim dixisset prius, aguntur certissima Populi Rom. vectigalia & maxima, tum subiecisset iis contineri subsidia belli & ornamenta pacis; quod est Imperij salutem ac dignitatem; hic rem iisdē ferè verbis (strictim tamen) resumit, vt auditoribus faciliùs in mētem recurrat. Coniungit autem totam hanc rem cum superiore argumēto (id quod vox illa *præsertim* indicat) vt taciè à minori ad maius, prout semel atque iterum modò fecerat, argumentetur; quasi diceret, Si Maiores vestri cum Antiocho ac cæteris illis dimicarunt sociorum causa, ac nulla ipsi iniuria lacessiti; quanto vos studio conuenit socios tueri contra Mithridatem, cum eodem tempore vestris vectigalibus quæ in maximo periculo versantur, prospicere liceat? ex quo fit vt huiusmodi argumentum, quoniam ab vtilitate ducitur eáque maxima, momenti sit maximi. Dicit enim apud populum, qui vtilitatis aculeis multò magis quàm honestatis incitari solet. Hic tamen Cicero è vestigiò dubitationi occurrit quæ a Pop. Rom. afferri potuisset. Quid est enim quòd tanti facias Asiatica vectigalia? an non Siciliæ, Sardiniæ, Hispaniæ, Africæ, aliarúmque Prouinciarum integra sunt vectigalia, quibus & pacis ornamenta & belli præsidia retineamus? Minimè verò, inquit M. Tullius. Nam cæterarum Prouinciarum vectigalia tanta sunt, vt his ad ipsas Prouincias tutandas vix contenti esse possimus, Asia verò tam opima est & fertilis, vt & vbertate agrorū, & varietate fructuum, & magnitudine pastionis, & multitudine earum rerum quæ exportantur, facilè omnibus terris antecellat. Sic M. Tullius. Quo argumento efficit contendum vt Asiatica vectigalia conseruentur vel maximè. Atque hic quidem dum ait M. Tullius, *Cæterarum Prouinciarum vectigalia tanta sunt*, obseruandum verba illa *tanta sunt*, minuere non augere. Etsi enim passim augere solent, vt cum dicimus, tanta Vrbs, tantæ molis, tantus Imperator, in tantis malis (significat enim in tam magnis & in vniuersum magnitudinem) interdum tamen minuendi vim habent. Sic Cæsar, *Præsidij tantum est, vt ne murus quidem cingi possit*: & rursus, *Tantum nauium reperit, vt angustè quindecim millia militum transportari possent*. Cœlius etiam apud Ciceronem, *Aut non erit istic bellum, aut tantum erit, vt vos paruis additis copijs, sustinere possitis*. Ac Cicero ipse, *Onera* (inquit) *tuorum, si tanta sunt, vt ea sustinere possis, nil gloriosius*: vbi *si tanta sunt*, valet si tam leuia sunt aut moderata: & ideo sequitur, *sin maiora, considera ne in alienum tempus cadat aduentus tuus*. Sic igitur in præsentia *tanta sunt* valet *ita exigua*.

Iam verò, dum tantopere Asiam eiúsque vectigalia ornat Cicero extollítque satis intelligitur laudationem ad genus deliberatiuum vtiliter reuocari, & verò ad res quoque sensus expertes traduci. Etsi enim genus demonstratiuum dicitur in certæ personæ laudatione versari, ad Prouincias tamen, ad Vrbes, ad virtutes & id genus alia multa traduci solet. Sic in quarta Verrina Siciliam & in Oratione 2. de lege Agraria, agrum Campanum ab vbertate mirificè laudauit.

Dum

Dum verò ait vbertate agrorum, varietate fructuum, magnitudine pastionis, ac multitudine rerum quæ exportantur, excellere Asiam, ea sigillatim attingit per genera quæ ad Asiatica vectigalia pertinebant: de quibus, ne eadem repetere cogamur, paulò post copiosè.

PARTICVLA XXIV.

ITaque hæc vobis prouincia Quirites, si & belli vtilitatem, & pacis dignitatem sustinere vultis, non modò a calamitate, sed etiam a metu calamitatis est defendenda. nam cæteris in rebus, cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur: at in vectigalibus, non solùm aduentus mali, sed etiam metus ipse affert calamitatem.



Ogit argumentum quo suadet Asiæ vectigalia esse conseruanda: quæ appellat belli vtilitatem & pacis dignitatem, in ijs insistens quibus eadem appellauerat subsidia belli & ornamenta pacis. Vbi sanè quoniam obijcere potuisset quispiam nihil esse quòd tantopere commoueretur, cum in uectigalia Romanorum nulla adhuc irruptio facta esset a Mithridate, nec detrimentum accepissent vllum, docet vectigalia non modò a calamitate sed etiã a metu calamitatis esse defendenda. Id quod non minùs acutè demonstrat quàm verè. nam cæteris in rebus (inquit) tunc ferè detrimentum accipitur cum venit calamitas (id quod in eluuionibus, exustionibus,
90 morbis & si quid huiusmodi licet animaduertere) & in vectigalibus non solùm aduentus mali, irruptio inquã hostium aut latronum, verùm etiam periculum ac metus ipse affert calamitatem. Quam rem confirmat statim seu declarat pergens.

PARTICVLA XXV.

NAm cum hostium copia non longè absunt, etiam si irruptio facta nulla sit; tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum nauigatio conquiescit. ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal conseruari potest. quare sæpè totius anni fructus vno rumore periculi, atque vno belli terrore amittitur.



T rectè: experientia enim ipsa docemur sæpè etiam falso aduentantis hostis rumore Vrbes deseri; tantum abest vt ager custodiatur. vt propterea verum periculum, dum licet, declinare omnino oporteat: cum periculum ipsum ac metus totius anni fructus auferre ac summatim detrimenta maxima gignere soleat.

Hinc verò licet animaduertere olim vectigalia Romanorum, præsertim in Asia, tripartitò fuisse distributa: alia enim ex portu capiebantur vnde portorium dicebatur vectigal, & qui præessent portitores: alia ex agro & cultura, atque hæc decuma dicebantur, exactores verò decumani: alia denique ex pascuis vbi scripturarij dicebantur qui præerant, quod scriptura conficeretur, & pro scripturæ ratione vectigal colligeretur. Et ideo ait *pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum* *De Romanorũ vectigalibus, præsertim Asiaticis.*
91 *nauigatio conquiescit*: quibus verbis tripartita illa vectigalium designatur ratio: quæ explicatiùs adhuc declaratur dum è vestigiò subiicitur, *ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal conseruari potest*. Crediderim autem scripturam non cuicunque vectigali adhibitam sed pecuariæ tantùm. Nam cum agriculis infinitum fuisset opus scripturam conficere, & verò minùs conueniens, cum ager non esset Populi Romani, sed Asiaticorum, qui tamen pro agri aut fructuum seu census magnitudine aut paruitate vectigal soluerent: contra in pascuis, quæ quoniam pléraque

erant Populi Rom. & quam latiſſimè patebant, ex ſcriptura locati opus erat, vt quantum cuique locaretur, & quantum cuique ſoluendum, conſtaret ſatis. Nam de portu, cum ibi nihil locaretur, nihil attinet dicere: ſoluebatur enim vectigal ſi quid exportaretur, nec ſcriptura vlla conficienda erat prout in paſcuis. Itaque iurè M. Tullius tum hic tum in Oratione pro Flacco vectigal ex ſcriptura cæteris opponit vectigalibus. Neque obeſt quòd Aſconius ſcribat, *Mancipes ſunt publicanorum principes Romani homines: qui, quaſtus ſui cauſa, ſi decumas redimunt, decumani appellantur; ſi portum, aut paſcua publica, portitores, aut pecuarij: quorum ratio ſcriptura dicitur*; nam Manutij pace, hæc poſtrema verba, *quorum ratio ſcriptura dicitur*, ad pecuarios referuntur tantùm quorum poſtremo loco fit mentio, non ad cæteros. Ita quidem ea verba quæ iam antea commemorauimus dum Aſia vbertate agrorum, varietate fructuum, magnitudine paſtionis, multitudine earum rerum quæ exportantur cæteris terris anteponitur, 92
quadripartitam referunt varietatem quòd vbertas agrorum & varietas fructuum ad agriculturam pertineant.

PARTICVLA XXVI.

QVo tandem animo eſſe exiſtimatis, aut eos qui vectigalia vobis penſitant? aut eos, qui exercent, atque exigunt? cum duo reges cum maximis copiis propè adſint: cum vna excurſio equitatus perbreui tempore totius anni vectigal auferre poſſit: cum publicani familias maximas, quas in ſalinis habent, quas in agris, quas in portubus atque cuſtodiis, magno periculo ſe habere arbitrentur. putatiſne, vos illis rebus frui poſſe, niſi eos, qui vobis fructuoſi ſunt, conſeruaueritis, non ſolùm, vt antea dixi, calamitate, ſed etiam calamitatis formidine liberatos?



EXaggerat adhuc vectigalium pericula, eos commemorans qui vectigalia vel penſitarent, vel exercerent exigeréntque. idque vt intelligatur non potuiſſe iſtos non in magno periculo ac metu verſari. & huc pertinent ea verba quæ rem mirificè augent, dum non vnus Rex ſed duo, nec exiguis copiis ſed maximis, nec longè ſed propè, eſſent: huc illud, *vna excurſio, perbreui tempore, totius anni fructus* auferre poteſt. Quos autem dicit vectigalia penſitaſſe, ij erant viri nobiles, nimirum equites Romani. Hi enim conducebant, vectigalia a Populo Rom. ac pactum illi aurum penſitabant: qui verò exercebant exigebántque vectigalia, plebeii erant & equitum adminiſtri: ex quo fiebat vt equites ac publicani familias maximas tum in ſalictis (loca intelligit ſalicibus conſita & paſcuis accommodata) tum in agris tum in portubus cuſtodiiſque haberent. De iis igitur omnibus 93
quibus hoſtis immineret, ac propterea in magno periculo verſarentur, admonet Populum Rom. vt pro ſua authoritate & prudentia ſuis vectigalibus prouideret, homines iſtos a periculo etiam liberans ac metu. Atque hinc licet animaduertere iurè monuiſſe Ariſtotelem in primo Rhetoricorum, non ſolùm nobiles ac potentes eſſe colendos, verùm etiam eos qui nobis fructuoſi ſunt, & res ſuppeditarent, etſi alioquin viles eſſent. Quod M. Tullius veriſſimum eſſe ſatis indicat.

PAR-

PARTICVLA XXVII.

AC ne illud quidem vobis negligendum est, quod mihi ego extremum propo-suerãm, cum essem de belli genere dicturus, quod ad multorum bona ciuium Rom. pertinet: quorum vobis pro vestra sapientia Quirites habenda est ratio diligenter. nam & publicani homines & honestissimi, & ornatissimi, suas rationes & copias in illam prouinciam contulerunt. quorum ipsorum per se res & fortunæ vobis curæ esse debent. etenim si vectigalia neruos esse Reip. semper duximus: eum certè ordinem, qui exercet illa, firmàmentum cæterorum ordinum rectè esse dicemus. deinde cæteris ex ordinibus homines naui, & industrij, partim in Asia
negociantur: quibus vos absentibus consulere debetis: partim suas & suorum in I.
ea prouincia pecunias magnas collatas habent. Erit igitur humanitatis vestræ, magnum eorum ciuium numerum calamitate prohibere: sapientiæ, videre multorum ciuium calamitatem a Republica seiunctam esse non posse.

94 D postremum accedit argumentum de genere belli, quod exaggerat IV.
de more. Et quoniam supra, cum hoc attingeret argumentum, dixerat Mithridatico bello agi bona multorum ciuium quibus & a Populo Rom. & a moderatoribus Reipublicæ esset consulendum, idcirco, *Ac ne illud quidem* (ait primùm) *vobis negligendum est quod mihi ego extremum proposueram cum essem de belli genere dicturus, quod ad multorum bona Ciuium Romanorum pertinet: quorum vobis pro vestra sapientia, Quirites, habenda est ratio diligenter.* Vbi, *ne illud quidem vobis negligendum*, maiorem habet vim quàm primo aspectu offerant verba, significat enim diligenter curandum: & hac fortè de causa id reiecit ad extremum, & extremum memorat fuisse propositum. Quin idcirco addit è vestigiò, id pertinere ad Ciuium Romanorum bona, quorum ratio habenda sit diligenter. Cuius etiam rei subijcit causam, initio ducto a publicanis quos homines honestissimos appellat & ornatissimos.

Seu postremum argumẽtũ exaggerat quod attinet ad Ciuiũ fortunas.

Sciendum verò est Romanam gentem ab Regum vsque temporibus tripartitò fuisse distributam, nimirum in Patres, Equites, Plebem: ac patribus quidem progressu temporis mercaturam exercere non licuisse: Equitibus, etsi nobiles haberentur, quoquomodo licuisse, quandoquidem vectigalia Populi Rom. conducebant, quæ tamen per administros exigebant curabántque. Interim tamen non deerant ex Patribus, præsertim ex diuitibus & pecuniosis, qui clam suas pecunias cum Equitum atq; aliorum Ciuium pecunijs occuparent, ac quæstum facerent. Id quod in Asiaticis ve-ctigalibus vsu veniebat in primis, quæ, vt vberrima erant ac patebant quàm latissimè,
95 quæstuosa erant. Atque hos Ciues omnes præter Equites par est suas Ciceroni rationes quoquomodo commendasse, vt Populo Rom. publicanorum ac eorum omniũ qui in Asia negotiarentur, fortunas ac bona summo studio commendaret. Hac igitur de causa non modò Equites ac Publicanos Populi Rom. fidei committit, eius implorans auxilium, verùm etiam aliorum multorum ciuium quorum numerum magnũ esse ait. Atque hac etiam de causa horum omnium calamitatem cum Reipublicæ calamitate coniungit, quasi verò non possint illi pecuniarum iacturam facere ac fortunarum, quin Respublica inde detrimentum capiat maximum. Et huc pertinet quod vectigalia Reipublicæ neruos; huc quod eum ordinem qui illa exercet (Equites intelligit) firmamentum cæterorum ordinum, vocat. Denique quot fermè huic rei adhibet verba, tot veluti aculeos admouet ac stimulos auditorum animis. Hac enim de causa commemorat eorum humanitatem & sapientiam, humanitatem vt vices ac damna suorum ciuium doleant, sapientiam, vt ijsdem prospiciant. hac monet ciues Romanos esse illos quibus maximè est succurrendum: si enim fœderatis, amicis, externis, quantò magis domesticis succurrendum erat? atque huc pertinet quòd ait esse honestissimos & ornatissimos: erat enim Populi Rom. omnes ordines sed

honestissimos in primis tueri: vt enim in corpore oculos in primis sic in hominum
genere, nobilissimos defendamus oportet. huc quòd ij non pauci erant, sed permul-
ti: & ideo supra, *aguntur* (inquit) *bona multorum ciuium*: hic *ad multorum ciuium bona id*
pertinet: huc quòd ab istis vectigalia pensitantur quæ sunt nerui Reip. hinc enim ve-
ctigalium quoque detrimentum depelletur: huc quòd ait hunc ordinem esse firma-
mentum aliorum. quasi verò quem in humano corpore locum habent non nerui
solùm, sed ossa, hunc haberent illi in Rep. huc denique quòd aliorum quoque ratio-
nes ac fortunas cum horum fortunis ac rationibus statuit esse implicitas, ac proinde 96
fieri vt illorum quoque calamitas ex illorum calamitate consequatur.

Quanquam, quoniam contingere potuisset vt aliqua de causa Populus Rom. cun-
ctandum ratus, responderent, vectigalia, quantumuis amitterentur, recuperari posse;
eò traducit disputationem Cicero, vt ostendat huiusmodi consilium esse penitus
abijciendum, de qua re tota nos cum Cicerone paulò post.

NVM iurè tanti æstimet vectigalia.

Interim quoniam affirmare non dubitauit vectigalia esse ornamenta pacis & sub-
sidia belli, ac rursus belli vtilitatem pacísque dignitatem continere, quin neruos esse
Reip. & publicanos qui ea exercerent, firmamentum cæterorum ordinum, lubet to-
tam hanc rem paulò accuratiùs disceptare, atque illud inprimis examinare, num verè
sint nerui aut Reip. aut belli quemadmodum contendunt alij, ac summatim Imperij
præsidium ac firmamentum.

Vectigalia non esse ornamēta pacis & præsidia Belli.

Ac principio quidem quis non illud miretur atque adeò stomachetur, vectigalia,
quorum tractatio abiecta est ac sordida, ornamenta pacis appellare? quis non indi-
gnè ferat in vectigalibus pacis dignitatem reponi & collocari? idem fermè dixerim
dum appellantur subsidia belli, ac belli dignitatem continere dicuntur. Certum est
I. enim antequam pecunia inueniretur (vectigalia enim ob pecunias quæ inde corra- 97
II. duntur, tantopere extolluntur) bella multa fuisse fœliciter administrata, ac sine vllo
III. argenti aut auri vsu populos ac Regna varia fuisse armis subacta. Quin etiam illud
quoque constat, cum adhuc aurum aut argentum ignoraretur, monarchias constitu
IV. tas quæ bello pacéque floruerint. Itaque satius fuisse aut rei militaris peritiæ aut vigi-
lantiæ & fortitudini, in primis verò prudentiæ, hanc ascribere laudem, vt belli pacis-
V. que præsidia sint atque ornamenta. Quanquam illud etiam potiore iure statuas, po-
pulorum amorem ac ciuium beneuolentiam esse germana tum pacis tum maximè
belli præsidia: ac propterea oportere ciuium beneuolentia & charitate septum esse.
Nam quemadmodum plurimos siue Reges siue Imperatores cum in ciuium ac po-
pulorum inuidiam offensionémque incidissent, Regno ac Dominatu spoliatos legi-
mus, ita Ciuium amore ac studio ad Principatus euectos & in eo conseruatos, com-
VI. pertum est. Vt omittam eos qui pecunijs parandis colligendísque operam darent,
his sæpè ob præposteram huiusmodi solertiam victoriam è manibus (id quod Lu-
VII. cullo ipsi accidit) elapsam esse. Nam domi quoque has impedimento esse quo mi-
nus ingenuas disciplinas ac pacis artes sectemur, compertum est.

Contraria tamen sententia retinetur & cōprobatur.

Veruntamen nihil est quod a Ciceronis sententia discedamus. Certum est enim
Regna ac Respublicas nisi præmijs ac pœnis haud posse rectè administrari. Quo fit vt
pecuniæ sint necessariæ quibus præmia quæ sumptuosa esse solent, conferantur: pœ-
næ etiam sontibus irrogentur, quæ administris, militibus etiam interdum, indigent.
I. Et huc tandem recidit res, si consilio & pecunia (quod Cæsar dictitare solebat) affir-
II. mes Imperium regi. Verè enim consilium caduci instar floris arescat; nisi pecunijs 98
III. tanquam humore & calore nutriatur ac foueatur. Quo fit vt iurè cum neruis confe-
rantur pecuniæ. Nam quemadmodum stare nequit homo sine neruis aut progredi,
sic Imperium sine pecuniis nequit gubernari. Denique pecuniis milites, arma, co-
meatus, quicquid denique ad vitæ tum salutem & ornamentum tum ad Imperij præ
sidium ac firmamentum pertinet, comparatur: præsertim verò quia res magnificæ,
IV. multò verò minùs bellicæ, sine sumptibus ad exitum perduci vix ac ne vix quidem
possunt. Itaque verissimè dicitur omnia pecuniis parari & obtemperare.

Contraria refelluntur argumēta.

Quod si olim bellum sine pecunijs administratum legimus aut Regna constituta,
permutatione tamen rerum vtebantur prisci mortales quibus successit pecunia. Ad-
de quod huius vsus iam vsque adeò inualuit in rebus gerendis, vt optare potiùs quā
sperare liceat sine iis Regna regi posse & conseruari. Neque tamen abnuo pruden-
tiam

tiam quoque ac fortitudinem aut etiam ciuium beneuolentiam requiri, sed illud affirmo, pecunias etiam hoc tempore esse necessarias. Nam prudentia duce optimis artibus disciplinísque parandis, victoriæ quoque referendæ, conferre plurimum ac propterea propter rectum vsum ac moderatum inter bona vtilia esse numerandas, compertum est: tantum abest vt sordidæ habendæ sint vbi prudentia sit comes. Sed redeamus ad M. Tullium, qui sic pergit.

PARTICVLA XXVIII.

99 *Etenim illud primum parui refert, vos publicanis amissa vectigalia postea recuperare: neque enim iisdem redimendi facultas erit, propter calamitatem, neque aliis voluntas, propter timorem. deinde quod nos eadem Asia atque idem iste Mithridates initio belli Asiatici docuit, id quod certè calamitate docti memoria retinere debemus. nam tum, cum in Asia res magnas permulti amiserunt scimus Romæ solutione impedita fidem concidisse. non enim possunt vna in ciuitate multi rem, atque fortunas amittere, vt non plures secum in eandem calamitatem trahant.*



Na atque altera efficit ratione haud esse committendum vt vectigalia eam ob causam interim spernantur ac deserantur, quòd victoriâ deinde recuperari possint. quarum prior vt breuis sic acuta, videri debet: altera ab superioris belli experientia ducitur, ac longiùs etiam producitur exaggeratúrque, prior verò in eo est posita, quòd etsi Populus Romanus victoria deinde recuperaret vectigalia, publicanis tamen, qui ea semel conduxissent aut exercuissent, facultas ea rursus conducendi ac redimendi de futura esset propter acceptam calamitatem atque iacturam: aliis verò publicanis propter iacturæ timorem de futura esset ea conducendi voluntas. posterior, quæ vt dixi, manat latiùs, ducitur ab incommodis ac detrimentis quæ pecuniarum solutioni eadem afferret calamitas, cum fieret vt tum in Asia tum Romæ solutio ac fides deperiret, cum Vrbis atque Asiæ pecuniæ inter se implicitæ essent. Vbi haud dubiè in verbis illis, *id quod certè calamitate docti memoria retinere debemus*, expungendum *quod*: alioquin sensus imperfectus erit nutabitque sententia: cum alioquin plana ac perfecta reddatur. Vel pro *quod* reponendum quidem & cogendum *quidem certè* vt habent aliqui codices. Etsi enim quidem certè M. Tullio valere videtur idem; vt cum ait, *Vt summa haberem cætera, temporis quidem certè vix satis habui*: & rursus, *Quam sapienter, non disputo: constanter quidem & fortiter certè*: & iterum, *Spero me tibi causam probasse, cupio quidem certè*; tamen, *si saltem* minùs aptè huc cadat, *quidem certè* magis ac magis affirmabit ac vehementiùs, quemadmodum cum idem Cicero ait, *Nunc quidem profectò Romæ est*, vbi *quidem profectò* affirmat vehementiùs. Ita sanè germana lectio atque sententia illa erit, *Deinde quod nos eadem Asia atque idem iste Mithridates initio belli Asiatici docuit, id quidem certè calamitate docti memoria retinere debemus*. Quam rem exaggerat confirmátque rursus. Et ideo pergit.

Reditur ad vectigalia; ad quorum defensionem Populum R. hortatur Cicero.

PARTICVLA XXIX.

A quo periculo prohibete Rempublicam; & mihi credite id quod ipsi videtis. hæc fides, atque hæc ratio pecuniarum, quæ Romæ, quæ in foro versatur, implicita est cum illis pecuniis Asiaticis, & cohæret. ruere illa non possunt, vt hæc
100 *non eodem labefactata motu concidant.*



O rem adducit vt istorum Ciuium pericula Vrbis ac Reip. totius periculum esse ostendat: quod confirmat etiam quia fides, hoc est obligatio seu promissorum constantia ac tota œconomia & ratio pecuniarum, in Vrbe cum Asiatica fide & pecunia implicita sit & copulata. Itaque eleganter concludit, fore vt si Asiaticæ pecuniæ ratio ac fides concidat, eodem labefactata motu concidat Romana. Potuisset autem M. Tullius apertè admonere Populum Rom, dementis esse quæ conseruare nunc possis vectigalia, ea ob recuperandi spem deserere. cum præsertim recuperandi facultas amitti possit ac spe decipi, sed leniter vrget ob reuerentiam Romanæ Maiestatis ac Populi Rom. His verò demonstratis concludit epilogo quadripartitā quam de genere belli attulerat ratiocinationem, sic pergens.

PARTICVLA XXX.

QVare videte, num dubitandum vobis sit, omni studio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis vestri, salus sociorum, vectigalia maxima, fortunæ plurimorum ciuium cum Rep. defendantur.

Quadripartitum argumētum, ac totam de genere belli Disputationem colligit atque perorat.



Bi id colligit, quod sibi docendum proposuerat, de genere belli, vt nimirum meminisset Populus Rom. Mithridaticum bellum cum honestum tum verò vtile atque adeò necessarium esse iudicandum. Quod sanè ita facit vt ex propositis argumētis prætermittat nullum, simúlque ex ordine percenseat singula. Colligit enim in eo bello glo- 101
riām Populi Rom. salutem sociorum, maxima vectigalia, fortunas multorum Ciuium; sita esse & collocata. Ideo autem addit isthæc omnia cum Rep. defendi, quia suprà cum bono ac salute Reip. coniunctissima esse docuerat. Et huc pertinet quod in quarti argumenti explicatione dixerat Ciuium calamitatem a Rep. seiunctam esse nō posse. Nam de vectigalibus quæ Reipublicæ appellauerat neruos, dubitare haud licet. Dum verò primam hanc partem sic concludit & perorat vt dicar *Videte num dubitandum vobis sit omni studio ad id bellum incumbere*, verba emphasim habent, perinde est enim ac si diceret, quæ dicta fuerant, ea esse, vt dubitare amplius non liceret quin bellum omni studio suscipiendum esset. Quorum tamen verborum emphasis commodiùs pronunciatione exprimitur quàm scriptione. Sæpè enim fit vt quæ vel ironicè vel cum admiratione aut indignatione aut alia animi affectione pronunciamus, scriptione minùs appareant. Atque hîc ne illud quidem obseruare pigeat, in illis verbis, *Ruere illa non possunt, vt hæc non concidant, vt non* valere *quin*. Sic in Oratione pro Balbo. Potest Iudices L. Cornelius condemnari, vt non C. Marij factū condemnetur? Quod si interim in Maniliana *hæc* interponitur ac dicitur *vt hæc non*, id sanè eàdem ratione fit, qua rursus idem Cicero ait, *vt ne sit*, & *vt ne longiùs abeam*, cum tamen dicat etiam *vt iudicia ne fiant*, & rursus, *Vt Lex Ælia & Fusia ne valerent*. vbi multa, nec ineleganter, inter duas illas particulas interponuntur.

Sed & illud obseruandum Ciceronem qui pereleganter scribere potuisset, Videte num dubitandum vobis sit quin, aut quominus, omni studio ad id bellum sit incumbendum, dixisse *num dubitandum sit incumbere*. etsi enim verborum *dubito* frequenter & perleganter priore modo effertur, posteriore tamen non ineleganter pronunciatur. Sed iam ad secundam Orationis seu mauis Confirmationis partem, Cicerone 112
duce, aggrediamur, qui sic pergit.

PAR-

PARTICVLA XXXI.

Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.

Transitione vtitur, vt commodè liceat & intelligenter a primo quod iam explicauit Orationis capite, progredi ad secundum. Quapropter. quoniam, inquit, diximus de belli genere, nunc pauca dicamus de magnitudine. Ita quidem dociles efficit Auditores, dicendis aditum sternens, quod est proprium aut præcipuum transitionis munus. *Aggreditur ad II. Partē quæ est de magnitudine belli.*

Commodè verò a belli genere ad magnitudinem progreditur, quia nisi priùs constitisset huiusmodi bellum esse vtile, minùs commodè quin alieno tempore disputandum susciperet num sit magnum atque arduum nec ne. siue enim esset magnum & difficile, siue exiguum & facile, priùs de vtilitate cōstaret necesse est deliberaturis. Ita quidem cum docuerit non modò esse vtile, verùm etiam honestum, modò agit de magnitudine. Sed de magnitudine belli quid sentiat ac statuat audiamus.

PARTICVLA XXXII.

Potest enim hoc dici belli genus esse ita necessarium, vt sit gerendum: non esse ita magnum, vt sit pertimescendum. in quo maximè laborandum est, ne fortè a vobis, quæ diligentissimè prouidenda sint, contemnenda esse videantur.

103 Spinosus est hic locus ne dicam obscuritate plenissimus. Etenim dum primò affirmat eiusmodi bellum esse ita necessarium vt sit gerēdum, videtur a proposito discedere. Si quidem de magnitudine dicendum proposuit non de necessitate: seu magnum ne sit requirendum, non an necessarium. Idquod eò magis alieno agitur loco, quòd iam antea id planè docuit dū dissereret de genere belli. Verè enim ex hypothesi, si inquam Populi Rom. gloria, salus sociorum, certissima vectigalia, fortunæ multorum Ciuium, defendenda sint, necessarium esse docuit hoc bellum. Sed esto necessitas adhuc tractanda fuerit, at saltem planiùs res agenda, ita vt Populus Rom. admoneretur nec fortunas Ciuium nec quidquam aliud ex ijs quæ recensebantur defendi posse, nisi eiusmodi bellum susciperetur: ac propterea cum ea singula, multo verò magis omnia, essent defendenda, pernecessarium esse iudicandum. Et tamen ait posse dici ita necessarium vt sit gerendum: quod non minùs obscurè quā breuiter enunciatur. quis enim bellum appellet nisi geratur? aut qui bellum concipi possit, nisi re ipsa peragatur? *Dubitatur contra primā huius loci partē.* I. II. III.

Neque verò dum subdit; Non esse ita magnum vt sit pertimescendum, *non* in magnas nos adducit salebras. Cum enim supra dixerit huiuscemodi bellum esse graue & periculosum, quid est quod hoc in loco neget dicendum esse magnum? certè cum & a duobus potentissimis Regibus, hoc bellum conferri, & vectigalibus, socijs, Ciuitatibus inferri, affirmauerit, nec posse ab horum calamitate Reip. calamitatem seiun-
104 gi, ac summatim effecerit de summa rerum agi, atque Imperium magnopere periclitari, affirmare debuisset maximum esse dicendum, tantum abest vt dissimulandum esset aut inficiandum esse magnum. Huc accedit quòd si non sit magnum, difficile effecerit Cn. Pompeium, atque vnum Magnum esse Imperatorem deligendum, quē tamen vnum ab omnibus experi affirmauit (vt scilicet vnus Pompeius deligeretur) vnum ab Hostibus timeri, præterea neminem. Denique satius videri poterat apertè statuere id quod erat, bellum esse magnum vel potiùs maximum (sic enim & cohærenter disputasset, & Pompeium diligendum auditoribus persuasisset) quàm dicere non esse ita magnum vt sit pertimescendum. Sed & ad extremum ea verba, *In quo maximè* *Dubitatur contra secundam.* I. II. III. *Dubitatur cotra III. seu postremam.*

maximè laborandum est ne fortè a vobis quæ diligentissimè prouidenda sint, contemnenda esse videamur; præpostere affirmantur, hæc enim tum demum fuissent pronuncianda cũ statutũ fuisset huiusmodi bellum esse pertimescendũ: ita ut hæc minùs inter se cohæreant. Quid est enim cur Populo Rom. sit laborandum ac maximè laborandum, si bellum non sit pertimescendum? aut cur diligentissimè sunt aliqua prouidenda, neque hæc vllo modo sunt contemnenda, si bellum pertimescendum nõ est? Hæc sunt quibus effici videtur locum hunc esse spinosum vndique aut salebrosum. Præsertim verò quia statim à proposito item discedens, ad Luculli res gestas ac laudes diuertit, atque in his longè ac latè versatur, quasi verò nil minùs quàm de magnitudine belli hic sibi dicendum esset.

Exaggeratur adhuc locus hic vniuersus.

Quanquam si quis ea recolat diligenter quæ Rhetores maximè verò Aristoteles, 105
ijs præcipiunt qui in Deliberatiuo versantur genere, intelliget non temerè hac ratione, etsi alioquin lubrica videri potuerit, peragi rem a M. Tullio. etenim illud primò prouidendum, vt quod suadere instituimus non sit ἀδύνατον, siue ex ijs quæ fieri nequeunt, &, vt cum Quintiliano significantiùs loquar impossibile. Quod enim impossibile est, temerè consulitur. & ideo irrisus est Demetrius qui de Isthmo perfodiendo, quod tamen fieri haud poterat, consultauit. Ita vt hinc abierit in prouerbium, Isthmum perfodere. Iam verò cum constiterit rem nõ esse impossibilem, prouidendum quoque est ne sit quàm difficillima. id enim perinde esset ferè ac si ἀδύνατον, esset. vix enim ac ne vix quidem persuaderi posset. Atque eodem consilio enitendũ vt doceamus non modò non esse difficilem sed facilem: quæ enim facilia, ea faciliùs suadentur. quod si ostenderis non modò esse facilem verùm etiam in eorum potestate esse positam apud quos dicas, res facillimam habeat suasionem. & ideo Iuno, cũ ab Aeolo peteret vt Troianorum disijceret classem, totam hãc rem occupauit priùs, significans se rem nec impossibilem nec difficilem petituram, sed facilem quæque in ipsius Aeoli sita esset potestate. Itaque

Aeole (namque tibi diuum pater atque hominum Rex
Et mulcere dedit fluctus & tollere ventos

inquit Iuno vt Aeolum in suam adducat sententiam. Quanquam ne id quidem satis 106
est, sed prouidendum vt continenter (si opus sit) doceamus esse vtilem, ac, si fieri possit, honestam. Vtilem, quia alioquin labor esset ociosus: si quidem consultatio & deliberatio vtilitatem habent propositam. Honestã, quia vbi honestatis accedat pondus, alacriores ad rem propositam adducas auditores. Hæc sunt quæ nos admonent Rhetores, atque in primis Aristoteles, dum aliquid suadere moliamur. Quibus positis, iam enitendum vt dubitationes si quo modo fieri possit diluamus.

Ergo de his omnibus satis constabat M. Tullio, vno excepto. Iam enim compertum erat huiusmodi bellum non esse impossibile, nec per quam difficillimum aut etiam difficile quod susciperetur: quin esse positum in Populi Rom. potestate, denique esse vtile atque honestum, ac propterea necessarium censeri posse. Illud tamen affirmare non poterat, non esse magnum aut esse facile quod conficeretur: id enim Asiæ status prohibebat quæ afflicta erat ac magna ex parte prostrata Mithridatis armis. Quanquam ne si quidem docere potuisset esse exiguum & facillimum, id pronũciandum erat hoc tempore, cum Pompeium deligi Imperatorem vellet. Id enim, nisi de belli grauitate ac magnitudine constaret, ægrè obtineri poterat. Et ideo supra monuerat vnum Pompeium timeri ab hostibus, vnum expeti a socijs, ita vt tota belli spes in Pompeio posita esset. Ex quo fiebat vt inter duos veluti scopulos positus esset M. Tullius. Nam si apertè id quod erat affirmasset, nimirum bellum esse maximum & periculosissimum, Lucullo magnam conflasset inuidiam, qui proximè illud bel-
lum administrauerat, & verò ingentes victorias iactauerat, ita vt triumpho etiã aspi- 107
raret. Quòd si extenuasset bellum ac docuisset esse exiguum, Pompeij optatis minùs fauisset: quin effecisset vt Populus Rom. minimè necessarium iudicasset (id quod Catulus. & Hortensius contendebant) Pompeium esse deligendum. M. Tullius igitur acutè mediam veluti viam sibi ineundam decreuit qua sine vlla Luculli offensione, imo verò magna cum eius laude, Pompeio faueret, atque vnum Pompeium deligendum Pop. Rom. persuaderet. At enim quî tandem id effici posse cogitauit? ea nimirum ratione si priùs Lucullum ornaret ac res ab eo gestas celebraret, ac verè demon-

straret

straret ea quæ fœliciter gessisset, eius virtuti (id quod ab initio significare cœperat)
tribuenda: quæ minùs fœliciter cecidissent, fortunæ ascribenda. Et ideo antequam
aperiat belli magnitudinem, laudat Lucullum; tum id quod est fatetur; nimirum
bellum esse magnum & periculosum, ac propterea vnum Pompeium illi præficien-
dum. Et hac etiam de causa interim hoc in loco quem nunc explicamus, ac spinosum
esse obseruauimus, dissimulanter vtcunque loquitur, ac magnum esse tacitè solùm
indicat.

Quibus positis & constitutis, iam minùs difficile erit obiectis dubitationibus satis- *Ad I. argumentorum caput.*
facere: nam id facile esse, affirmare nullo modo ausim. Ac primùm verè quidem di-
citur de magnitudine non de necessitate huius belli sibi in præsentia dicendum pro-
posuisse M. Tullium, quin necessitatem iam antea patefecisse: sed tamen dum transi-
tione vtitur vnde ad secundum progreditur caput, colligit ex dictis belli huius neces-
108 sitatem & qualis & quanta sit indicat dũ progreditur ad magnitudinem. Ita quidem
non tam belli necessitatem probat quàm breuissimè indicat & colligit, ad ea veluti
digitum intendens quæ hac de re dixerat in primo capite: verè enim saltem ex hypo-
thesi demonstrauerat esse necessarium. Et ideo ait potest hoc belli genus (en in ge-
nere belli atque adeò primi capitis disputatione inhærere) dici ita necessarium vt sit
gerendum, quasi diceret esse necessarium ac propterea omnino gerendum si gloriã,
salutem sociorum, vectigalia, fortunas multorum ciuium cum Republica tueri ve-
lint. Dum verò subdit non esse ita magnum vt sit pertimescendum, iam ad rem pro- *Ad II. Caput.*
positam ac secundam partem Orationis descendit totus. Neque tamen (si quis atten-
tiùs æstimet) negat esse magnum, sed potiùs magnum esse fatetur, ita tamen vt neget
esse pertimescendum. Denique vnum concedit ac sumit, nimirum esse magnum, al-
terum negat, nimirum esse pertimescendum; quod est, esse quidem magnum non
maximum, ac propterea timendum non pertimescendum. Ita quidem non pugnat
secum quantumuis dixerit antea esse graue & periculosum, nam non dixit esse gra-
uissimum & periculosissimum. Et ideo in fine quoque huius capitis cum ad tertium
progrederetur, *satis* (inquit) *mihi multa verba fecisse videor, quare hoc bellum esset genere*
ipso necessarium, magnitudine periculosum: vbi magnitudinem & periculosum, fatetur ille
quidem, tantummodo maximum ac periculosissimum esse negat. Quanquam vt ne *Ad III. Caput.*
109 Populus Rom. existimaret in tali periculo cunctationem non esse perniciosam, aut
non esse necessarium summa rebus celeritate prouidere, atque in primis summum
Imperatorem deligere; ita negat bellum hoc esse pertimescendum, vt statuat Populo
Rom. laborandum vt diligentissimè prouideat ac paret quæ sunt necessaria. Et quan-
quam non tam monet vt quæ necessaria sunt sine cunctatione vlla paret, quàm ait vi-
dendum ne prætermissa esse videantur, sic tamen loquitur moderationis causa; alio-
quin tacitè significet fore vt sit pertimescendum nisi quam diligentissimè ad illud se
cõparent ac per summum Imperatorem administrent. Itaque hæc verba non pugnãt
cum superioribus. Etsi enim commodiùs demonstrasset celeritate & diligentia ma-
xima opus esse si statuisset esse maximum & pertimescendum, veruntamen, ne Lu-
cullo inuidiam conflaret, aut etiam Populum Rom. perterrefaceret, satius esse duxit
Populum Rom. cohortari, magnum tantummodo illud appellans. Neque verò in-
terim obijciat quispiam fieri adhuc potuisse, vt Populus Rom. dum magnum esse
bellum & periculosum audiret, supersedendum iudicaret, ac propterea M. Tullium
non satis adhuc cauisse incommodo quod suasioni afferebatur dum esse facile non
ostendebat, quin vt magnum ita non facile esse fatebatur. Nam si de bello suscipien-
do ita disseruisset vt Populo Rom. licuisset, bello non suscepto, sibi cauere ac socijs,
rectè quidem: sed quoniam Mithridates iam in vectigalia ac socios Populi Rom.
insultabat, ac propterea is nisi bellum susciperet, sibi consulere haud
110 poterat, bellè cecidit vt magnum esse, nec facile, & ideo ne-
cessarium, ex hypothesi tamen, esse fateretur. Sed
Ciceronem audiamus, qui veluti digre-
diens in Luculli se se effundit
laudes, sic pergens.

PAR-

PARTICVLA XXXIII.

A T que vt omnes intelligant me L. Lucullo tantum impertiri laudis, quantum forti viro, & sapientissimo homini, & magno Imperatori debeatur dico eius aduentu maximas Mithridatis copias omnibus rebus ornatas atque instructas esse deletas.

Anteuertit Luculli laudationem propositam de magnitudine belli disputationē, & cur.



Nteuertit Luculli laudibus belli magnitudinem quam iam iam aperire decreuerat. Quanquam cur anteuertat, lubet paulò vberiùs explicare: præsertim verò vt constet non alieno loco hanc interponi laudationem. Ergo mirum fortasse visum fuerat Populo Rom. id quod ab initio dixerat M. Tullius, bellum esse magnum & periculosum: cum enim Lucullus victorias ingentes laureatis literis denunciasset Senatui, ac propterea triumphum quoque postularet, quî obsecro fieri poterat vt res Asiatica in magno periculo versaretur? Itaque M. Tullius ne inuidiam interim crearet Lucullo, dum ad belli magnitudinem declarandam cogebatur aperire aut indicare ingentem cladem proximè Lucullianis illatam a Mithridate; anteuertit, ac res præclarè a Lucullo gestas commemorat extollítque luculēte: nimirum vt eius dignitatem ac gloriam quasi vallet priùs, vel certè huiusmodi cladem minùs inuidiosam efficiat. Sic supra, cum in Asiaticæ rei mentionem incidisset, viderétque cladis illius commemorationem posse in Luculli dedecus redundare, monuit quæ præcla- 111
rè gessisset, eius virtuti; quæ minùs fœliciter, fortunæ, esse tribuenda. Quanquam ea etiam de causa in Luculli laudes digreditur, quòd rumor aut suspicio percrebuisset fore vt M. Tullius Pompeij causa Lucullo obtrectaret. Et huc pertinent ea verba, *Atque vt omnes intelligant me Lucullo tantum impertiri laudis*; exortam enim suspicionem delere nititur primùm, atque aduersariorum ora vocésque compescere rumorem illum dissipantes. Et hinc est vt eandem laudationem verbis illis peroret, *Satis opinor hoc esse laudis, atque ita reputo, vt hoc vos intelligatis a nullo istorum qui huic obtrectant legi atque causæ, L. Lucullum similiter ex hoc loco esse laudatum.* quasi diceret tantum abest vt huc ascenderim Lucullo obtrectaturus, vt hic a nemine pari laude ornatus fuerit. Ita quidem non alieno loco sed opportunè ad Lucullum ornandum diuertit. Nam si quis optasset vt M. Tullius, ne hærentes nos haberet dum a proposito digreditur, saltem Auditores de ratione & causa admoneret propter quam ab instituta de magnitudine belli disputatione ad Luculli laudationem diuerteret, illud statuendum, in methodo seu dicendi artificio atque Ordine eo Oratorem, Philosophum & Historicum inter se differre, quòd Philosopho methodus atque ordo non solùm non est contemnendus aut dissimulandus, sed diligenter custodiendus atque adcò ostentandus. Versatur enim passim subtilioribus in rebus, in quibus auditores, nisi ordo tanquam fax præferatur, aberrare facilè possint. Historico, quia res gestas narrat ac minùs diffici-
les, ordinem satis est tueri & conseruare. Etsi enim conseruandus est diligenter, cum 112
ratio temporum, atque ordo rerum, sint custodes Historiæ, non tamen ostentandus quasi rem obscuram (id quod Philosopho accidere solet) declaret. Oratori contra non modò non ostentandus (id enim puerile esset in concione) sed interdum ne conseruandus quidem, qui in deserendus vt seruiat causæ. Denique dummodo persuadeat aut saltem dicat appositè ad persuadendum, ordo dissimulari & verò cōtemni potest. Et ideo in oratione artificium latêre debet, quod in Historico multò verò magis in Philosopho apparet nō sine laude. Fateor quidem Oratori artificium minùs esse dissimulandum quàm Epico Poëtæ. hic enim ordinem in sola Propositione aut Inuocatione indicat, cuius filum deinde sequitur a Narrationis initio ad finem vsque Poëmatis, vix vt aliquando ad nouam Inuocationem aut Propositionem, ídque obiter ferè, confugiat, qua non nihil methodum instaurat, ac rerum canendarum ordinem aciviam ostendit. At Orator & in Propositione, quæ sæpè etiam in partes tribuitur, & in Transitionibus vnde ab vna ad alteram Propositionis siue Orationis partem progreditur,

Quàm opportunè id faciat, & qualis sit Oratoria differendi ratio quod pertinet ad artificiū, in quo cum Historico, Philosophico, & Poetico comparatur.

greditur, ordinem ac methodum nobis, nec ſine laude, commonſtrat. Ita fit vt Dramaticus Poëta, quandoquidem ſuam ille celat perſonam, methodum, quam alioquin in contexenda fabula & diggerenda tueri debet, non modò non oſtentet, ſed ne indicare quidem poſſit. Epicus, quoniam non perpetuò imitatur ſeu alios loquen-
113 tes facit, ſed ſe ſe loquentem infert non ratò, dum ſaltem proponit aut inuocat, res canendas indicare poſſit & ex ordine indicare. Orator, quoniam perpetuò loquitur, id paſſim commodiúſque præſtare poſſit. Tametſi tum ob ſtyli grauitatem, tum quia ſæpè non tam docet quàm delectat, aut permiſcet Auditorum animos, in Propoſitione tantùm & Tranſitionibus quibus præcipuas nectit partes, id efficit. Hiſtoricus quippe qui & perpetuò fermè loquitur, & minùs ſublimi dicendi genere vtitur, inprimiſque legentis memoriæ conſulit & intelligentiæ, poteſt & verò debet hiſtoriæ filum ac rerum ordinem, diligenter commonſtrare, præſertim, ſi multiplicem ſcribat hiſtoriam. Philoſophus (idémque dixerim de Medico & ijs affinibus ſcriptoribus) quandoquidem & in rebus difficilioribus verſatur, debet methodum & ordinem ante oculos habere ſemper, vt rerum difficultatem ordinis perſpicuitate compenſet, ac nos ad rerum cognitionem commodo tramire & inoffenſo pede perducat. Quod ſanè eò magis factitare illi ac præſtare licet, quòd non magnifico dicendi genere vtitur quemadmodum Epicus & Orator, ſed pedeſtri ſcribit ſtylo, qui & ad ordinem & ad ea omnia quæ notitiæ ſeruire vtcunque poſſunt, demittitur non ſine laude. Sed redeo ad M. Tullium, qui ſanè bono animo ad Luculli laudationem auertit, *Reditur ad Luculli laudationẽ & explicatur*
ad quam ipſi nunc tandem deſcendemus. Recolendum eſt igitur Lucullum antequã cum Imperio in Aſiam mitteretur, Conſulatum adminiſtraſſe, ante Conſulatum etiam ſub Sylla militiam tractaſſe, ſuámque fortitudinem Syllæ ita probaſſe vt Claſſi fuerit præpoſitus. Cicero igitur Lucullum fortitudinis primò laudat nomine ob
114 fortitudinem militiæ declaratam, tum ſapientiæ virtute, ob Conſulatum egregiè adminiſtratum, denique magnum Imperatorem appellat ob res tandem ſtrenuè geſtas dum imperaret. Quo in loco eò aptiùs poſtremo loco magnum Imperatorem appellat Lucullum, quod eum fortitudine & ſapientia iam ornaſſet: is enim magnus Imperator facilè euaſerit qui fortitudine & ſapientia præditus ſit: hac vt rectè deliberet, illa vt ſtrenuè quæ deliberauerit exequatur.

Quanquam ſi hæc ita ſunt, mirum videri poteſt quod M. Tullius in prima Academica ſcribit; Lucullum, cum in Aſiam miſſus eſſet Imperator, rei militaris fuiſſe rudem. Vel igitur propoſita verba quibus & fortitudinis & ſapientiæ & magni Imperatoris nomine laudatur, ſpectant vnum illud tempus in quo Mithridatem profligauit (verè enim quæ ſequuntur verba id videntur indicare) vel vertè rudis rei militaris dictus eſt quod pertinet ad Imperatoriam ſcientiam. Nihil enim prohibet quò minùs aliquis ſit bonus miles ac fortis, qui tamen longè abſit ab Imperatoria virtute: fortis igitur appellari potuit miles cum adhuc eſſet Imperatoriæ rudis ſcientiæ: & ideo quo tempore miſſus eſt aduerſus Mithridatem laus Imperatoria ab eo nonadmodum expectabatur, inquit M. Tullius. Sed vt vt ſit, Lucullus fortitudinis ac ſapientiæ gloria, & verò magni Imperatoris nomine, tum in Oratione pro Archia & in altera pro Murena, tum in prima Academica quæſtione celebratur a M. Tullio: ſed hic multò maximè. Quare ſic pergit; *Dico eius aduentu maximas Mithridatis copias omnibus rebus ornatas* *Vniuerſim laudantur eius facta*
115 *atque inſtructas, eſſe deletas*. Vbi antequam ſigillatim eius facta commemoret & celebret, complectitur illa & celebrat vniuerſim. Sed iam eundem audiamus ad Lucullianas laudes ac res præclarè geſtas ſigillatim deſcendentem.

PARTICVLA XXXIV.

VRbémque Asiæ clarissimam, nobisque amicissimam Cizicum obsessam esse ab ipso rege maxima multitudine, & oppugnatam vehementissimè: quam L.Lucullus virtute, assiduitate, consilio, summis obsidionis periculis liberauit.

Ad res ab eo gestas sigillatim descenditur: quæ ire declarantur copiosè.



HIc primùm suam Lucullus virtutem ostendit aduersus Mithridatem. Cum enim in Asiam profectus hunc offendisset Cizicum oppugnantem, commeatum illi sic intercludit, vt obsidionem soluere ac fugam arripere coactus sit. Sed de hac re pleniùs paulò pòst. Nunc, quoniam M.Tullius Cizicum mirificè celebrat, tum docet quàm magnis viribus obsideretur & oppugnaretur a Mithridate, atque ad extremum Luculli virtutem extollit qui tali ac tanta obsidione Vrbem hanc liberasset, lubet pauca quædam de singulis ex ordine dicere. Ergo Cizicum Asiæ Vrbs reuera clarissima fuit: portu enim, Arce, marmoreis turribus, mœnibus, magnitudine, monumentis denique & ornamentis cæteras Asiæ Vrbes facilè superabat, ita vt Asiæ Roma a quibusdam appellaretur. Atque hinc fortasse locus fuit fabulæ vt dotalis Proserpinæ Vrbs diceretur: quasi verò ob splendorem & magnificentiam a Ioue attributa esset & constituta Proserpinæ in dotis loco. Hanc igitur Vrbem Mithridates, cum trecenta virorum millia secum haberet, si Appiano credimus, terra marique cinxit obseditque vehementissimè. Quapropter *Omnibus opibus* (inquit Appianus) *rem aggressus est, & nauale circumdans muro duplici, & reliqua vrbis circumuallans, aggeres quoque multos excitando, turrésque ligneas fabricando, & arietes tectos testudinibus, eminentē inter cæteras machinas helepolin centum cubitorum; supra quam alia turris assurgebat, catapultis instructa iaculantibus saxa telaque varia; ad portum autem duæ quinqueremes coniunctæ aliam turrim inferebant, vnde pons in murum injiceretur.* Sic iste. Vt propterea hanc Vrbem iurè maxima multitudine obsessam & vehementissimè oppugnatam dicat M.Tullius. Et tamen Vrbem sic obsessam & oppugnatam, Lucullus (addit M.Tullius) virtute, assiduitate, consilio, summis obsidionis periculis liberauit. Quam tamen rem longum esset persequi: nam copiosissimè narratur ab Historicis, præsertim verò ab Appiano & Plutarcho. Quanquam Eutropium audire præstat qui rem perstringens breuissimè, *L.Lucullus* (inquit) *Mithridatem, dum in obsidione Cizici moraretur, a tergo obsedit, famique consumpsit, & multis prælijs vicit: postremò Byzantium fugauit; nauali quoque prælio duces eius oppressit: ita vna hyeme, & æstate a L.Lucullo centum ferè millia hominum ex parte Regis extincta sunt.* Hæc Eutropius. Etsi nauale quoque bellum attingit de quo postea noster Cicero. Appositè verò Cizicum Vrbem clarissimam & Populi Rom. amicissimam facit, vt Lucullianæ industriæ fructus suauior appareat & gratior: appositè etiam vehementer obsessam & oppugnatam narrat, vt tum eiusdem Luculli virtus magis ac magis probetur, quam statim etiam extollit, affirmans Luculli virtute, assiduitate, consilio id contigisse. Vbi sine dubio, dum tantum Luculli tribuit virtuti, causæ mirificè seruit. Neque enim inficiari licet Fortunæ (vt more humano loquar) hoc fuisse magna ex parte tribuendum: idque cum alijs de causis, tum maximè ob egregiam natatoris cuiusdam industriam sed in primis ob uersutum L.Manij, facinus. Cum enim Vrbs terra marique ita premeretur, vt in maximo periculo versaretur, nec externam opem speraret vllam, quòd L.Luculli aduentum ignoraret, ecce tibi natator per medias Hostium naues vtre suspensus quasi marina pistrix videntibus illis, fretum tranauit hc Cizici subijt portum; Luculli aduentum denuncians ac resistere optiméque sperare iubens. Manius autem, quippe qui suam ille militarem scientiam Mithridati vehementer probarat, & legationem ad Sertorium pro ipso Mithridate in Hispaniam obierat, fœderéque illos coniunxerat, ac propterea carus erat Regi, hunc tandem prodidit, ac soluendæ obsidionis author fuit. Cum enim videret Sertorium ac suos interfectos (erat enim Marianus seu Sertorianus

App. pag. 219. Flo. li. 3. c. 5.

Flo. li. 3. cap. 5.

116

p. 220. m

117

Flor. l. 3. cap. 5. p. 78. m.

nus ac propterea perduellis ac Reipublicæ hostis fuerat declaratus) satiùs habuit Luculli gratiam demereri, ac fidem implorare, quàm diutiùs contra Patriam decertare. Itaque clam cum Lucullo egit, ac fide accepta, per fraudem persuasit Regi vt fineret Lucullum accedere, & pro arbitratu castra ponere: fore enim vt Fimbriani quos ille duceret, milites, quoniam sub Sertorio meruerant, statim ad ipsum Regem
118 deficerent, Lucullum deserentes. Ex quo factum est vt credulus Rex obiectum collem præsidio nudauerit, quem Lucullus subijcit, séque ibi egregiè munijt. Quid plura? cõmeatum inde omnem prohibuit Mithridati, ita ut fame coactus, obsidionem soluerit, séque in fugam conuerterit. Ita sanè qui priùs Lucullum irrisit Rex, delusus est suo magno malo. Nam cum ipse Rex trecenta millia peditum quadraginta millia equitum duceret, vidisséque Lucullum triginta millia peditum ac mille sexcentos equites tantummodo habere, per nuncium ex eo quæsiuit, Legatúsne an Imperator venisset. Si enim (inquit) Legatus, sanè magno instructus comitatu; si Imperator, longè exiguo aduenisti. Et tamen post paulò ipse immenso ferè comitatu & exercitu instructus, fugam arripuit turpissimè. His igitur atque alijs de causis (vt ad rem redeam) habebat M. Tullius cur magnam huius victoriæ partem Fortunæ tribueret seu Luculli fœlicitati: sed tamen, vt causæ seruiret, vni Luculli consilio, assiduitati, virtuti acceptam retulit.

PARTICVLA XXXV.

A Beodem imperatore classem magnam, & ornatam, quæ ducibus Sertorianis ad Italiam studio inflammato raperetur, superatam esse atque depressam.



Cohærenter hæc commemorat. Lucullus enim, cum Cizicum obsidione liberasset, ac Regem Lampsacum fugientem prosecutus esset, non multò post ad maritimum bellum descendit, in quo quinquaginta illius naues depressit.

119 Quanquam non est inficiandum alia quædam præclarè a Lucullo ac fortiter gesta fuisse, antequam classem istam superaret. siquidem Lucullus fugientem Regem, vel certè eius exercitum assecutus, aliquam illius partem cæcidit: ita vt Aesopus & Granicus amnes cruenti apparuerint. Tametsi Rex interim spargi (vt aliqui existimant) seu obiici in itinere iussit preciosas sarcinas ac pecuniæ plurimum, vt Lucullianí ea colligentes retardarentur. Quo factum est vt ipse Mithridates se subtraxerit, ac Lampsacum multo cum milite peruenerit, tum conscenderit, ac sigillatim decem militum millia quinquaginta nauibus imposuerit quibus Varium Romanum Senatorem, sed Sertorianum ac transfugam, præposuit: quas tamen naues Lucullus ad Tenedum superauit depresśitque.

Hîc tamen multa sunt quæ obseruamus, primum est Regem maiorem sibi classis partem reseruasse, cum Vario Duci quinquaginta naues istas committeret: ita vt sine dubio rem amplificet M. Tullius, dum ait Classem magnam fuisse a Lucullo depressam. Alterum est nisi Varium, alium Sertorianum Ducem; Classi huic præfecisse nullum, cæteri enim Barbari erant. Sed oratorio more rem auget, quemadmodum supra etiam dum diceret Mithridatem Ecbathanis Legatos misisse ad eos Duces quibuscúm bellum gereretur, cum tamen cum vno Sertorio bellum gereretur in Hispania, nisi fortè & in Hispania & in hac Classe alios minores Duces cum Sertorio & Vario fuisse dicas, quod est longè verisimile; Sertorium enim & Varium Romanos Tribunos ac Centuriones sub se habuisse nihil prohibet. Tertium illud sit
120 L. Varij istius naues & Classem in Italiam (id quod affirmat Cicero) fuisse destinatas, a nemine Historicorum scriptum fuisse. Tametsi verisimile est M. Tullio qui per idem tempus floruit, & res gestas nouit, satis fuisse perspectum eas naues eo consilio fuisse Vario creditas vt in Græciam atque Italiam traijceret; ibique Romanos infestaret. Certè idem curauerat Mithridates per Piratas qui maria compleuerant. &

ideo in Oratione pro Murena constanter confirmat classem istam spe iam Italiæ fuisse infestam. Postremum, facilè etiam constitutum vt Varius in Tyrrhenum traijceret, séque Sertorianis iungeret: id quod ab initio significare cœperat M. Tullius, cum diceret Legatos ad Sertorium in Hispaniam missos vt vno consilio ab vnis hostium copijs bellum terra maríque gereretur. Quo fieret vt non necesse esset cum Manutio illud *ab vnis* delere & *binis* reponere. Etsi alioquin *binis* ingeniosè repositum & scitè ac retineri posse non inficior, quòd illi diuersis quoque in locis Romanos infestandos iudicassent. Neque verò aliquam sibi partem non Fortuna vindicauit in maritima hac victoria quemadmodum in terrestri. Cum enim Mithridates maiorem sibi classis partem reseruasset, qua in Pontum se reciperet, bis tempestate fractus est, centum fermè amissis nauibus; vix vt in piraticum nauigium receptus, Sinopem peruenerit incolumis. Quam rem Florus, vt Luculli fortunam declaret, his enarrat verbis. *Nec infelicior in mari quàm in terra fuga. Quippe centum amplius nauium classem apparatúmque belli grauem, in Pontico mari aggressa tempestas tam fœda strage lacerauit, vt naualis belli instar efficeret: planè quasi Lucullus, quodam cum fluctibus procellisque commercio, debellandum tradidisse Regem ventis videretur.* Quem Flori locum fortasse Claudianus imitatus est dum Theodosio ventos ac tempestates obtemperasse cecinit; nisi fortè ex hac ipsa Maniliana Claudianum delibasse dixeris in qua Pompeio ventos ac tempestates obsecundasse ait Cicero. 121

PARTICVLA XXXVI.

Magnas hostium præterea copias multis prælijs esse deletas.

Videtur Cicero multa his verbis perstringere & indicare; nam reuera Lucullus multis in locis ac varijs prælijs deleuit hostium copias. Itaque cum Rex, Cizici obsidione soluta, fugeret, Lucullus fugientes assecutus sic cecidit vt Granicum (quemadmodum dicere cœperam) & Aesopum cruentauerit. Tum rursus Appamææ quam per Triarium expugnauit, ingentem barbarorum multitudinem interfecit: in nauibus etiam quas cœpisse seu depressisse diximus, non exiguum hostium numerum obtruncauit. Atque hæc antequam in Pontum penetraret. Vbi rursus multis prælijs fudit fugauítque hostes. Illud verò prælium, Mithridati extremam attulit cladem quo rursus multa equitum millia cæsa sunt a Lucullo.

PARTICVLA XXXVII.

Patefactúmque nostris legionibus esse Pontum, qui ante Populo Romano ex omni aditu clausus esset: Sinopem, atque Amisum, quibus in oppidis erant domicilia regis omnibus rebus ornata, atque referta, caeterásque vrbes Ponti & Cappadociæ permultas, vno aditu atque aduentu esse captas.

Ponti regio, etsi alioquin ignobilis & obscura, Medeæ etiam sæuitia infamis, Ouidij quæ ibi edidit, Poëmatis clara videri potest. Sed Basilij Magni in primis sanctitate, eloquentia, doctrina. In Pontum enim cum secessisset, ac domicilium ibi elegisset, mirum est quantum huic regioni splendorem attulerit. Ergo Pontum vel quia obscurum & ignobile, vel quia minimè peruium, vel quia nondum Romana ambitio eò conijecerat oculum, satis constat ante Lucullum non fuisse Romanorum 122

armis

armis tentatum: sed cur dicat ex omni aditu fuisse clausum, vel potiùs vnde clausus esset, id verò obscurum videri potest. Igitur ex omni aditu dicitur clausus quia iter atque ingressus vndique vallatus esset & impeditus: aut quia Regijs præsidijs obsessus & obstructus: vel potiùs quia iter & aditus natura & præsidijs interclusus esset. Certè M. Tullius in Oratione pro Archia videtur vtrunque impedimentum attingere dum ait Pontum cum regijs opibus tum ipsa natura regionis fuisse vallatum. regias enim opes videtur hîc potentiam & præsidia appellare. Sed quoniam propositi loci mentionem fecimus, agedum illum referamus vniuersum: mirificè enim valet ad ea quæ de Lucullo hîc memorat, illustranda. *Populus Romanus* (inquit) *aperuit, Lucullo imperante, Pontum, & regijs quondam opibus, & ipsa natura regionis vallatum. Populi Rom. exercitus eodem Duce non maxima manu innumerabiles Armeniorum copias fudit. Populi Rom. laus est Vrbem amicissimam Cyzicenorum eiusdem consilio, ex omni impetu regio, ac totius belli ore ac faucibus ereptam esse atque seruatam. Nostra semper feretur & prædicabitur, L. Lucullo dimicante cum interfectis ducibus depressa hostium classis, & incredibilis apud Tenedum pu-*
123 *gna illa naualis, nostra sunt trophæa, nostra monimenta nostri triumphi.* Id quod cum Historicis consentit qui affirmant statim ac Mithridates ex Ponto rursus fugam arripuit, qui primis oppidis præsidio essent, ad Lucullum defecisse, ita vt hinc multæ Vrbes in Luculli venerint potestatem. Sinope tamen quippe Regis Vrbs ac domicilium restitit Lucullo, donec Ciues maioribus nauibus incensis, minores conscenderunt, ac fugam ceperunt Vrbe relicta. Qua recepta, Amisum contendit Lucullus, Regiam item Vrbem ac Regium Domicilium: quo post diuturnam obsidionem potitus est: vtranque tamen Vrbem donauit libertate.

PARTICVLA XXXVIII.

R*Egem spoliatum regno patrio, atque auito; ad alios se reges, atque alias gentes supplicem contulisse.*



Sextus Ponti Rex a primo numerabatur Mithridates, ita vt Regno Patrio & auito iurè priuatus dicatur. Hic igitur ad alios Reges aliásque gentes se contulit, nimirum ad Tigranem generum primò, quemadmodum narrabit paulò post: cúmque rursus victus esset, Hiberis, Caspiis, Albanis Parthorúmque Regi fuit supplex. Ita quidem quantumuis ab initio ad vnum Tigranem Regem se contulerit, multos tamen adijt postea.

PARTICVLA XXXIX.

A*Tque hæc omnia saluis Populi Romani socijs atque integris vectigalibus esse gesta.*

124 

Acutè: nam cum in vectigalia interim multò verò magis in socios insultaret Mithridates, quid si Populus Rom. suspicaretur sic vicisse Lucullum vt non istis prospexisset? Cicero igitur docet ea omnia quorum causa suadet bellum, a Lucullo fuisse conseruata, ita vt interim in quo culpari possit, superfit nihil. Nam Lucullum ea omnia conseruasse inde constat, quia conseruatis non modò socijs verùm etiam vectigalibus, fortunæ quoque multorum Ciuium, quoniam cum vectigalibus implicitæ erant, integræ videri poterãt. Nam de gloria Populi Rom. cum tam multas victorias retulisset, nihil attinet dicere. Satis igitur docuit cum hæc gessisset Lucullus saluis socijs atque integris vectigalibus, nullum superesse locum vnde culpari posset quin laudi patere amplissimum. Et ideo pergit è vestigio.

PARTICVLA XL.

Satis opinor hoc esse laudis, atque ita reputo, vt hoc vos intelligatis, a nullo istorum qui huic obtrectant legi, atque causæ; L. Lucullum similiter ex hoc loco esse laudatum.

Colligit quæ de Lucullo differuerat, & c. tur.



Aec ea etiam de causa colligit & commemorat M. Tullius, vt intelligatur se nil minùs cogitasse quàm de rebus a Lucullo gestis Pompeij gratia insimulandis, quod iactabant aliqui. Itaque Lucullum coluit semper Cicero, & cum eo coniunctissimè vixit: quin Pompeiũ, etsi alinquin Luculli aduersarium, in ipsius Luculli amicitia & familiaritate retinuit. Addit verò a nullo eorum qui Manilianæ legi obtrectarent, pari laudatione Lucullum ornatum esse, Catulum & Hortensium indicans qui dissuadebant legem, ac Pompeio Luculli gratia aduersabantur. At enim si tam præclarè multa gessit Lucullus, quî tandem, M. Tulli, magnum superest bellũ? Huic igitur dubitationi occurrit Cicero, atq; illuc redit vnde digressus est, vt de belli magnitudine differat. Et ideo pergit.

PARTICVLA XLI.

Redit ad propositam de belli magnitudine disputationem.

Requiretur fortaße nunc quemadmodum, cum hæc ita sint, reliquum possit 125
esse magnum bellum.



Edit igitur ad institutum, commoda ex Lucullianis rebus gestis earúmque laude occasione arrepta: & quoniam Luculli dignitatem vallauit satis, fatetur planiùs belli magnitudinem, atque ait.

PARTICVLA XLII.

Cognoscite Quirites; non enim sine causa quæri videtur.



Bi attentionem instaurat & Quirites appellans, & quî magnum sit bellum tandem declarandum proponens. Atque huc pertinet quòd interim id non sine causa sed iurè quæri fatetur.

PARTICVLA XLIII.

Primum ex suo regno sic Mithridates profugit, vt ex eodem Ponto Medea illa quondam profugiße dicitur: quam prædicant in fuga fratris sui membra in his locis, qua se parens persequeretur, dißipauiße: vt eorum collectio dispersa, mærórque patrius, celeritatem persequendi retardaret.

Medeæ fabulã Luculli anis excusandis refert.



D fabulam cónfugit, vt quam Romani exercitus culpam fateri apertè minùs auder ac propalare, hanc tacitè quodammodo indicet huiusmodi fabulâ. Quanquam non tam hanc vsurpat fabulam vt eam culpam indicet, quàm vt eam eleuet ac diluat si quo modo fieri possit. Id quod constabit paulò post. Nota est autem Medeæ fabula, quam ferunt Colchidis (adiacet Ponto hæc regio) Reginam fuisse. Hæc dum Iasonem deperiret, ferunt patrio domicilio ac Regno relicto, Iasonem clam secutam esse, Absyrto paruulo fratre abducto. Cúmque persensisset Aeetam parentem non longè

126 longè abesse eius vestigia persequentem; Absyrtum concîdit & membra quà eam parens persequeretur, dissipauit. Itaque eleganter, vt solet, Ouidius in libro III. de Ponto huiusmodi recolens Medeæ factum aut etiam fabulam sic canebat.

Ne pater ignoret, scopulo proponit ab alto,
Pallentésque manus sanguineúmque caput:
Vt genitor luctúque nouo tardetur, & artus
Dum legit extinctos, triste retardet iter.

Hinc factum est vt parens in paruuli filij membra incidens, id quod erat suspicatus, præ mœrore, sed in primis membra illa colligendi studio, sit retardatus, ita vt Medea interim aduentantis parentis effugerit manus. Hæc fabula: quam propterea illis verbis, *dicitur*, & *prædicant*, promulgauit, vt intelligeretur ex tragicorum spatijs non ex Historicorum monumentis desumptam esse: vel certè, quoniam vbi eiusmodi factum verè contigisset, aut pro vero habitum esset, Ciceroni cecidisset commodiùs, voces istas *dicitur, prædicant*, quippe Historico cum Poëta communes, vsurpat cautionis gratia. Iam verò quoniam huiusmodi exemplo seu hac fabula eo consilio vtitur M. Tullius vt indicet extenuétque propositam Romani exercitus culpam, id quàm apposité faciat, & quò tandem res euadat, videamus. Nam si quis ob fabulæ vsum (fabula enim est) commoueatur, id verò iuréne, considerabitur paulò post.

PARTICVLA XLIV.

Sic Mithridates fugiens, maximam vim auri atque argenti, pulcherrimarúmque rerum omnium, quas & a maioribus acceperat, & ipse bello superiore ex tota Asiâ direptas in suum regnum congesserat, in Ponto omnem reliquit. hæc dum
127 *nostri colligunt omnia diligentiùs, rex ipse è manibus effugit. ita illum in persequendi studio mæror, hos lætitia, retardauit.*



Ercommoda sine dubio est hæc fabula seu narratio Luculliani exercitus auaritiæ & culpæ minuendæ & eleuandæ, non secus ac bellè in hunc cadat locum, quòd ex Ponto Medea quoque profugerit perinde ac Mithridates: ac simul tam Medeæ parens quàm Lucullianus exercitus, astu sit retardatus: nam cum illam tum hunc persequenti aliquid obiecisse, atque hoc astu persequẽtis manus effugisse, quàm bellè item huc cadat, nemo non videt: denique fuga, dissipatio, collectio, retardatio, persequentis deuitatio, vtrinque cadit egregiè; quæ omnia dum eleganter nobis ante oculos ponit M. Tullius, illud etiam non minùs acutè quàm eleganter obseruat, mœrore illum, hos lætitia retardatos. Sed quod caput est expendamus; nimirum Lucullianorum auaritiam mirificè extenuari: ídque vel quia eius turpitudo fabulâ eleganter inuoluitur, vel quia ægrè auro atque argento pulcherrimarúmque rerum copiæ resistant mortales. vbi fortasse vox illa *diligentiùs* culpam minuit perinde ferè ac supra *superbiùs*. Ita sanè illos qui auidè nimis prædam collegissent, atque a Rege quem capere & in triumphum ducere non minùs salutare erat Populo Rom. quàm gloriosum; in spolia oculos coniecissent, atque ex militibus prædatores turpiter facti, Regem effugere permisissent, ferè excusari vult, quasi tantùm diligentia quadam colligendi peccauerint.

127 Hîc tamen illud videtur iurè ac meritò requiri posse, num Cicero qui rem grauissimam agebat, quæque contineret Reipublicæ salutem ac dignitatem, rectè ad fabulam confugerit; verendum enim ne huiusmodi fabula, quantumuis elegans, importuna sit, perinde atque in luctu musica, & in serijs ludus. Et sanè si in Demonstratiuo genere versaretur interim cui voluptas & delectatio proposita est, fortasse non temerè ad fabulam diuertisset. Sed cum in deliberatiuo versetur, & de re grauissima deliberandum esset, vix credi potest conuenienter fabulam inseri: vt enim turpe Comicum in Tragedia, ita turpis fabula in re tam graui & seria: præsertim verò quia hinc Cicero non tam consilij facem ostentat auditoribus quàm offundit tenebras, militum

Dubitatur aduersus M. Tullium quòd in re tam seria cõfugiat ad fabulam.

rum illorum culpam grauissimam occultans. Vt propterea multis de causis M.Tul-
lij, hoc est Oratoris grauissimi, iudicium atque prudentia requirenda videatur. Ve-
Respondetur. runtamen non est quòd inficiemur scitè non minùs quàm eleganter id factum, Etsi
enim Demonstratiuo liberior patet aditus ad fabulam iudiciali tamen & Delibera-
tiuo non est claudendus, quin, vbi persuasioni seruiat, aperiendus. Itaque Demo-
sthenes quoque pro concione lupi atque ouium fabulam protulit aduersus Philip-
pum, cum ab his quæreretur ad necem, & verò Athenienses de illo prodendo cogi-
tarent. qua fabula saluti consuluit egregiè: Sic Sthesicorus contra Phalarim Tyran-
nidem affectantem Cerui & equi vsurpauit fabulam qua patriæ prospexit libertati.
Sic Plato in funebri oratione multa repetit ex fabulis; sic Isocrates in panegyrico at-
que alibi sæpè: idémque M.Tullius, vt ad eum redeam, in Oratione pro Archia Orfei
fabulam affert; qui cantus suauitate Thebana mœnia condidisse diceretur: pro Mi-
lone Orestis meminit fabulæ quam ex Tragicis profert. Nam & Menenium Agrip- 129
pam ventris fabellam in re grauissima, ad plebis scilicet seditionem compescendam,
arripuisse, atque hac plebem ipsam cum Senatu reconciliasse, compertum est. Athe-
nis etiam, cum in Curia tumultus ob subsellia (ni fallor) esset exortus, vnde facilè
ad arma confugissent Ciues, ex ijs vnus qui fortè præpinguis atque obesus erat, sug-
gestum ascendens, fabella tumultum sedauit vniuersum. Cum enim hic repentè è
suggestu a quo ægrè caperetur, apparuisset; risum cohibere, atque ab ira ad hilarita-
tem tantisper non redire, non potuit Populus. Tum ille, Num fortasse quòd præpin-
guis sim ridetis Auditores? Annuunt illi; nec sine nouo risu annuunt. At ille, quid si
vxorem spectetis meam quæ multò pinguior est, quámque suggestus hic nullo mo-
do caperet? ingeminant illi risum. Tum exclamat iste. Nos tamen, etsi obesos ad mi-
raculum, dum concordes degimus, lectulus capit ambos vnus. Quòd si discordia in-
cesserit, nec lectus capit, nec cubiculum, nec domus vniuersa. Ita vos, pacem atque
concordiam retinentes, subsellia hæc capient percommodè: iratos & dissidentes nec
subsellia capient, nec Curia, nec Vrbis mœnia. Hac ratione Populum Atheniensem
ad saniorem mentem reuocauit iste. En igitur in re grauissima scitè atque vtiliter fa-
bulam vsurpari. Quid multa? an non Aristoteles fabulam dignam existimauit ad
quam Oratorem informaret suum? Certè in libro secundo Rhetoricorum id fecit
egregiè: eundémque secutus Cicero fabulæ vsum commendat prosequitúrque non 130
indiligenter. Vt propterea cum opportunè vsurpetur hoc tempore a M.Tullio, omni
eximendus culpa quin laudandus sit: præsertim verò quia interim Orationem exor-
nat, fessas reficit aures, rem eleganter & in primis ad persuadendum appositè ante
oculos ponit, suos Ciues (quod caput est) inuidia eximens & culpa non mediocriter.

Dubitatur rursus. Verùm illud succedit quod expendatur, num verè Mithridates aurum argentúm-
que ac preciosam supellectilem disseminauerit qua hostes retardaret. Et quidem
Florus rem perspicuis verbis affirmat dum scribit, *Rex callidus, Romanæque auaritiæ
peritus, spargi a fugientibus sarcinas & pecuniam iussit, qua sequentes moraretur.* Hic accedit
quòd cum dicat M.Tullius Luculllianos ea diligentiùs collegisse, satis indicare vide-
tur opes illas a Mithridate sparsas fuisse ac disseminatas. Quid plura? cum Medea Ab-
syrti membra in itinere dissipauisset, pecunias ac suppellectilem Mithridates quoque
dissipauerit necesse est, alioquin fabula seu Medeæ factum minùs opportunè recen-
seretur, nec iurè Mithridates Medeam imitatus diceretur. Veruntamen repugnare
videtur idem Cicero si quis eius verba æstimet diligenter: etenim ait quidem fugien-
tem Mithridatem maximam vim auri atque argenti pulcherrimarúmque rerũ om-
nium quæ in suum Regnum congesserat, in Ponto reliquisse, sed ea sparsisse ac disse-
minasse, nullo modo. Ergo cum vtrinque occurrant argumenta, sic statuo. Certum 131
Respondetur. est in Regias vrbes Sinopem & Amisum fuisse a Mithridate ingentes coniectas opes
quas diripuerũt Luculliani: id enim Historici perspicuè narrant: atque hoc est quod
sine dubio sibi vult M.Tullius hoc in loco. Cum enim Mithridates è Ponto fugiens
tales ac tantas opes in Ponto reliquisset, has auidè diripuerunt Romani. Quare *colli-
gunt* (inquit M.Tullius) non quòd reuera disseminatæ ac sparsæ essent, sed vt elegan-
ter ad Aeethæ factum alludat qui Absyrti membra collegisset: alioquin in Pontum
superioribus temporibus congestas fatetur. Sed & illud certum est Luculllianos è
Mithridatis Castris egisse item prædam, quam diripi (si Plutarcho credimus) con-
cessit

cessit Lucullus. Tametsi enim dum Regem persequerentur, per Præconem imperauerat vt a præda abstinerent & Regem persequerentur, illi tamen minùs obtemperarunt: itaque postea (ac fortasse illorum peruicaciam reformidans) castra quoque diripi permisit Lucullus. Cur igitur Florus pecuniam ac sarcinas a Rege disseminatas ait & de industria? ea fortasse de causa, quia cum mulus auro onustus ab fugientis Mitridatis tergo se se obtulisset in sequentibus hostibus, ac propterea ij relicto Rege in aurum irrupissent, mulum hunc de industria a tergo collocatum & hostibus obiectum crediderint aliqui; sic enim testatur Plutarchus: etsi res casúne an de industria ceciderit, dubitat. Hoc igitur factum perinde acceperat Florus ac si compertum esset

132 calliditate Regis euenisse. Tametsi Oratorio quoque more illud amplificauit: quasi verò, non tam mulus auro onustus obiectus esset quàm dispersa pecunia ac sarcinæ dissipatæ, quod ex Historicis alijs cõmemorat nullus. Id quod eò minùs crediderim, quòd M. Tullius id minùs aptè nec dicam imprudenter prætermisisset. Quid enim erat cur inde Mithridatem cum Medea conferret quòd in Ponto opes illas reliquisset, cum dissipatæ sarcinæ & pecuniæ multò magis cum Medeæ facto consentirent quæ Absyrti dissipasset membra? Illud tamen suspicor, M. Tullium, etsi non semel Luculliani prædam auidiùs diripuissent, hîc prædam vnam commemorasse quam ex Vrbibus illis diripuerant: vt quoniam huc opes ingentes offenderant, ex hac magnitudine opum, minueret Romanorum culpam: fortasse etiam indicauit has opes a Rege callidè & de industria relictas vt collectione retardarentur insectantes: certius n. statui nihil põt. Illud tñ certo certius affirmari põt, turpe ac periculosum esse, antequã victoria in tuto posita sit, ad spolia & prædã inhiare: quin hoc a bono Imperatore prohibẽdum supplicio ẽt grauissimo proposito. Alioquin passim victores ipsi hinc victi euadãt necesse est. Id quod alijs exemplis multis ac propè innumeris cõfirmarẽ, nisi res ipsa p se satis clamaret. Illud tñ nõ prætermittã superioribus annis Mithridaticũ hoc stratagema a Turcarum Rege in Pãnonia fuisse renouatum. Cum n. congressus esset cum Christianis militibus, quibus tunc Transiluaniæ, quem vocant, seu Daciæ Princeps Bactorius præerat, aciam magna clade affectus, terga vertisset, sic vertit vt amplissima spolia castráque ipsa ingenti cũ præda obuijs hostibus diripienda obijcerit. Ita factum est vt dum Bactoriani cum Regẽ illũ debellare iam facilè possent,

133 fortasse etiam eum captiuum ducere, præda illa ingenti retardari, non modò victoriam sibi è manibus extorqueri passi sint, verùm etiam a callido hoste ad vnum cæsi fuerint omnes. Cum enim Turca se in collem recepisset, ecce tibi dum se munit, obseruat Bactorios in præda colligenda sine ordine dissipatos. Itaque eos confestim magno equitatu adoritur & ad internecionem vsque prosequitur.

PARTICVLA XLV.

HVnc in illo timore, & fuga Tigranes rex Armenius excepit, diffidentémque rebus suis confirmauit, & afflictum erexit, perditúmque recreauit.



Euera Tigranes ab initio cum in eius Regnum confugisset Mithridates, haud passus est hunc sibi in conspectum venire, sed remotam illi Vrbem, eámque palustrem & insalubrem, attribuit in qua degeret: ita vt in fuga illa saltem, reuera non fuerit erectus ac recreatus. Cicero tamen vt seruiat causæ, ac Lucullianos de clade a Mithridate accepta excuset, ait a Tigrane exceptum, confirmatum, erectum, recreatum. Quanquam non ita seruit causæ, vt planè mentiatur, sed tantùm id quod ab initio Mithridati accidit, dissimulat. Verè enim non multò post Tigranes cõgressus est cum Mithridate, quem afflictum erexit ac recreauit. Cum enim sibi per Appium a Lucullo indictum esset bellum, continuò Mithridatem consolandum censuit sibique obstringendum. Et ideo in hæc intuens Cicero ait Mithridatem in illo timore & fuga recreatum, rem exaggerans atque amplificans, vt hinc multò magis extenuetur Romani exercitus culpa.

Sensum aperit quo Mithridates Regnũ recuperauerit ac Romanos ingẽti clade affecerit.

PAR-

PARTICVLA XLVI.

CVius in Regnum posteaquam L. Lucullus cum exercitu venit, plures etiam gentes contra Imperatorem nostrum concitatæ sunt. 134



TRaduxit Lucullus exercitum in Tigranis Regnum Mithridatem persequens: ita ut Euphratem ac Taurum montem prætergressus esset, atque Armeniam diuexaret; facilè aliæ quoque gentes commotæ, in Lucullum sint concitatæ. Fuerunt autem Hiberi, Caspij, Albani atque alij multi.

PARTICVLA XLVII.

ERat enim metus iniectus ijs nationibus, quas nunquam Populus Rom. neque lacessendas bello neque tentandas putauit.



CAusam affert cur gentes illæ sint concitatæ: quæ sanè causa, si Populi Rom. æstimemus mentem, fortasse interim vera censeri potest, quòd Lucullum contra Mithridatem tantum misisset, nec vt in Armeniam traiiceret, aut alias gentes lacesseret, imperarat. Et ideò appositè ait Populum Romanum has gentes armis ne tentandas quidem putasse. Alioquin Lucullus præ æstu gloriæ eas in dies magis & lacessendas bello & subigendas censuit. Id quod ei calamitatem attulit, cum exercitus prosequi recusàuerit longius, præsertim cum Parthos cœpisset aggredi; ac proptereà illum deseruerit magna ex parte. Non temerè igitur hanc Populi Rom. moderationem commemorat M. Tullius, vt indicet per Populum Rom. haud factum vt metus ille vltra Pontum Barbaris sit iniectus. Quanquam si res fœliciter cecidisset Lucullo, Populus Romanus qui totius Terrarum Orbis Imperium affectabat, rem probasset facilè: certè paulò post Pompeio triumphum decreuit quòd varias Asiæ Prouincias Romano Imperio adiunxisset: & tamen ex his pleræque nec ad Mithridatem aut Tigranem pertinebant, contra quos Imperatorem Pompeium delegerat Populus Rom. nec Mithridatem aut Tigranem iuuerant; ita vt cur eas subigeret non haberet. 135

PARTICVLA XLVIII.

ERat etiam alia grauis atque vehemens opinio, quæ per animos gentium barbararum peruaserat, fani locupletissimi & religiosissimi diripiendi causa in eas oras nostrum exercitum esse adductum.



NOn temerè fortasse hæc Barbarorum animos persuaserat opinio, cum Romanorum militum auaritia perspecta esset satis. Erat autem Bellonæ, vt quidam existimant, Fanum, quod Comana dicebatur, vel certè, quantum quidem ex Dione coniectare licet, Dianæ Tauricæ. Cum verò Strabo scribat duo fuisse Comana Bellonæ dicata, vnum in Ponto, in Cappadocia alterum, quale nam intelligit M. Tullius? Ponticum aliqui, quòd Cappadocia in Ariobarzanis esset potestate: ac propterea cum hic esset amicus Populi Rom. nihil planè esset cur eæ gentes Romanorum arma pertimescerent. Sed tamen cum iam Ponti iacta esset alea, ac propterea cum Regno ipso Comana Romanorum præda factum esset, crediderim Cappadociæ Comana intelligendū Etsi enim Ariobarzanes esset amicus Populi Rom. facilè tamen eius Regnum per idem tempus in hostium erat potestate; aut certè maior censebatur Romanorum auaritia, quàm vt opulentissimum illud Fanum, & si in Ariobarzanis Regno, tutum esse

esse posset a Romanorum armis ac prædæ. nam Romanos amicas quoque Asiæ Vr-
136 bes multas expilasse Cicero ipse satis indicabit non multò post. Quin idem Dio, qui testatur Dianæ Tauricæ dicatum templum, in Cappadocia fuisse indicat. Denique nisi de hoc potiùs quàm de Pontico locutum dicamus M. Tullium, ordinem perturbasset narrationis: siquidem antequam Lucullus occuparet Pontum, cōcitatæ essent gentes illæ, verentes ne Comana diriperentur. Et tamen hîc narrat Cicero quæ contigêre postquam Lucullus non modò occupauerat Pontum, verùm etiam, Euphratem ac Taurum transgressus, traiecerat in Armeniam. Cappadociæ igitur intelligit Comana. Nisi fortè concitatas iam multò antea intelligit gentes, cum scilicet Lucullus in Pontum tenderet. Etsi alioquin hîc, vt non tam Historicum agit quàm Oratorem, accuratim gentium illarum motus attingeret, causam indicans cur Mithridatem iuuerint, tantisper commotionis ac suspicionis tempore dissimulato.

PARTICVLA XLIX.

ITa nationes multæ atque magnæ nouo quodam terrore ac metu concitabantur.

ID etiam commemorat vt extenuet Romani exercitus culpam: si enim nationes tam multæ ac magnæ tantopere concitabantur, ac propterea in Lucullianos conspirarunt, ignoscenda ijs videtur rerum commutatio, & quæ deinde accepta est clades. Et ideo pergit.

PARTICVLA L.

NOster autem exercitus, etsi vrbem ex Tigranis regno ceperat, & prælijs vsus erat secundis: tamen nimia longinquitate locorum, ac desiderio suorum commouebatur.

137 DIssimulat turpem illam exercitus defectionem vel quòd P. Clodio ac Romanis multis accepta esset referenda, ac propterea nollet eam cum inuidia commemorare, vel quia Luculli etiam accidit culpa, quam reticendam putauit, vel denique quia non omnes Imperatorem deseruissent. Cicero igitur defectionem illam præteriens, in bonam partem interpretatur factum: in primis verò vt culpam taciti eleuet, è contrario attingit quæ in Armenia fœliciter gesserant; addens Lucullianos iam nimia longinquitate locorum (quod verè etiam enunciat) ac desiderio suorum commotos esse. Tametsi ob ingentem quoque prædam qua ditati erant, optabant reditum: quod tamen prætermittit Cicero. Tigranocerta verò Vrbs fuit
*Pl p.351 Tigranis quam Lucullus expugnauerat: quam sanè Vrbem paulò ante Tigranes condiderat, ac de suo appellauerat nomine; nam Tigranis Vrbem significat. Prælijs etiam secundis vsus fuerat Lucullus interim in Armenia, ita vt ipsius Tigranis diadema, eius exercitu cæso, retulerit, quod in triumpho etiam ostentauit.

At enim qui tandem res Romana vsque adeò afflicta est M. Tulli? aut cur bellum magnum & periculosum esse professus es ad extremum? Cicero igitur tacitè ijs occurrens, sic pergit.

PARTICVLA LI.

HIc iam plura non dicam. fuit enim illud extremum, vt ex his locis a militibus nostris reditus magis maturus, quàm processus longior quæreretur.

Tacitè

TAcitè postulat vt sibi quæ consecuta essent, præterire liceat, quæ inquam infœliciter cecidissent Romanis postquam secundis prælijs vsi essent contra Tigranem. Quanquam hic non clades intelligit, hæ enim ad posterius pertinent tempus vt constabit paulò post; sed ad legionum seditiones ac tumultus vnde Lucullus magna ex parte 138
spoliatus est milite. Huiusmodi verò seditiones mitiùs atque adeò in bonam partem interpretatur inuidiæ declinandæ causa, cum Ciuium Romanorum ferè culpa contigerint. Et ideo *Fuit* (inquit) *illud extremum, vt a militibus nostris reditus magis maturus quàm processus longior quæreretur*. Deseruerant enim Lucullum partim stipendia se confecisse affirmantes (id quod Fimbriani dictitabant in primis) partim Luculli arrogantiam, aliqui etiam auaritiam, incusantes. Quanquam P. Clodius qui milites folicitauit ad defectionem, malorum præcipuus Author fuit: de qua re vide Plutarchum in Lucullo.

PARTICVLA LII.

Mithridates autem & suam manum iam confirmarat & eorum, qui se ex eius regno collegerant, & magnis aduentitijs multorum Regum, & nationum copijs iuuabatur.

EXercitus defectionem, si tamen defectio omnino censenda est, dissimulanter attigit, ille quidem & callidè. cum enim duo in primis turpiter gessisset Luculli exercitus; vnum quòd præ auaritia Mithridatem passus esset elabi, alterum quòd Imperatorem (etsi non omnium id fuit) deseruerat; primum fabula transegit qua culpam eleuauit nō mediocriter: alterum in bonam partem conuertit partim, partim silentio præterijt. Contra in præsens de Mithridate. Vt enim paulò ante exaggeratè satis ostendit a Tigrane recreatum, ita in præsens, vt hinc etiam minuat Lucullianorum culpā & quam deinde accepissent cladem; ostendit milite auctum & magnis multarum gentium, ac Regum item copijs adiutum. Cur verò Reges ac nationes in afflicta huiusmodi fortuna opem attulerint, exponit pergens. 139

PARTICVLA LIII.

Hoc iam ferè sic fieri solere accepimus, vt regum afflicta fortuna facilè multorum opes alliciant ad misericordiam: maximéque eorum nomen magnum, & sanctum esse videatur.

NObilem sine dubio affert causam. Verè enim misericordiam afflicta conciliat fortuna, non recusatque inuidiam prospera: in primis verò Regum aut eorum qui sub Regno degunt, permouet animos: ac Regum quidem, propter similitudinem. id quod in Tarquinio superbo obseruare licuit, cui Porsena ea maximè de causa præsto fuit: quòd Rex Regem pelli atque Orientem morem pellendi Reges indignaretur: eorum verò qui in Regno viuunt, quòd Regale ijs nomen, vt monet Cicero, magnum ac sanctum videri soleat. At enim cur sanctum? cur enim magnum, satis constat. Sanctum vel quia vetustissimus Hebræorum mos apud quos Reges inungebantur a Sacerdote ac propterea Sancti habebantur, aliquo modo manasset ad Barbaros: vel quia apud multos (id quod Aristoteles etiam commemorat in Poticis) iidem & Reges essent & Sacerdotes, vnde illud

Rex Anius, Rex idem hominum Phœbique Sacerdos.

Certè Plato apud Aegyptios id lege cautum fuisse scribit vt idem Rex & Sacerdos esset. Quin apud Romanos etiam hæc aliquando inualuerat opinio. Itaque

Semper

Pro De iotaro. Semper (inquit M. Tullius) *Regium nomen in hac Ciuitate sanctum fuit, sociorum verò Regum sanctissimum*. Quanquam non est cunctandum affirmare barbaros Reges vt augustior eorum esset maiestas, & verò tutior, hanc sibi sanctitatis opinionem callidè affinxisse: quod hoc quoque tempore apud Barbaros vsu venit. Etsi alioquin Reges, summi Regis voluntate regnare, apud nos satis constat.

140

PARTICVLA LIV.

Itaque tantum victus efficere potuit, quantum incolumis nunquam est ausus optare.



Cutè: qui enim incolumis adhuc ne optare quidem ausus esset tantam fœlicitatem, hanc victus adeptus est. Ita vt in eum commodè illud cadat, Perieram ni perijssem. Hîc verò incolumem appellat Mithridatem eius statum spectans, cum nondum esset profligatus. incolumem enim dignitatem quoque dicimus, authoritatem, diuitias, ædes, famam & id genus alia: etsi corpus inprimis seu animal appelletur incolume. Sed quæ, obsecro, Mithridati victo talis ac tanta contigit fœlicitas? indicat hoc Cicero dum ait,

PARTICVLA LV.

Nam cum se in regnum recepisset suum, non fuit eo contentus, quod ei præter spem acciderat, vt illam, posteaquam pulsus erat, terram vnquam attingeret: sed in exercitum vestrum clarum atque victorem impetum fecit.



Ecepit se Mithridates ex Armenia in Pontum ac Paternum Regnum, cum Lucullus magna ex parte derelictus esset a militibus, ac propterea dum non auderet cum ingentibus Mithridatis copijs congredi, in Tigranem diuertisset. Ita quidem Mithridates Fabium fudit primum qui a Lucullo Ponti præsidio constitutus fuerat: tum Triarium magna affecit clade, ita vt huius quoque cœperit castra, septem Romanorum millibus cæsis: inter quos Tribuni militum viginti quatuor, Centu-

141 riones centum & quinquaginta, desiderati sunt. id quod Triarij ambitioni ac temeritati acceptum est referendum, qui, vt victoriam præriperet Lucullo, hunc, etsi iam iam aduentantem, expectare detrectauit. Quanquam ijs per quos hæc acciderant, parcit M. Tullius: & ideo ait Mithridatem in exercitum clarum atque victorem impetum fecisse: Tametsi ne exitum requiras, sic pergit.

PARTICVLA LVI.

Sinite hoc loco Quirites (sicut poetæ solent qui res Romanas scribunt) præterire me nostram calamitatem, quæ tanta fuit, vt eam ad aures L. Luculli non ex prælio nuncius, sed ex sermone rumor, afferret.



Ic Cicero, vt rem tacitè indicet, vel potiùs prætereat, ne graue illud vulnus refricare videatur. Ennium verò & Neuium intelligit Poëtarum istorum nomine, cecinerant enim Punicum Bellum quæ infœliciter cecidissent prætereuntes. Vbi Platonis aliorúmque more Poëtas eos quoque facit qui imitatione carerent, atque historico more res gestas persequerentur, perindeatque Empedocles aliíque multi qui vno carminis nomine inter Poëtas numerati sunt. Alioquin Aristoteles ex imitatione æstimat Poëtas non ex carmine. De qua re nos copiosè disputauimus

F in

in Aristotelis Poëtica. An verò ne nuncius quidem superfuerit prælio, quod vtcunque indicare videtur Cicero, non facilè statuerim: ex Historicis certè id minùs constat. Sed Oratorem agit Cicero, & vt Mithridati maiorem conflet inuidiam, id fortassè prædicat: quemadmodum quæ consulto prætermittit, ea contra, Historiæ legem prætermittit; quòd Oratoris personam sustineat non Historici.

PARTICVLA LVII.

Hic in ipso illo malo, grauissimáque belli offensione L. Lucullus, qui tamen aliqua ex parte ijs incommodis mederi fortaßè potuisset; vestro iussu coactus, quòd imperij diuturnitati modum statuendum veteri exemplo putauistis; partem militum, qui iam stipendijs confectis erant, dimisit: partem Glabrioni tradidit. 142



Vcullum hinc excusat dum vel cladem non prohibuit vel non vindicauit; ac propterea absentiam atque ipsius Populi Romani Imperium commemorat, vnde Imperij modus illi constitutus est. Ex quo etiam factum est, vt milites partim dimiserit quòd stipendia confecissent, (iam enim defectionem initiùs interpretari cœpit) partim Glabrioni, quippe successori, tradiderit.

PARTICVLA LVIII.

Multa prætereo consulto, sed ea vos coniectura perspicitis, quantum illud bellum factum putetis, quod coniungant reges potentissimi: renouent agitatæ nationes: suscipiant integræ gentes: nouus imperator vester accipiat veterè expulso exercitu.

Indicat quàm indicanda sit belli huius magnitudo atque hanc perorat partem.



Erè prætèrit multa, idque ne Lucullo aut Romanis multis inuidiam conflet, aut etiam luctuosa inutiliter prosequatur longiùs. quod cū Oratoris non Historici sustineat personam, reprehensione carere debet. Tametsi, ne quod pertinet ad belli magnitudinem prætereat, significat ex dictis Populum Rom. coniectura perspicere quale & quantum futurum sit bellum in quo Reges potentissimi atque agitatæ nationes & integræ gentes bellum instaurent aduersus ipsum Populum Rom. cum tamen ipse è contrario nouum submittat Imperatorem (nouum enim intelligit quia Tyro esset rei militaris & imperitus) & verò veterano careret exercitu. quæ omnia pronunciat vt Pompeio canat. Dum verò ait *bellum quod coniungunt Reges*, aliqua interpretantur quod committunt inter se; sed non video cur ita exponendus sit locus, cum difficilior reddatur ac durior: præsertim verò quia bellum committere inter se, videatur significare bellum inter se gerere: cum tamen hîc significet Cicero arma coniungere. Ergo quemadmodum alibi ait M. Tullius *Petreius dicitur cum Afranio coniunxisse*, hoc est arma & vires; ac rursus *hospitium coniunxit, salutem coniunxit*, ita bellum coniunxerunt isti, quod est bellum quod diuisim gerebatur (a Mithridate enim in Ponto, a Tigrane in Armenia) coniunxisse, vires nimirum, arma, apparatum denique coniungentes. Sic etiam Silius dixit coniungere Martem, quod est vires ac bellum. 143

PARTICVLA LIX.

Satis mihi multa verba fecisse videor, quare hoc bellum eßet, genere ipso necessarium, magnitudine periculosum. restat vt de imperatore ad id bellum deligendo, ac tantis rebus præficiendo, dicendum esse videatur.

Mira-



Eταβάσει seu Transitione vtitur M. Tullius, qua & quæ disseruit, breuiter colligit, & quæ iam differenda sunt, proponit. Ita quidem Auditorum consulit & memoriæ & docilitati. Quanquam cum in huiusmodi Propositione non modò affirmet iam esse dicendum de Imperatore ad id bellum deligendo, verùm etiam grauissima illa verba subijciat, *ac tantis rebus præficiendo*, rerum pondere & grauitate attentionem quoque vel sibi conciliet vel augeat necesse est. Ac profectò cum ab initio proponeret sibi dicendum de Imperatore deligendo, nondum ostenderat agi in eo Mithridatico bello gloriam Populi Rom. salutem sociorum, maxima Reipu-
44 blicæ vectigalia ac Ciuium fortunas; nec rursus docuerat huiusmodi bellum fore vtile, honestum atque inprimis esse necessarium, nec rursus esse necessariũ quidem, sed tamen arduum, magnum, periculosum; nunc verò, quoniam hæc omnia demonstrauit, addit suo iure *ac tantis rebus præficiendo*; quod est grauissimis & maximis quæcque Reipublicæ totius dignitatem continent ac salutem.

Progreditur ad III. seu postremā Partē, Quæ est de Imperatore deligendo.

Iurè autem ait satis multa se verba fecisse de belli & genere & magnitudine, seu necessitate & periculo, quia hac de causa tum multa interposuerat ex antiquitatis memoria: tum inprimis ad Lucullum partim excusandum partim ornandum longior fuerat quàm alioquin res ipsa flagitasset. Quanquam nihil prohibet quominus id affirmare potuerit in ea tantùm spectans quæ de ipsa necessitate & magnitudine belli dicta fuerant; cum de ijs etiam multa satis fuerint disputata. Neque verò ea verba *Satis multa verba*, in deteriorem partem accipienda sunt, quasi verò plura dixerit quàm opus esset (id enim & fecisse turpe & profiteri turpissimum) ac propterea verbosus censeri possit. Nam *satis* non aut *valde* aut *nimis* valet, sed *quod sat est* vel *quod sufficit*. Nec saltem propter eas voces *multa verba*, suspiceris plura quàm opus esset dixisse, quasi verò significet satis supérque locutum esse: siquidem *satis multa dixisse* significat quidem rem latè & copiosè fuisse disputatam, sed opportunè tamen & appositè. Audite eundem in quarta Philippica, *Satis de rebus nostris vel etiam nimiùm multa*,
145 & clariùs in libro sexto Epistolarum, *Satis multa vel plura potiùs quàm necesse fuit*: quibus in locis non addidisset *nimium* vel *plura*, si *satis multa* nimiùm valeret aut plura quàm opus est. Et ideo illud in primo de Officijs *Negabat vllam satis magnam pecuniam esse ei qui in Republica Princeps vellet esse*, nil aliud significat quàm nunquam pro ut deberet amplam esse. quin etiam illud affirmauerim apud Oratores ne illud quidem *satis supérque*, necessariò plus quàm opus esset, significare. Cum enim Orator exaggeratè loquatur sæpè, significare posset rem verbi gratia clariùs explicatam aut confirmatam quàm vt dubitatio superesse possit vlla: vel vberiùs esse declaratam & copiosè. Sic illud interpretor *satis supérque habes*: & illud *satis supérque istorum studijs est factum*, significat enim planè satis factum esse. Sed & obseruanda sunt ea verba *bellum necessarium: magnitudine periculosum*: nam ostendit quidem esse honestum & vtile: necessarium tamen, nisi ex hypothesi, non ostendit; si videlicet Populus Romanus gloriam sibi a maioribus traditam, socios, Rempublicam ac Ciues Romanos tueri velit: magnitudine verò periculosum, quia licet visus est hac in re aliquando tergiuersari, nec apertè denunciare esse magnum ac periculosum (ideo enim aiebat posse dici non esse ita magnum vt sit pertimescendum) nunc tamen, cum Lucullum ornauerit, séque omni inuidia liberarit, id quod est penitus fateri atque adeò profiteri non veretur. Ita quidem, ubi ore rotundo belli magnitudinem ac periculum declarauit ac veluti ante oculos posuit, opportunè eò se se refert vt persuadeat vnum Pompeium esse deligendum, quod proposuerat extremum. Sed iam qua ratione rem aggrediatur audiamus.

PARTICVLA LX.

Vtinam Quirites virorum fortium, atque innocentium copiam tantam haberetis vt hæc vobis deliberatio difficilis esset, quemnam potissimum tantis rebus, ac tanto bello præficiendum putaretis. 146



Comparat sese, vt sensim descendat ad Pompeium ornandum: idque vt hinc efficiat hunc esse deligendum & Mithridatico bello præficiendum. Qua in re ea ratione ab initio ad finem vsque vtitur M. Tullius quæ ad hunc syllogismum reuocari potest. Is est huic bello præficiendus qui maximè omnium Imperatoria excellat virtute. Talis est Pompeius, Pompeius igitur præficiendus est. Quin si Enthymema Oratori sit tribuendum, syllogismus Dialectico reseruandus, sat sit dicere, Pompeius maximè omnium Imperatoria virtute excellit. Ipse igitur deligendus est Imperator. Quanquam quoniam satis meminerat iam aliquos dissuasisse Manilianam legem, ac propterea intelligebat fore vt aduersarij non facilè tantum tribuerent Pompeio sed alios esse dictitarent qui Pompeio ac proinde tanto bello pares essent, idcirco eò primùm intendit animum, vt eos refellat qui pro concione Manilianam dissuasissent, dictitantes non deesse strenuos Ciues ac fortes qui optimè possent præfici huic bello: quod fortasse commouerat multorum animos, præsertim verò quia non est dubitandum, quin alij multi ad hanc Imperij dignitatem aspirarent, qui suos fautores haberent. Cicero igitur quasi ijs respondens, *Vtinam*, inquit, *Quirites, virorum fortium, atque innocentium copiam tantam haberetis, vt hæc vobis deliberatio difficilis esset, quemnam potissimum tantis rebus, ac tanto bello præficiendum putaretis.* Et sanè 147
si hoc bellum in superiora tempora incidisset, in quibus parsimonia & innocentia vnà cum seuera disciplina vel florebat vel nondum corruerat, forsitan non facilis vel potiùs difficilis fuisset deliberatio: nunc verò, quoniam vnus Pompeius fortitudine innocentiáque excellit, deliberatio facilis videri potest. Quanquam (quicquid dicendum sit de superiore Romanorum seculo) cum optimum in qualibet re rarum esse soleat, atque vnum aliquem inuenire qui in rebus pulchris arduisque excellat, sit difficillimum, vt in Poësi, Eloquentia, aut in Astrologia, vel Geometria, quemadmodũ alicubi disputat M. Tullius; quantò magis erit hoc difficile atque arduum in militari sapientia Imperatoriáque virtute? Sanè cum ingentem ac propemodum infinitam rerum cognitionem & vsum requirat, (id quod opportuniore loco prosequemur fusè) rara auis erit summus Imperator. Memini me legere apud Arrianum in Alexandri vita, magnum hunc Imperatorem cum audisset decem belli præfectos siue Imperatores fuisse ab Atheniensibus præpositos exercitui, eos irrisisse, idque ea de causa quòd diceret se suos milites militaribus laboribus diu exercuisse ac penè contriuisse, & tamen vix Parmanionem habere cui Imperatoriam laudem tutò tribuere posset: vsque adeò exercitum scienter administrare ac pro dignitate est perdifficile. Sed ad M. Tullium, qui sanè dum negat quemquam esse qui fortitudine simul & innocentia excellat, eò etiam spectare videtur vt Romanæ disciplinæ commutationem maximam tacitè indicet ac veluti deploret; quasi diceret, Fuit quidem olim tempus 147
cum fortissimorum & innocentium virorum in Romana Repub. non exigua erat copia aut certè non magna erat paucitas: itaque Fabij, Torquati, Fabritij, Flaminij, Reguli, Marcelli, Scipiones & fortitudine & innocentia celebrabantur; sed in præsens veteri frugalitate paulatim abiecta & temperantia, viri fortes & innocentes ad miram paucitatem redacti sunt. quare difficilis fuisset quidem olim de Imperatore deliberatio; nunc verò cum vnus Pompeius sit quo non modò præsentibus verùm etiam maioribus omnibus hisce virtutibus antecellat, facillima est deliberatio. Et ideo pergit.

PAR-

PARTICVLA LXI.

NVnc verò cum sit vnus Cn. Pompeius, qui non modò eorum hominum, qui nunc sunt, gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam virtute superarit, quæ res est qua cuiusquam animum in hac causa dubium facere possit?



ITa quidem tum mirificè iam extollit Pompeium, tum eundem statuit sine vlla dubitatione vnum esse deligendum. Vbi sanè dum eum Cicero antiquis omnibus, etiam laudatissimis, præfert, minùs iniurius videri debet præsentibus. Tametsi quoniam id non nihil inuidiosum videri adhuc poterat, nec præterea par erat Pompeio tantum tribuere, nisi iurè id ei tribui demonstraretur, ecce tibi M. Tullius, qui vt se omni inuidia liberet, Pompeij virtutes Populo Rom. ante oculos ponit, atque illius virtutum campum longè ac latè excurrit, idque altiùs etiam, a thesi scilicet ducto principio. subijcit igitur è vestigio.

PARTICVLA LXIII.

149 *EGo enim sic existimo, in summo Imperatore quatuor has res inesse oportere: scientiam rei militaris, virtutem, authoritatem, fœlicitatem.*



PRæclarum fuerat de tali ac tanta Pompeij virtute & gloria admonuisse Populum Rom. sed longè præclarius erit iam eádem argumentis cōfirmare, ac res præclarè a Pompeio gestas & summa cū omnium gentium approbatione & admiratione gestas, commemorare. Itaque huc orationem impellit totam: idque pulcherrima virtutum quæ in summo Imperatore requiruntur, diuisione proposita; vt scilicet ijs omnibus Pompeium ostendat floruisse. Vbi sanè, vt cumulatior atque perfectior sit laudatio, rem a Thesi siue a genere vniuerso exorditur. Ea enim omnium præclarissima est laudatio atque adeò oratio quæ ab infinita quæstione ad finitam siue a Thesi (vt dicere cœperam) ad Hypothesim progreditur. sic in Oratione pro Archia, Archiam laudaturus quòd Poësi atque optimis doctrinis excelleret, Poësim atque optimas doctrinas vniuersim laudauit priùs; tum eodem nomine celebrauit Archiam. Sic igitur in præsentia, priùs imperatorias virtutes veluti in Theatrum adducit (etsi breuiter hîc, pleniùs fermè vbi de singulis) tum eas agnoscit in Pompeio, quem mox propter huiusmodi virtutes diuinis propè laudibus extollit. Sed quadripartitam hanc virtutum seu rerum diuisionem agnoscamus, in qua vniuersim de imperatorijs virtutibus verba facit. *Quæ requirantur in summo Imperatore.*

150 Tametsi antequam de ijs sigillatim agam, grauem quandam dubitationem, quæ se se hîc vltrò objicit, commemorare ac diluere constitui. Etenim vbi præsto sit militi aut Imperatori fœlicitas, quid est quod ad res benè gerendas & victoriam consequendam, vel scientiam, vel authoritatem, vel aliam virtutem vllam requiramus? Declarauit hoc Augusti fœlicitas. etsi enim rei militaris sciētia atque huiusmodi alijs virtutibus, minùs floreret Augustus, præsertim antequam ad maturam ætatem perueniret; fœlicitate tamen, adhuc adolescens, ac perpetuis victorijs, vsus est, quibus Mundi Imperium quinquaginta ferè integros annos obtinuit. Quid multa? cum eius classis cum Antoniana maritimum prælium obiret, ac de totius terrarum orbis Imperio dimicaret, sub suppi dormitabat altiùs, ita vt dormiens Mundi Imperium adeptus sit. Sic etiam Lucullus primis annis, cum adhuc esset nouus Imperator ac tyro, tanta fœlicitate vsus est, vt Fortuna ipsa pro Lucullo dimicare diceretur. Et tamen posterioribus annis, cum iam profecisset rei militaris scientia & virtute, tanta infœlicitate vsus est, vt è contrariò Fortuna repugnante atque infensa militare dictus sit. *Dubitatur tamē priùs*

lib. 1. Itaque Eustachij dictum illud apud Homerum in Odissea, Ἀτταρτα, καὶ ἀνήροτα φύεται

 πάντα

πάντα τοῖς εὐδαιμονοῦσιν. Citra sementem & arationem nascuntur omnia fortunatis, aut Menandri alterum *Ῥέγχει παρούσης τῆς τύχης τὰ πράγματα*. idest *Stertunt res cum adest fortuna*, videtur apposite dictum: stertunt enim mortales licet atque adeò in vtranque aurem dormiant, fauente fortuna: huic enim *Ἀεὶ δ' εὖ πίπτουσιν οἱ Διὸς κύβοι, semper cadunt prosperè Iouis tali*, citra enim nostram industriam diuina sors obtingit: id quod illi confirmant qui dictitare solent *Θέλω τύχης σταλαγμὸν, ἢ φρενῶν πίθον. Malo fortunæ guttam quàm sapientiæ dolium*. Quid est igitur quod M. Tullius in eo quem fœlicem requirit, 151
Imperatore, tam multas virtutes, & inprimis rei militaris scientiam, quæ nisi diutur- *Eust. Ili. 2. ex. Naz.*
Responde-tur. nis laboribus ac sudoribus, interdum etiam sanguine, haud paratur, efflagitet? Quanquam egrgiè M. Tullius. Nam verissimè dici potest fortunam ac fœlicitatem industria ac virtute patari; ita vt suæ quisque fortunæ ac fœlicitatis quodammodo sit faber. Vt enim ad prosperam nauigationem non modò prosperis ventis sed bono etiã gubernatore opus est; ita ad res benè ac fœliciter peragendas cum fortuna industria requiritur & prudentia. Atque id præsertim vsu venire solet in re militari. Id quod & in Themistocle & in Alexandro, & in Annibale & in P. Scipione (vt de nostris dicam) & in Lucullo ipso & Cn. Pompeio demonstrare licet. nam Themistocles laboribus ac militaribus studijs sibi aditum aperuit ad militarem illam gloriam & fœlicitatem qua non modò Milciadem quem æmulabatur, verùm etiam omnes qui apud Græcos ante eum floruerant, superauit. De Alexandro verò & Scipione nihil attinet dicere; quandoquidem laborem semper, industriam, militarémque contentionem ac scientiam Imperatoriam fortunæ ac fœlicitati parem ostenderunt. Annibal etiam tamdiu prosperitate ac fœlicitate vsus est, quandiu militarem disciplinam coluit: hac remissa amisit etiam fœlicitatem & eam transmisit hostibus. Idem de Lucullo, idem de Pompeio: ille enim historias quemadmodum refert M. Tullius ac bella diligenter 152
perlegens, militaris scientiæ peritos assiduè audiens, laborem, industriámque summã *I Acad.*
rebus gerendis adhibens, eò peruenit vt a Mithridate ipso cum Magno Alexandro *quæ s.*
comparatus, atque adeò Romanus Alexander vocatus, sit. Tum verò illum fortu- *ad mit.*
na defecit ac fœlicitas, cum magnus cunctator factus aut nimio fastu elatus & arrogantia, auaritiæ quoque seruiens & cupiditati, offendit apud milites: ita vt derelictus quoque sit. Quapropter egregiè Plutarchus, *Primò Fortuna cum Lucullo militauit: prosperásque semper auras præstitit* (dum scilicet militiam diligenter coleret) *deinde huic semper velut in altum intendenti, repugnauit*, quia nimirum disciplinam illam deseruit. Denique Pompeius obtinuerat quidem militari studio ac virtute vt cum summis Imperatoribus cõferri posset, fortasse etiam anteponeretur omnibus: sed tamen (id quod Cicero declarat satis dum ad Atticum scribit) insolens demum, arrogans, superbus factus, se ac Remp. præcipitem dedit. Itaque iurè M. Tullius, optandũ fuisse ait Pompeio vt paulò ante concederet fatis, ac tum planè cum Italia vel potiùs Europa vniuersa, pro illo ægrotante preces funderet: nil enim aliud quàm diu vixisse ad fœlicitatem illi obfuit & gloriam. Quod si Augustus tanta fœlicitate vsus est, nec tamen industria sibi ad eam aperuit aditum, (quanquam neque ingenium illi defuit neque bellica exercitatio) duo fuerunt quæ summæ industriæ gesserunt vicem. Vnum est 153
veteranorum militum fauor ac studium, qui Augustum quasi Cæsarem alterum coluere: alterum eximius Imperator quo vsus est, Agrippa. Itaque dum quiesceret Augustus, strenuissimi certabant milites: dúmque idem Augustus dormitaret altiùs, vigilabat Agrippa: atque his pro Augusto vigilantibus ac pugnantibus in quibus summa erat rei militaris scientia, ac bellica fortitudo & virtus, victoriam retulit Augustus. Iurè igitur fœlicitati authoritatem, virtutem ac rei militaris scientiam præmisit M. Tullius: verè enim illud enunciauit antiquitas *Τέχνη τύχην ἔστερξε, καὶ τύχη τέχνην. Ars Fortunam amat, Fortuna Artem*. Industriam enim & studium comites requirit Fortuna: præsertim quia a Deo est prosperitas; Deus verò, vt est in prouerbio, laborem & industriam adiuuat. Et ideo sapiens quidam iurè protulit Fortunam rectæ educationis, persuasionis, prouidentiæ esse sororẽ: hinc.n. conciliari solet ac veluti fabricari: sapiens.n. (vt rẽ cũ Plauto cõcludã) ipse sibi fingit fortunã: vel, vt ait M. Tullius, suis cuiq; moribus fingitur. Hæc de fœlicitate in dubitatione proposita. Cui tñ, vt multò magis ad Ciceronis aures loquamur, aliqua erũt addẽda cũ de felicitate ipsa verba faciet noster Author. Vt enim res est grauissima, facilè nos fatigabit rursus.

Sed

Iam dicitur de singulis. Ac I. De Scientia quam primò exigit in summo Imperatore.

Sed iam agamus de singulis hisce seu rebus seu virtutibus quas in summo Imperatore requirit M. Tullius. Ac primò requirit scientiam rei militaris. breue dictum, sed in quo tamen plurimæ eæque magnæ res delitescunt. Siquidem scientia rei militaris multis magnisque rebus efflorescit: ita vt M. Tullius vno atque altero verbo innumera propemodum complectatur. Huc accedit quòd quemadmodum milita-
154 ris scientia multiplex est & varia, ita diuturnam requirit tractationem. Omnes enim artes diuturna indigent tractatione, sed nobiles ac præclaræ multò magis: at militaris vel maximè: idque ea in primis de causa quòd (vt dicere cœperam) est longè varia & multiplex. naualis, terrestris, rursus pedite peragitur, equite, aperto marte, intra mœnia, obsidione, defensione: quibus omnibus castrametatio atque ordinum dispositio seu τακτικὴ exigitur. Vt omittam migrandi, frumentandi, aquandi rationem. Eloquentia item in Imperatore maximo vsui esse solet, sed in primis stratagematum ratio atque vsus. Quin etiam Mathematicas disciplinas operæpretium est coluisse, cum oppugnationibus, propugnationibus, castrametationi, tacticæ, stratagematis mirum afferant adiumentum. Hæc inquam & si quæ huiusmodi sunt quæ efficiunt vt diuturna rerum bellicarum tractatio sit necessaria. Itaquidem necesse est vt exercitatione atque vsu ad hanc scientiam sibi aditũ aperuerit, quin ab adolescentia se se militaribus laboribus exercuerit & vigiliis simulque pericula subierit multa, sanguinem etiam interdum, si opus sit, profuderit. Quo tempore faciendum est vt militis personam egerit priùs & obtemperauerit ducibus, tum per gradus sibi ad imperandum aditũ patefecerit; nemo enim satis imperare valeat qui non priùs obtemperauit. Sed & illud est necessarium, vt apud peritissimum ducem militiæ ponat tyrocinia. Vix enim dici potest quantum intersit sub scientissimo magistro artes perdiscere: præsertim si ad eam laudem aspires vt naualem terrestrémque perdiscas: vt equitatu & peditatu pugnare valeas, castrametari, oppugnare, intra mœnia aut aper-
155 to campo dimicare, aciem constituere & milites exercere, dicendo etiam incendere aut coërcere: quæ facultas in primis optimo Imperatori est necessaria. Sed iam quî militarem hanc scientiam demonstret in Pompeio, audiamus.

PARTICVLA LXIII.

Qvis igitur hoc homine scientior vnquam fuit, aut esse debuit?

Militaris scientia in Põpeio qualis & quãta fuerit.



At Thesi ad hypothesim descendit: quæ enim in summo Imperatore postulauerat vniuersim, ea in Pompeio agnoscit sigillatim, ab vniuerso genere ad certam personam progrediens. Ergo quoniam primo loco scientiam rei militaris requirebat in summo Imperatore, hanc in Pompeio agnoscit primùm. Acutè verò hoc homine scientior nemo (inquit) aut fuit aut esse debuit. Dicit enim *aut fuit*, aut occasionem arripiat vnde commemoret res ab eo gestas: quas propterea attinget cursim: addit *aut esse debuit*, vt hinc in memoriam reuocarent Auditores, qua ætate, quibus Magistris, quibus laboribus bellicis & exercitationibus vitam traduxisset, cum enim puerili ferè ætate militare cœpisset, & Cn. Pompeio Straboni Patri, ac Syllæ item, hoc est Imperatoribus optimis operam dedisset, ac summatim ætatem omnem bellicis laboribus contriuisset, quidni rei militaris scientissimus esse debuit? Tametsi quoniam præclarum videri potest hæc vniuersim commemorasse, sed præclarius sigillatim demonstrasse, idcirco pergit è vestigio.

PAR-

PARTICVLA LXIV.

QVi è ludo atque pueritiæ disciplina, bello maximo, atque acerrimis hostibus, ad Patris exercitum atque in militiæ disciplinam profectus est.



VT sigillatim id quod affirmauerat comprobet, iniriâ (vt par erat) militaris illius scientiæ commemorat. Ait igitur è ludo ad militiam esse profectum: id quod xv. aut xvi. illius anno contigit: quamuis enim procero corpore esset ac robustus, ita vt militaribus laboribus iam ferè esset idoneus; puer tamen seu admodum adolescentulus erat. Id quod vel ex eo intelligere licet, quòd cum aliquanto post Patre mortuo ad Syllam se contulisset, Vindicus quidam (Plutarcho teste) illud de Pompeio pronunciauit, Puer iste ad concionandum venit. cum enim pueri se se eo tempore declamando exercerent & concionando, hinc carpere libuit Pompeium, quasi declamationi potiùs quàm bello esset idoneus; tantum abest vt Imperatorem haberi vellet. Quod tamen protulit suo magno malo, nam a militibus illico trucidatus est. Ludi verò nomine pár est intelligere literarium ludum, de quo etiam (vt significantiùs loquatur) pergit *atque pueritiæ disciplina*. Quanquam vbi literarium præcipuè intelligas, nihil prohibet quominùs Gymnasticum & quemcunque alium indicet in quo Romani Adolescentes exercerentur. Certè quemadmodum ludus scholam omnem significat, siue gymnasticam velis, siue literariam, siue gladiatoriam, siue huius generis aliam, (nam & palæstra, & pila, & musica ludum habebat suum) sic pueritiæ disciplina quemcunque ludum significare potest in quo nobiles adolescentes exercerentur & instituerentur. Addit verò bello maximo id contigisse, quia reuera bellum ciuile Marianum (hoc enim intelligit) fuit longè maximum. Itaque 157
Florus *Tribus* (inquit) *syderibus agitatum est, primo tumultu maiore quàm bello: mox atrocius & cruentius per totius viscera Senatus grassante victoria: vltimum non Ciuicam modò sed hostilem quoque rabiem supergressum est*. Hæc & alia multa Florus inter alios vt belli huius declaret magnitudinem. Addit *acerrimis hostibus*, intelligens Marium, Cinnam, Carbonem, Sertorium atque huiusmodi alios qui hostes ac perduelles habiti sunt. libenter verò M. Tullius reticet istorum hostium nomina, ne, quoniam Romani ciues fuerant, apud affines atque amicos qui superessent, offenderet. Sic supra nec Sertorium, nec L. Manium aut Fannium aut alium quempiam nominare placuit dum duces proferret quibúscum bellum gereret Populus Rom. in Hispania, aut legatos qui a Mithridate ad Sertorium missi sunt. his igitur bellum agitantibus hostibus ad Patris exercitum profectus est Pompeius, nimirum ad Cn. Pompeium Strabonem Imperatorem (oppugnabat hic Ciunam) acrem ac fortem, ita vt iurè in militiæ disciplinam profectum dicat. Quanquam in militiæ disciplinam profectum ait etiam, vt eleganter pueritiæ disciplinæ quam commemorauerat, militiæ disciplinam tanquam opponat. Sic in Oratione pro Sylla viam Fori eleganter opposuit Gymnasij viæ, cum diceret, huic puero (Syllæ filium indicabat) notiores sunt viæ Fori quàm viæ Gymnasij. Ita quidem Pompeius priùs militauit quàm per ætatem militari sacramento obstringi posset aut militiæ censeretur idoneus. Neque enim quisquam ante annum decimum septimum militari sacramento obstringebatur, quòd ea ætas 158
infirma censeretur adhuc.

l. 3. c. 21.

PARTICVLA LXV.

QVi extrema pueritia miles fuit summi Imperatoris: ineunte adolescentia maximi ipse exercitus Imperator.

Extrema



Xtrema pueritia miles fuit summi Imperatoris: Syllam opinor, non Pompeium Strabonem summum Imperatorem appellans. Erideo Sertorius Plutarcho teste in ipsius Sertorij vita, Pompeium Syllæ discipulum appellare solebat quanquam ad inuidiam. Quod enim laudi nunc Pompeio tribuit M. Tullius, id illi Sertorius vitio ac per ludibrium tribuerat antea. Et quanquam apud Plutarchum nunquam Syllæ fuit miles, sed Imperator, attamen vel miles dicitur, quia sub Sylla reuera imperauit, ita vt a Sylla in Galliam, in Siciliam, in Africam missus semper dicatur, & eius nutu Imperium etiam in Africa deposuerit; vel certè antequam Syllæ Imperator adiungeretur, eius fuit miles: si enim anno XVI. fuit Patris miles & XXIII. Imperator, facilè contigit vt intermedio hoc tempore alicubi sub Sylla fuerit miles: tametsi id præterit Plutarchus. Ait vero *extrema pueritia*, annum indicans non decimum sextum: vt ij qui Pompeium Strabonem summi intelligunt Imperatoris nomine. Nam reuera iam significauerat fuisse Strabonis militem: sed non extrema pueritia tamen. Itaque alium Imperatorem quàm Strabonem intelligit, cuius extrema pueritia fuerit miles; nimirum Syllam qui reuera fuit Imperator summus: ac propterea annum XVII. fermè innuit aut duodeuigesimum. Quam ætatem appellat extremam

159 pueritiam, fortasse more maiorum: qui, Seruio Tullo authore hominis ætatem tripartitò distribuentes, pueritiæ quam ad XVII. annum producebant, primum

Gell.l.10 tribuebant locum: tum iuuentuti, quam ad quadragesimum octauum proferebant, secundum: ætatem reliquam concedebant senectuti. Alioquin ab alijs ea ætas tribuitur adolescentiæ, quam ab extremo duodecimo ordiuntur. Tametsi verisimilius fortasse est hîc extremam pueritiam sic interpretari vt paulò manet latiùs: & ad vigesimum saltem excurrat annum. Nam cum subijciat ineunte adolescentia maximi exercitus fuisse Imperatorem, quod ei vigesimo tertio contigit anno, satis constat anteactum ferè tempus pueritiæ tribui. Dum verò subdit maximi exercitus fuisse Imperatorem ineunte adolescentia, tertium annum supra vigesimum intelligat necesse est: hoc enim planè anno Imperator dictus est. Ita quidem adolescentiam pro iuuentute. vsurparet quòd prior sit iuuentutis pars: alioquin apud priscos iuuentutis nomine concludebatur ætas illa. Imperator verò fuit eo tempore trium Legionū quas ipse in Piceno comparauit aduersus Carbonem. Cum enim sub Patre primùm aduersus Cinnam militasset; hoc extincto, & in eius locum Carbone suffecto, Pompeius primùm præfuit exercitui, quem se se adiungens Syllæ in Carbonem duxit. Quanquam non est quòd inficiemur M. Tullium totam hanc rem mirificè amplificare Pompeij ornandi causâ. Huc enim spectat quod non solùm Ciuile bellum appellat maximum, hostes, acerrimos, verùm etiam parentis castra militiæ disciplinam nuncupat. Huc quòd cum præfuerit tribus tantūmodo Legionibus, maximi illum exercitus facit Imperatorem. Ac fortasse huc etiam spectat quòd cum in castra adole-

160 scens concessisset, puer appellatur: cúmque Legionibus iuuenis imperasset, dicitur adolescens. hinc enim admirationem quoque excitat cum ea ætate tum miles tum Imperator fuerit.

PARTICVLA LXVI.

QVi sæpiùs cum hoste conflixit, quàm quisquam cum inimico concertauit: plura bella gessit, quàm cæteri legerunt: plures Prouincias confecit, quàm alij concupiuerunt.



Mplificatione vsus est paulò antè noster Cicero, quemadmodum ostendimus; nunc hyperbole vtitur vt magis ac magis Pompeium extollat excitétque admirationem. Neque enim sic Poëta vsurpat hyperbolem, vt non eam Oratori concedat interdum: qui sane non rarò, præsertim dum laudat; hyperbolem atque id genus alia ex Poëtarum Theatris ac spatijs ad Oratoriam Palæstram deriuat. Et sane vt Pompeius sæpiùs cum hoste conflixerit quàm quisquam (quisquam dico

dico non vnus aut alter) cum inimico concertauerit, id verò mirum atque adeò incredibile videri potest. Tametsi ad rei magnitudinem declarandam, quòd reuera cũ plurimis hostibus dimicasset, placuit hoc genere dicendi vti: verè enim ad rei magnitudinem declarandam vsurpamus hyperbolem atque verborum excessum quendã. Videtur autem hîc hostem ab inimico distinguere & confligere a concertare, quòd inimicus & concertare pateat latiùs. Et verè inimicus & domesticus & externus esse potest: hostis, si loquamur propriè ac more maiorum, externus tantùm: eodémque modo confligere ad prælium in primis pertinet atque arma: cum concertare verbis quoque contingat. Ob id igitur ait Pompeium sæpiùs cum hoste conflixisse quàm 161
quisquam cum inimico concertasset. Nec caret hyperbole quod subijcitur, *plura bella gessit quàm cæteri legerunt*. cum enim Pompeius plurima gessisset bella, ad rei magnitudinem declarandam placuit hîc quoque confugere ad hyperbolem. Neque hyperbole caret quod ait plures Prouincias confecisse quàm alij concupierint. Nam Populus Rom. (vt de aliis taceam) totius Terrarum orbis iamdiu exoptauerat Imperium: Alexander etiam plurimas Prouincias & subiecit ac longè plurimas concupiuit: quin vbi audiuit alios esse mundos, defleuit quod ne vnum quidem adhuc subiecisset. confecisse verò Prouincias ait quòd varias quas Romano Imperio subiecerat Regiones, has in Prouincias redegerat more maiorum: ii enim quas occupabant regiones Prouinciæ nomine appellabant. Itaque conficere Prouincias (quod tamen alibi nusquam vsurpatum fortasse inuenias) valet in Prouinciam redigere.

PARTICVLA LXVI.

CVius adolescentia ad scientiam rei militaris non alienis præceptis sed suis Imperijs, non offensionibus belli sed victorijs, non stipendijs sed triumphis, est traducta.



Euocandum est ad memoriam duo proposuisse ab initio de Pompeio, neminem scilicet aut fuisse, aut esse debuisse, rei militaris scientiorem. Vbi statim multa subiecit quibus ostendit talem esse debuisse, quia scilicet in militiæ disciplinam profectus esset puer, & extrema pueritia summi Imperatoris fuisset miles: quæ quidem & alia id genus aliqua docent qualis esse debuerit: quemadmodum dum dicitur sæpissimè cum hoste conflixisse, plura bella gessisse, permultas Prouincias confecisse, hæc verò inter cætera declarant qualis fuerit. Atque id in primis docent quæ hîc etiam 162
narrantur. Acutè verò ait Pompeij adolescentiam non alienis præceptis sed suis Imperijs esse traductam, cum id tum verè dicatur (hoc enim tempore Imperator fuerat) tum rem contineat admirabilem: admirabile enim videri debet adolescentem exercitui præesse nec exiguo sed maximo, & ita præesse vt alterius non egeat præceptis. Idémque dicendum dum non offensionibus belli sed victorijs ad talem ac tantam scientiam progressus est. Solent enim homines & Imperatores calamitosis quoque euentis & cladibus instrui scientioresque reddi & cautiores: cum tamen Pompeius non cladibus vllis sed victorijs ad militaris scientiæ culmen ascenderit. Atque eodem spectat demum quod ait non stipendiis sed triumphis eò peruenisse. Cæteri enim ita demum ad militarem scientiam peruenire solent, cum sub bono Imperatore diu stipendia meruerint: Pompeius contra triumphis, quod item significat Imperatorem nõ militem fuisse; eò sublatus est. a quibus verbis hyperbole rursus haud abest: etsi enim Pompeius ter triumphauit, ac de tribus orbis Terræ partibus, triumphauit, attamèn per idem tempus semel tantùm triumphauerat, de Hiarba scilicet 163
Mauritaniæ Rege seu de Africa. Nam cum secundò triumpharet ex Hispania reuersus, non adolescens erat, sed quadragesimum agebat annum. Atque hîc quidem non est prætermittendum, videri omnino M. Tullium, dum diceret non alienis præceptis sed suis Imperiis, non stipendiis sed triumphis, adolescentiam traduxisse, ad ea spectare quæ de Pompeio legimus. Cum enim aliquando ex eo quæreretur a Censoribus

num

num omnia stipendia impleuisset, *Omnia impleui*, inquit, *& me ipso Imperatore*. Quod tamen responsum a M. Tullio nobilitaretur dum victorias addit ac triumphos, Crediderim verò huc omnino spectasse M. Tullium quia Pompeiano illi responso publicè acclamauit Populus ingentémque lætitiam ostēdit. Itaque, *audiens Populus*, (inquit Plutarchus) *conclamauit, nec sedari præ lætitia clamor poterat: quin consurgentes Censores, domum eum deduxerunt Populo prosequenti & applaudenti gratificantes*. Ita vt celebre hoc factum latêre non potuerit M. Tullium.

PARTICVLA LXVIII.

Qvod denique genus belli esse, potest, in quo illum non exercuerit fortuna Resp.



Vpra, cum requireret quale belli genus esset id de quo consultaretur, belli genus honestum, vtile, necessarium intelligebar; hîc tamen per genus belli intelligit eius varietatem, quæ tum ex hominum genere inter quos aut quibúscum gestum est, tum ex Prouincijs, & locis, peti commodè potest. Itaque dum ea commemorat, ciuile, mixtum ex Ciuitatibus, aut ex bellicosissimis nationibus aut seruile, huiusmodi bellorum genus ex hominum genere ducit & varietate: contra verò Africanum,
164 Transalpinum, Hispaniense, ducit ex regionibus. Quanquam nauale tertio loco addendum est quod nec ex hominum nec ex locorum genere ducitur sed a nauibus quod maritima classe gestum sit, appellatur. Interim verò dum affirmat M. Tullius nullum fuisse belli genus in quo fortuna Reipublicæ ac Populi Rom. non exercuerit Cn. Pompeium. Itaque intueri mihi quodammodo videor nouum Herculem seu latinum Alcidem, quem noua semper monstra, ac varia semper certamina, exercuerint & fatigarint. Quæ sanè res eò maiorem habet similitudinem quòd vterque varias semper Mundi peragrauit partes: vterque semper ex certaminibus atque hostibus victoriam reportauerat. Denique quemadmodum de Hercule canit Virgilius

—— Vt prima nouercæ
Monstra manu geminósque premens eliserit angues:
Vt bello egregius idem disiecerit Vrbes,
Troiámque Oechaliámque, vt duros mille labores
Rege sub Eurystheo, fatis Iunonis iniquæ
Pertulerit —— & quæ sequuntur (nota enim sunt) ita Pompeius Terram peragrans, varios Patriæ hostes edomouit ac vicit. Quanquam illud etiam fortasse affirmare liceat,

Nec verò Alcides tantum Telluris obiuit
Fixerit Aeripedem ceruam licet —— & quæ sequuntur, quantum noster tandem Magnus obiuit, qui tres Terrarum Orbis partes victorijs peragrauit. Vt propterea iurè M. Tullius infra neget fuisse quenquam qui tam breui tempore tot loca adire ac tantos cursus conficere potuerit. Sed quæ tandem Pompeium exercuerint bella obseruemus.

PARTICVLA LXIX.

165 *Ciuile, Africanum, Transalpinum, Hispaniense, mistum ex ciuitatibus, atque ex bellicosissimis nationibus, seruile, nauale bellum.*



Iuile bellum appellat quod aduersus Cinnam & Carbonem gestum est: quo tempore miles fuit primùm sub patre qui Cinnam oppugnauit, tum sub Sylla contra Carbonem: Tametsi Imperator etiam fuit contra Carbonem. Africanum cum Cn. Domitium ac socios perduelles in Africam persecutus, mira celeritate deuicit: nam quadraginta diebus bellum confecit perduelles illos vnà cum Hiarba Numidarum Rege, qui cum illis conspirarat & copias coniunxerat perimens (etsi Hiarbam triumpho

pho reſeruauit) & interficiens. Tunc verò quartum ſupra vigeſimum annum age-
bat: ac de iſtis, quamuis eques eſſet adhuc, triumphauit. Atque hunc reuertentem,
Sylla profectus obuiam primus Magni nomine, vel certè a militibus Magni nomen
adeptum magna voce conſalutauit. Tranſalpinum: geſſit hoc cum Gallis, qui Roma-
nis Legionibus iter interclu derent proficiſcentibus in Hiſpaniam. De qua re extat
etiam inter Sallustij fragmenta Pompeij epiſtola, qua rem ſignificat Senatui, ſigilla-
tímque nunciat ſe viam inter Padum ac Rhodanum aperuiſſe vnde commodiùs pa-
teret iter quàm vnde Annibal ex Hiſpania in Italiam deſcendiſſet. Hiſpanienſe contra
Sertorianos & comites perduelles. Tametſi qua ratione hoc peregerit bellum &
quàm fortem inuenerit hoſtem, diximus ſupra. Mixtum ex Ciuitatibus. Obſcurus
locus, & in quo ipſe Cicero ab inferis excitandus eſſet vt ſententiam ipſe explicaret
ſuam. Enitamur tamen ſi non aliquid certum, ſaltem aliquid veriſimile proferre.
Ergo per bellum mixtum ex ciuitatibus fortaſſe intelligit bellũ ſociale: in hoc enim
Latij, Campaniæ, Piceni, Hetruriæ Vrbes plurimæ, aduerſus Romanam Vrbem con- 166
ſpirarunt. Tametſi non idcirco ſociale bellum eſt appellatum quòd hujuſmodi Vr-
bes aduerſus Populum Rom. conſociatæ ſint, ſed quia cum reuera earum Populi Ro-
mana Ciuitate donati eſſent, ac propterea Romanæ Vrbis ſociæ Vrbes dicerentur,
bellum aduerſus Romanos ſuſceperunt. Ideo autem ſociale hoc bellum ſpectare po-
tuit Cicero, quòd Cn. Pompeius Strabo in hoc bello Picenum inuaſerit, atq; Aſculi
agrum ferro ac flamma vaſtauerit, Vrbémque ipſam tandem euerterit. fortaſſe enim
huic bello ſub Patre interfuit noſter Magnus, ita ut verè affirmari poſſit bello quo-
que ſociali ſeu ex Ciuitatibus mixto illum fortunam Reipublicæ exercuiſſe. Quan-
quam (vt verè fatear) duò interim obſtare viderentur. Primum eſt quia hoc bellum
ante Ciuile expletum eſt; ita ut niſi admodum puer nõ potuerit huic intereſſe bello.
Alterum, quia alioquin alieno loco collocaret ſeu perturbato ordine memoraret ſo-
ciale bellum: cum tamen cætera enumeret habita temporis ratione. Ciuile enim,
Africanum excepit; hoc, Tranſalpinum; Tranſalpinum Hiſpanienſe: ac propterea
bellum mixtum ex Ciuitatibus præpoſterè poſt Hiſpanienſe commemoratur, cum
ante Ciuile peractum ſit. Satiùs igitur ſit forſitan illud ſtatuere; bellum intelligere
quod a Pompeio geſtum eſt in Gallia. cum enim multæ Ciſalpinæ ac Tranſalpinæ
Vrbes rebellaſſent a Populo Romano, ac propterea Metellus ægrè horum ar-
mis reſiſtere poſſet, miſſus eſt a Sylla Pompeius, qui irruptione in Galliam facta,
Populos illos edomuit. De qua re audire licet Plutarchum, qui ſic ſcribit, *Pompeius,* 167
*approbante Metello, & per literas vt veniret contendente, irruptionem in Galliam fecit: vbi
cum ipſe per ſe edidit facta mirifica, tum bellicum Metelli vigorem ardorémque a ſenio marce-
ſcentem excitauit & inflammauit.* Hæc & alia id genus Plutarchus de hoc bello, ita ut iu-
rè etiam ſubijciatur ex bellicoſiſſimis nationibus fuiſſe, fuit enim ex Gallis & Ger-
manis. Quod ſi obijcias hoc quoque bellum ante Hiſpanienſe fuiſſe adminiſtratum,
fateor, ſed tamen poſt Cinnam deuictum & Carbonem. Ita vt cum Ciuile, Africanũ,
Tranſalpinum, Hiſpanienſe fuerint vnius veluti partes belli quod aduerſus perduelles
geſtum eſt, nil mirum ſi poſt Hiſpanienſe commemoratur: non enim quemadmodũ
ſociale, ita Gallicum hoc, ante Ciuile commemorari poterat. Scio quoſdam hæc ver-
ba *mixtum ex Ciuitatibus* atque *ex bellicoſiſſimis nationibus* ad ſeruile & nauale bellum
referre: quod tamen ineptè ac repugnantibus verbis fieri nemo non videt. Scio de-
nique Paulum Manutium è contrario ea verba ad Hiſpanienſe reuocare, quaſi verò
Hiſpanienſe bellum mixtum ex Ciuitatibus atque ex bellicoſiſſimis nationibus dica-
tur a M. Tullio: quod item frigidè excogitatum putarim, cũ Hiſpanienſe ſolitarium
commodiùs legatur & retenta non rejecta interpunctione. Vt omittam per idem
tempus Gallos quidem & Germanos inter bellicoſiſſimas nationes numeratos, Hi-
ſpanos aut Luſitanos nullo modo Iam verò ſeruile bellum illud appellat quod ſub 168
Spartacho geſtum eſt a Seruis. Cum enim multò antea ſeruili vel tumultu vel bello
tentatus fuiſſet Populus Rom. ac varia fortuna dimicaſſet, interdum etiam eiuſmo-
di bellum coquieuiſſet, ad extremum tamen cum ſub Spartacho inſtauratum eſſet a
Seruis qui è Lentuli ludo Ergaſtulis abruptis arma ſumpſiſſent, a M. Licinio Craſſo
cæſi ac profligati, tandem cum in Siciliam profugere niterentur, a Pompeio ad inter-
necionem deleti ſunt. Itaque Pompeius Senatui ſcripſit a Craſſo cæſos ac fugatos,

a ſe

a se verò bellum confectum. Et ideo M. Tullius infra ait hoc bellum Pompeij aduentu sublatum ac sepultum esse. Nauale autem cum Piratis quos ab Herculis columnis ad Orientem vsque profligauerat ceciderátque paulò antè. At de hoc copiosè idem Cicero paulò post. Hæc verò bella pro temporum ordine commemorat. Et ideo minimè mirum si quæ vel a gentibus vel a regionibus appellat, non distribuit sed miscet. Quanquam de iisdem bellis, vt ad eius quoque virtutem declarandam pertinent, paulo post vberiùs noster Cicero vbi de Pompeij virtute.

PARTICVLA LXX.

VAria & diuersa genera, & bellorum, & hostium, non solùm gesta ab hoc vno, sed etiam confecta, nullam rem esse declarant in vsu militari positam, quæ huius viri scientiam fugere possit.

169 MAgnopere vereor ne huius loci initium sit mendosum idémque de superiore extremo dixerim: nam & *bellum* post *nauale* (si quis rectè æstimet) abundat: & quæ hîc sequuntur verba *varia & diuersa*, inconnexa (vt ita dixerim) & languida videri possunt. cum enim perorat quam de militari Pompeij scientia tractabat partem, par erat vt & conclusioni ac perorationi accommodato dicendi genere vteretur. Sic supra, dum de genere belli perorat et disputationem, *Quare videte* (inquit) *num dubitandum* & quæ sequuntur. Denique commodiùs ad calcem huius progrediendum erat partis. Itaque, si audere liceret, expungerem *bellum* (est hæc vox superioris particulæ postrema) & maiore interpunctione adhibita, legerem. nam varia & quæ sequuntur. Sed vt vt sit, de sententia constare adhuc satis potest. Etenim enumerata bellorum varietate quibus fortuna Reipublicæ Pompeium exercuit, colligit id quod instituerat; nimirum ex iis constare satis bellicam scientiam in Pompeio fuisse maximam, atque adeò in vsu militari nihil fuisse positum quod illius notitiam effugerit. Quin etiam cum ab initio illud proposuerit, in Pompeio rei militaris scientiam & fuisse & esse debuisse maximam, vtrunque (vt nimirum in circulum recurrat oratio, & quod proposuerat, vndique demonstratum ostendat) colligit dum hanc partem concludit. Nam ea verba *nullam rem esse quæ huius viri scientiam fugere possit*, eam vim habent vt Pompeio cognita esse & verò debuisse, demonstrent. Ait verò *varia & diuersa genera & bellorum & hostium*, intuens, quod pertinet ad bella, ad eam enumerationem quam partim ex gentibus, partim ex regionibus, partim etiam ex nauali bello, deriuarat:
170 quod verò pertinet ad hostes, tacitam saltem spectat enumerationem quæ in expressis illis belli generibus continetur. Fuerunt enim perduelles multi, Reges, exules, Proscripti, Liberi, Serui, Piratæ, mixti denique generis hostes. Atque hæc de militari scientia. Quæ tamen, quoniam cum Virtute coniuncta est, etiam atque etiam elucebit in disputatione quam de Pompeij virtute iam aggreditur sic pergens.

PARTICVLA LXXI.

IAm verò virtuti Cn. Pompeij quæ potest par oratio inueniri? quid est, quod quisquam aut dignum illo, aut vobis nouum, aut cuiquam inauditum possit afferre?

DE virtute, quoniam eam secundo proposuerat loco, secundo loco agit, atque in Pompeio summam eximiámque esse ostendit; quemadmodum eximiam in eo ac summam ostenderat esse scientiam militarem. Denique tam scientia de qua diximus, quàm virtus de qua dicturi sumus, ad militarem laudem pertinet. scientia enim ad Imperatoris mentem pertinet & cognitionem, virtus ad actionē & exercitationem. Vt propterea iurè de Virtute dicat qui dixit de scientia. Hîc verò ante- II. DE VIRTVTE.

G quam

quam Pompeianæ virtutis laudationem percurramus, lubet pauca quædam obseruare vt eam intelligenter percurrere liceat.

Primò igitur illud moneo, M. Tullium hoc in loco Virtutis nomine non certam aliquam virtutem intelligere quæ videri posset propria Imperatoris, cuiusmodi est verbi causa militaris fortitudo, sed cumulum quendam intelligit militarium virtutum quas deinde distribuet bipartitò. Alterum est hasce virtutes non tam ex Philosophorum præscripto quàm ex militari existimatione deriuare. Itaque videbimus inter virtutes referre laborem, industriam, celeritatem, consilium, ingenium, quæ sanè ab Academicis aut Peripateticis vix ac ne vix quidem inter virtutes numerentur. Hęc enim vt sunt ad victoriam consequendam aptissima ac propemodum necessaria, a militibus facilè inter Imperatorias virtutes percenseantur, a Philosophis certè non facilè virtutes appellentur. Et ideo dicebam militari more virtutum dignari nomine. Atque hinc efficitur (id verò sit tertium) vt quas Philosophi veras censent virtutes, vt sunt temperantia, innocentia & si quid huiusmodi, has interim Cicero non tam Imperatorias virtutes quàm Imperatoriæ virtutis comites appellet & administras. Ac iurè. Tametsi enim temperantia verbi causa & innocentia ad exercitum regendum & bellum commodè regendum plurimum conferre potest, labor tamen, consilium, celeritas, industria præcipuum ad victoriam momentum habent. Denique illud etiam est obseruandum M. Tullium, vt militarem sequitur existimationē, & verò populari more ac modo loquitur, multas virtutes vel prætermittere vel non proprio planè nomine exprimere. Certum est enim prudentiam esse pernecessariam, cum sit omnium moderatrix virtutum & actionum: iustitia quoque virtutum est Regina: & tamen nec prudentiæ nec iustitiæ meminit. Tametsi dum ingenium, industriam & consilium laudabit in Pompeio, prudentiam tacitè indicabit, consilium enim a prudentia proficiscitur: eodémque modo dum innocentiam celebrat in Pōpeio, iustitiam complectitur. Quibus positis & constitutis, iam faciliùs intelligere licebit atque adeò inoffenso pede percurrere Pompeianæ virtutis laudationem. 171 172

Principio igitur, *Virtuti Cn. Pompeij quæ potest* (inquit) *par oratio inueniri?* & rectè; nam res magnas & eximias oratione æquare difficillimum est, præsertim si ornandæ sint ac celebrandæ. Denique res longè præstantes pro dignitate explicari, multò minùs celebrari, haud sanè possunt a Mortalibus. Vt enim hominis oculus solis lucem attentè intueri nequit, ita animus humanus excellentis virtutis decus spectare ac pro dignitate explicare haud valet. Itaque iurè Plato cum Mundi huius Authorem disputando inuenisset, *Opificem*, subdebat, *ac patrem Mundi inuenire difficile, eloqui verò ἀδύνατον*. Iurè igitur negat Cicero licere tam admirabili Cn. Pompeii virtuti parem orationem inuenire aut quicquam Pompeio dignum afferre. denique, cum de Pompeii virtute ob Piraticum bellum tam præclarè confectum, quotidie multa & ad Vrbem deferrentur, & toto terrarum orbe prædicarentur, iurè addit nihil aut Auditoribus hoc est Populi Rom. auribus nouum, aut cuiquam inauditum afferri posse. Pergit.

PARTICVLA LXXII.

Non enim illa sunt sola virtutes imperatoriæ, quæ vulgò existimantur: labor in negocijs, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo: quæ tanta sunt in hoc vno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus, aut audiuimus, non fuerunt.



Vlgares videtur appellare has virtutes non quòd eximiæ non sint ac summo Imperatore dignissimæ, sed quia vt sunt Imperatori necessariæ & in vsu positæ vulgò etiam cognitæ sunt, ita vt apud vulgus etiam sint in confesso. Et sanè nemo non fateatur laborem ac tolerantiam esse huic necessariam vt negocia militaria, quæ grauia esse solent ac laboriosa, expediat: fortitudinem item, cum pericula circumstent vndique: denique & industriam & celeritatem & consilium; consilium 173

consilium in deliberando ac prouidendo, industriam in agendo, celeritatem in conficiendo. Hic verò dum primo loco inter Pompeij virtutes recenset laborem, nouus mihi Hercules seu Romanus Alcides rursus obuersatur ante oculos. Nostis enim, Herculi, cum in biuio anceps stetisset, Voluptatem hinc; illinc Virtutem, occurrisse: atque illam delicijs, hanc laboribus, tentasse ad se illum pellicere: itaque illam floribus nitentem viam monstrasse atque iter apertum ac planum; hanc asperum callem ac laboriosum. Cum tamen Hercules, quippe gloriæ cupidus laboris obierit viam vnde immortalitatem nominis adeptus est. Sed redeo ad M. Tullium qui hæc tanta esse ait in Pompeio, quanta ne in Imperatoribus quidem omnibus fuerint vnquam. Vbi sine dubio amplificatione vel potiùs hyperbole vtitur de more: etsi enim præclarè multa gesserat Pompeius eo tempore, præsertim contra Piratas, cum Alexandro adhuc aut Scipione (nisi fortè nauali bello ac laude) æquari ægrè poterat. Alexander enim nullam Vrbem obsederat quam non expugnasset: nullum prælium commiserat ex quo non victor redijsset. Scipio etiam (de Africano loquor) ingentes victorias terra marique retulerat, ac sæpè de hostibus triumphauerat. Fateor igitur Pompeium deinde Scipioni & Alexandro parem fuisse cum de tribus Mundi parti-
174 bus triumphauit: fortasse etiam, vbi ante Pharsalicum bellum diem clausisset suum, istis anteponeretur, cum omnes Mundi oras victorijs peragrasset. Sed cum superstes fuerit, & cum Cæsare aleam rursus subiecit, veterem splendorem non nihil obscurauit. Quanquam illud affirmauerim, Alexandrum fortuna in primis, Pompeium consilio, excelluisse: ita vt Alexandrum demirari magis quàm imitari, Pompeium imitari etiam præstet. Sed vt vt sit, tanta erat Pompeij fama quam tunc planè ex labore, industria, fortitudine, celeritate, consilio collegerat, vt admiratione etiam compleuisset omnium mentes. quidni igitur M. Tullius, qui non Historicum agebat sed oratorem, atque ad laudationem diuerterat in qua admiratio quoque excitatur, audeat in tanta hominum de Pompeio vel opinione, vel admiratione, rem hyperbolicè etiam augere & amplificare?

PARTICVLA LXXIII.

Testis est Italia, quam ille ipse victor L. Sylla huius virtute & consilio confessus est liberatam. testis est Sicilia, quam multis vndique cinctam periculis, non terrore belli, sed celeritate consilij explicauit. testis est Africa, quæ magnis oppressa hostium copijs, eorum ipsorum sanguine redundauit. testis est Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam iter, Gallorum internecione patefactum est. testis est Hispania, quæ sæpissimè plures hostes ab hoc superatos prostratósque conspexit. testis est iterum & sæpius Italia, quæ cum seruili bello tetro, periculosóque premeretur, ab hoc auxilium absente expetiuit.



175 I quis locum hunc cum superiore conferat æstimétque diligenter, intelliget hic vel desiderari aliquid, vel certè cum pergere debuisset, *verùm etiam innocentia, fides atque aliæ artes eximiæ* (id quod alicubi, etsi non ijs verbis, subijcit tandem) præproperè subiecisse, *Testis est Italia* & quæ sequuntur. Sententia enim tum demum esset perfecta cum dixisset, *Non enim illæ sunt solæ virtutes Imperatoriæ quæ vulgò existimantur; labor in negocijs, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo (quæ tanta sunt in hoc vno, quanta in omnibus reliquis, Imperatoribus, quos aut vidimus aut audiuimus, non fuerunt) verùm etiam multæ sunt artes eximiæ earum administræ comitésque virtutum.* Id enim, sententiam potiùs in memoriam reuocans quàm filum orationis cohærentiámque verborum sequens, post longam satis orationem, subiecit. Itaque vbi in verbis cohærenter placuisset insistere, non è vestigio dicendum fuisset, *Testis est Italia* atque ijs pergendum vnde orationis abrumpitur filum; sed pergendum, *Et quidem quod ad priores pertinet virtutes, testis est Italia* cum ijs omnibus

quæ copiosissimè differit de priore hoc virtutum genere: tum his expeditis, quibus satis in Pompeio describitur primum illud virtutum genus, pergēdum erat (id quod post tres adhuc paginas facit vbi, vt indicare cœperam; alterum virtutum proferi genus) *Iam verò vt de altero illo virtutum genere dicam quanta innocentia, quanta in rebus omnibus temperantia, quanta fide, quanta facilitate, quanto ingenio, quanta humanitate fuerit Pompeius consideremus*. Atque hæc dixisse volui non vt Ciceronis industriam reprehenderem, quasi in pertexenda hac orationis parte dormitasse videatur, sed vt ne ipsi facilè illum hac in re imitemur, verùm cohærenter verba sententiásque nectamus, Denique liceat illi, dum gestit primum illud virtutis genus in Pompeio primo quoque tempore declarare, alterum genus, contempto non nihil orationis filo, animo condere, ac tandem seorsim longius promere; nobis certè, ne id ignoratione potius, quàm præ festinatione egisse videamur, committendum non est: nobis enim credi posset id per ignorantiam contigisse, quod tamen de Cicerone nefas est suspicari. Sed ad loci interpretationem redeo. vbi, quoniam facilè animaduerterat Cicero se rem incredibilem protulisse, eloquentiam explicat suam vt eam credibilem efficiat. Ergo resumit ea bella omnia quæ supra verbis illis commemorauerat, *Ciuile, Africanum, Transalpinum, Hispaniense, mixtum ex Ciuitatibus, atque ex bellicosissimis nationibus, seruile, nauale*. vt si quo modo possit, inde sententiam ille suam probabilitate respergat aliqua. Et quanquam ea bella commemorauit, id tamen fecit vt nos doceret de eius militari scientia, quod nullum ferè esset belli genus in quo Reipublicæ fortuna Pompeium non exercuisset: hic verò eadem bella indicat vt eiusdem Pompeij militarem declaret fortitudinem, industriam, vno verbo virtutem. Ibi strictim & paucis verbis, hîc, quasi rem tantam pro dignitate haud complexus esset, copiosiùs. Et ideo monebam antea fore vt de illis bellis nobis rursus dicendum sit. Ait igitur *Testis est Italia quam ille ipse victor L. Sylla huius virtute & consilio confessus est liberatam*; spectans ea quæ gesserat Pompeius aduersus Carbonem in Ciuili bello: atque hîc sanè cautè Italiam non Populum Rom. ait liberatam: nam extincto Carbone & Italia liberata, bellum in Sicilia, multò verò magis in Africa, maximè verò in Hispania, est renouatum: atque hinc etiam, fœdere a Sertorio cum Mithridate inito, Græciam quoque atque Asiam tentare cœpit. Sed quî obsecro Italia virtute Pompeij tali bello est liberata? Tunc planè, cum mira celeritate ac dexteritate è Piceno tribus confectis legionibus ad Syllam qui in Campania agebat contendit. Nam in itinere ipso tres Carbonis Duces, Charinnam, Cœlium, Brutum, qui singuli exercitus singulos ducebant, profligauit. Audite Plutarchum qui post multa. *Breui spatio* (inquit) *tres integras legiones conscripsit: commeatum, iumenta & vehicula portandis impedimentis, omniáque necessaria expediuit. Tum ad Syllam iter tendit, non rapim, nec latibula quærens: sed lentis itineribus hostes premens, & quamcunque adibat Italiæ partem, eam retrahere tentans a Carbone. In eum tres vnà hostium duces, Charinna, Cœlius, & Brutus sunt cohorti, non a fronte omnes neque eadem ex parte: sed exercitibus tribus vndique circumfusi tanquam semel obruturi eum. Nec expauit ideo, sed cunctis in vnum contractis copiis, in vnum Bruti exercitum impetum conuertit: equitésque in quibus ipse erat, ante signa collocauit. Pariter ab hostibus infestus euectus est Gallicus equitatus. cuius primum & valentissimum occupauit cominus lancea ferire & prosternere. Tum terga dantes peditatum quoque conturbauerunt. Ita omnes in fugam effusi*. Hæc Plutarchus, qui item narrat qui mox L. Scipionem ac denique Carbonem ipsum ad Arsiam amnem profligauit, atque Italico bello per idem tempus ipse vnus interim finem imposuerit; ita vt iure Sylla id de Pompeio confessus sit. Subdit *Testis est Sicilia quam multis vndique cinctam periculis, non terrore belli sed celeritate consilij explicauit*. Id propter expulsum Perpennam cum exulibus multis interfectúmque Carbonem, profert, adde propter Messanos quos eius Imperium detrectantes, parere coëgit. ideo verò ait non terrore belli sed celeritate consilij explicauit, quòd cum hostis ante omnem dimicationem fugam cepisset, quæ hinc defuit Pompeio victoriæ laus, hæc illi acutè ob consilium celeritatémque tribuitur. Et hinc licet animaduertere cur Siciliæ non meminerit antea, ibi enim enituit quidem virtus, sed non iam bellica quàm ciuilis. & ob id ait *non terrore belli*. vbi quoniam cinctam dixerat Siciliam, eleganter subdidit,

Marginal numbers and note (right margin, in order): 176 (beside "nibus temperantia…"), 177 (beside "Pompeij militarem declaret…"), p.284.1, m. (beside "post multa…"), 178 (beside "bus tribus vndique…").

subdidit, *explicauit*. Addit *Testis est Africa, quæ magnis oppressa hostium copijs, eorum ipsorũ*
179 *sanguine redundauit*. Quod dicit tum propter Domitium & exules multos, tum propter Hiarbam. Cum enim è Sicilia in Africam nauigasset Domitius cum exulibus multis, ac longè maiorem, vt ait Plutarchus, manum coëgisset quàm inde Marius in Italiam traduxisset atque ex exule tyrannus factus esset, Pompeius eò item è Sicilia traijciens, tandem illum deuicit, vix vt ex viginti hominum millibus tria millia superfuerint ex Domitij exercitu: in quo Domitius ipse pugnando cecidit, vel certè captus a Pompeio interfici iussus est, ne reseruaretur triumpho ciuis Romanus: Hiarba verò in triumphum adductus est. Pergit *Testis est Gallia per quam Legionibus nostris in Hispaniam iter, Gallorum internecione patefactum est*. Id verò eò pertinet, quòd cum in Hispaniam proficisceretur, iter sibi in Alpibus inter Padi ac Rhodani fontes aperuit nõ sine multorum Gallorum nece qui ei transitum prohiberent. Atque hoc sanè iter commodius iudicatum est quàm quod in ijsdem alpibus patefecerat Annibal dum descenderet in Italiam. Sequitur *Testis est Hispania, quæ sæpissimè plures hostes ab hoc superatos prostratósque conspexit*. Atque hîc sanè haud inficiari licet Pompeium clade aliqua a Sertorio affectum, ita vt nisi Metellus aliquando superuenisset, ægrè Sertorium sustinuisset. Denique illum interdum in angustias adduxit maximas. Sed tamen è contrario Pompeius eius Legatos vnà cum Herennio & Perpenna fugauit, multo horum milite cæso. aliquando Sertorium quoque ipsum fugauit ac vicit, donec a Perpenna proditione interemptus est ille. Cicero igitur, vt Pompeio faueat, omissis quæ minùs fœliciter gesserat, atque illa spectans quæ fœliciter cecidissent, ait Hispaniam conspexisse sæpiùs ab hoc prostratos hostes: quod sanè eò tutiùs affirmare potuit,
180 quòd Pompeius victoria tandem potitus est. Ait verò plures hostes superatos, quòd non Sertorium modò, verùm etiam Perpennam deinde occidit. Subiicit denique *Testis est iterum & sæpiùs Italia, quæ cum seruili bello tetro periculosóque premeretur, ab hoc auxilium absente expetiuit*. Atque hoc quidem seruile bellum a Pompeio perfectum constat cum Crassus duodecim hostium millia cecidisset priùs. Itaque, *Veruntamen* (inquit Plutarchus) *fortuna etiam hoc decus ex parte ad Pompeium trahente, quinque millia quæ ex acie fugerant, in eum sunt delata. Quibus semel deletis occupauit ad Senatum scribere Crassum gladiatores acie fudisse, se verò bellum radicitus planè extirpasse*. atque hæc omnia de bello intelligenda sunt, quod perfectum est aduersus Spartachum & Mirmilonem. etsi enim Florus & Appianus Crasso deuicti Spartaci sociorúmque gloriam tribuunt, veruntamen Cicero tum hîc tum in Verrinis hanc Pompeio cum Crasso communem facit laudem; ea nimirum de causa, quòd reliquias illas (id quod scribit Plutarchus) Pompeius deleuerit. Quanquam reuera Siculo freto magna reliquiarum illarum pars absorta est dum in fuga traiicere in Siciliam niterentur. Atque hinc licet etiam commodè interpretari quod ait Italiam a Pompeio absente auxilium expetiuisse. Cum enim gladiatorio ac seruili bello ingruente Pompeius in Italiam rediret, quidni in eo periculo etiam absens expeteretur? Sed cur dicat iterum & sæpius expetisse ab hoc absente auxilium, & tamen hoc ad vnum seruile bellum reuocet, obscurum. Manutius igitur illud *iterum* refert tum ad ciuile bellum tum ad seruile: sed
181 quî tandem cum Ciceronis verbis hæc sententia cohæreat, ipse viderit. Certè ea verba *iterum ac sæpiùs* quæ Manutius dissimulat; seruilis belli gratia efferri clamat locus. Fateamur igitur id quod est; seruile bellum longè diuturnum ac varium fuisse. cum enim Populus Rom. infinitam propemodum seruorum aleret multitudinem, ita vt dubitaretur maiórne esset liberorum an seruorum numerus (ideo enim statuas seruis, seruos liberis, numero pares aliquando fuisse legimus) factum est vt cum ergastula abrumpere ac cæteros seruos vndique soluere, cogere, armare cœpissent, diuturnum fuerit seruile bellum, atque Italiâ grassatum sit totâ. Et quamuis ante Pompeium duxerit initium, toto tamen Pompeiani Imperii tempore (ante Piraticum tamen bellum) vexauit Populum Romanum; ita vt per idem tempus Manilij, Lentuli aliorúmque Prætorum quorundam diripuerint castra: quemadmodum è contrario a Perpenna primùm tum ab Aquilio domiti sunt. Ita factum est vt, quoniam interim vario Marte pugnabatur, sæpè ac sæpiùs Pompeii virtus atque præsentia expetita sit, vnde seruile hoc incendium peni-

tus extingueretur. Et ideo ait M. Tullius *testis est iterum & sæpius Italia*: quia quod a Pompeio expetierat acceperátque auxilium in ciuili bello, iterum & sæpius expetiuit dum seruili bello premeretur. Et ideo iurè pergit.

PARTICVLA LXXIV.

QVod bellum expectatione Pompeij attenuatum atque imminutum est: aduentu sublatum ac sepultum.



QVia nimirum Pompeio in Hispania bellum administrante, in Italia seruile bellum propter expectationem Pompeij attenuatū (id quod ferè acciderat in Mithridatico cum Pompeio non longe absente repressum est ac retardatum) atque imminutum est: id quod partim veritati, quòd scilicet serui illi & gladiatores Pompeij reditum timerent; partim Oratorio artificio & amplificationi tribui debet: quemadmodum dum addit eius aduentu sublatum atque sepultum, quòd tunc reliquijs illis a Pompeio trucidatis, fit debellatum, alioquin M. Crasso huius victoriæ princeps debetur laus. 182

PARTICVLA LXXV.

TEstes verò iam omnes oræ, atque omnes exteræ gentes; ac nationes: denique maria omnia, tum vniuersa, tum in singulis oris, omnes sinus, atque portus.



HAec sine dubio propter Piraticum pronunciat bellum. Cum enim Piratæ maria compleuissent, ac Romanum Imperium, præcipuè verò Italiam, diuexarent, a Pompeio fugati ac cæsi sunt. qua in re, quoniam & supra de ea diximus aliqua, & verò iam iam M. Tullius copiosè explicabit factum hoc totum non immoror. Tantùm dicam hîc quoque ad hyperbolem confugere: testes enim appellat tum omnes oras ac regiones tum omnes exteras gentes ac nationes, cum tamen innumeræ ferè & Africæ, & Europæ, & Asiæ regiones ac gentes Piratarum incursionibus haud essent obnoxiæ: quin multæ, præsertim Boreales, ne auditione ea quidem percepissent. Atque idem sine dubio dicendum est dum maria omnia portúsque omnes appellat: neque enim Atlanticum mare quo hic noster terrarum orbis cingitur persensit Piratas istos: & verò alia in Septentrionem & in Orientem se se fundunt maria, quæ ab Piratarum incursionibus longè erant seiugata. 183 Denique ne oræ quidem aut gentes aut maria Romani Imperii vniuersi iniurias istas persenserunt omnia; tantum abest vt iurè maria vniuersa atque exteræ gentes omnes veluti testes producantur. Sed Oratoriæ amplificationi ac laudationi in primis id est largiendum vt incredibilia etiam admirationis excitandæ gratia cum credibilibus misceantur.

PAR-

PARTICVLA LXXVI.

QVis enim toto mari locus per hos annos, aut tam firmum habuit præsidium, vt tutus esset? aut tam fuit abditus, vt lateret? quis nauigauit, qui non se aut mortis, aut seruitutis periculo committeret, cum aut hyeme, aut referto prædonum mari nauigaretur?



COmprobare nititur id quod modò dixerat: sed oratorio adhuc more ac modo. Tametsi quæ pronunciat, si de infero mari atque adiacentibus oris ac fretis exponantur, ad veritatem accedant proximè. Sed vt vt sit, Pompeij virtus rursum in hoc bello vsque adeò enituit, vt nulla ei oratio par esse possit: itaque satius est nos silere quàm pauca dicere. Illud tamen, ne fortassè nimiæ inertiæ in re optatissima reprehendamur, curabo vt quæ Florus hac de re breuiter ille quidem, sed egregiè scribit, describam: rem enim omnem, etsi non minùs oratorem (acutum tamen magis quàm copiosum) quàm Historicum agere videatur; ante oculos ponit egregiè. Rem
li.3 c.6. igitur sic enarrat. *Dum Populus Romanus per diuersa terrarum distractus est, Cilices inuaserant maria, sublatisque commercijs, rupto fœdere generis humani, sic maria bello, quasi tempestate præcluserant. Audaciam perditis furiosisque latronibus dabant inquieta Mithridatis prælia*
184 *Asiæ. Dum sub alieni belli tumultu, exterique regis inuidia impune grassantur, ac primum duce ipso Isodoro contenti proximo mari, Cretam inter atque Cyrenas, Tyreum & Achaiam, sinúmque Maleum, quem a spolijs aureum ipsi vocauere, latrocinabantur. Missúsque in eos Publius Seruilius, quamuis leues & fugaces, & Myoparonas graui & Martia classe turbaret, non incruenta victoria superat. Sed nec mari submouisse contentus, validissimas Vrbes eorum & diutina præda abundantes, Phaselim & Olympon euertit, Isaurónque ipsam arcem Ciliciæ, vnde conscius sibi magni laboris, Isaurici cognomen adamauit. Non ideo tamen tot cladibus domiti, terra se continere potuerunt: sed vt quædam animalia, quibus aquam terrámque incolendi gemina natura est, sub ipso hostis recessu impatientes soli in aquas suas resiluerunt, & aliquanto latiùs quàm priùs. Sic fœlix ille & dignus victoria Pompeius visus est, & Mithridaticæ prouinciæ facta accessio. Ille dispersam toto mari pestem semel & in perpetuum volens extinguere, diuino quodam apparatu aggressus est. Quippe quum classibus suis & socialibus Rhodiorum abundaret, pluribus legatis atque præfectis vtraque Ponti & Oceani ora complexus est. Gellius Thusco mari impositus, Plotius Siculo, Gratillius Ligusticum sinum, Pompeius Gallicum obsedit, Torquatus Balearicum, Tiberius Nero Gaditanum fretum, quà primum maris nostri limen aperitur, Lentulus Lybicum, Marcellinus Aegyptium, Pompeij iuuenes Adriaticum, Varro Terentius Aegeum & Ponticum & Pamphilium, Metellus Asiaticum, Cæpio ipsas Propontidis fauces, Portius Cato*
185 *sic obditis nauibus, quasi portum obseruauit. Sic per omnis æquoris portus, sinus, latebras, recessus, promontoria, freta, peninsulas, quicquid piratarum fuit, quadam indagine inclusum & oppressum est. Ipse Pompeius in originem fontémque belli Ciliciam versus est. Nec hostes detrectauere certamen, non ex fiducia, sed quia oppressi erant, ausi videbantur: sed nihil tamen amplius, quàm vt primum ictum concurrerent; abiectis statim telis remísque, plausu vndique pari, quod supplicantibus signum fuit, vitam petiuerunt. Non alia tam incruenta victoria vsi vnquam sumus, sed nec fidelior in posterum reperta gens vlla est. Idque prospectum singulari consilio ducis, qui maritimum genus a conspectu longè remouit maris, & mediterraneis quasi obligauit. Eodemque tempore & vsum maris nauibus recuperauit, & terræ homines suos reddidit. Quid prius mirere in hac victoria? velocitatem? quod X L. die parta est: an fœlicitatem? quod ne vna quidem nauis amissa est: an perpetuitatem? quod amplius piratæ non fuerunt.* Sic Florus. nam etsi alia multa eáque pulcherrima & admirabilia referri possent, præsertim ex Plutarcho in Pompeio, cogor tamen modum narrationi imponere ne longiùs manet oratio. Quanquam pauca quædam ex multis referre lubet ex Plutarcho quæ item Piratarum declarant fastum & amplitudinem, & verò cum re nostra sunt cōiunctissima.
p.287. *Piratarum* (inquit) *potentia primùm ex Cilicia erupit, originémque habuit audacem & occul-*
a.f. *tam. animos verò & confidentiam bello Mithridatico cœperunt, vacuum custodibus mare sensim*
186 *illexit illos & incitauit: vt non iam nauigantibus modò essent infesti, sed & insulas & oppida*

maritima

maritimæ vastarent. Iam pecuniosi etiam, natalibus clari, viri prudentia præcellere habiti naues prædatorias conscendebant & societati nomina dabant, quasi ea res laudem adderet & gloriam. Adhæc erant his multis locis naualia, portus piratici, & speculæ munitæ Pharique. Classes incursitabant non solùm delecta militum classiariorum & sociorum naualium iuuentute, gubernatorum arte, nauium pernicitate & agilitate ad munus suum instructæ: verùm etiam supra eorum terrorem inuidiosus stimulabat fastus. Auratis stylidibus, purpureis cortinis, remis margentatis quasi scelcribus gestiebant gloriabantúrque. Tibiæ cantus, compotationes per omnia littora, principum in captiuitatem raptus, vrbium redemptiones captarum suggillatio erant Romani Imperij. Erant nauigia prædatoria supra mille, capta ab illis oppida quadringenta. Hæc & alia id genus Plutarchus. Ex quo licebit etiam commodè intelligere quæ M. Tullius subijcit è vestigiò.

PARTICVLA LXXVII.

Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam latè diuisum, atque dispersum; quis vnquam arbitraretur, aut ab omnibus imperatoribus vno anno, aut omnibus annis ab vno Imperatore, confici posse?



Etrimenta & pericula exaggerauit quæ attulisset Piraticum bellum: nunc, vt Pompeij virtutem extollat, ait hoc ipsum bellum deletum a Pompeio. Vbi tamen haud dubiè ad hyperbolen recurrit de more, cũ neget fieri potuisse vt ab omnibus Imperatoribus vno anno aut omnibus annis ab vno Imperatore confici posset. Ait verò *hoc tantum bellum* vt eius indicet magnitudinem. Addit *tam turpe*, quia a prædonibus illatum fuerat, ac magno cum Populi Rom. dedecore. Itaque Plutarchus scribit summum Populo Rom. dedecus attulisse Piraticum bellum, præsertim quòd non solùm maritimas Romanorum villas excinderent, vias agrósque incursarent, Prætores etiam capientes, verùm etiam captos Romanos Ciues contumelijs ac morte denique afficerent. *Quod autem* (inquit) *omnium fuit contumeliosissimum; vbi quis captus, Ciuem Romanum se esse clamauit, & nomen edidit; perculsos se fingentes trepitare, femora percutere, & genibus eius accidere, supplicésque veniam daret, precari. Ille abiectos bona fide & supplices arbitrari; tum alij calceos ei inducere, alij toga velare, ne vltra scilicet ignorarentur. Vbi ad eum modum diu hominem illuserant & deriserant, postremò admotis medio in salo scalis, & descendere & abire illæsum iubebant, qui nollet, hunc ipsi præcipitatum demergebant.* Subdit *tam vetus* quia vltra viginti annos prorogatum fuerat: cum interim Seruilius aliíque subinde multi cum illis pugnassent, atque interdum (id quod paulò ante Pompeium M. Antonio acciderat) parum fœliciter. Denique ait *tam latè diuisum atque dispersum*, quia ab Herculeo freto ad Ciliciam in omnes oras grassabantur Piratæ illi. Neque verò ait *ab omnibus Imperatoribus vno anno*, quasi verò integrum annum in eo consumpserit Pompeius, sed quia in apparatu priùs, tum in regionibus lustrandis ac muniendis, denique in bello ipso, ferè annum insumpserat. Denique cur hîc minutiùs referret tempus haud sanè fuit: quin minuta diligentia spernenda penitus.

187

188

PAR.

PARTICVLA LXXVIII.

QVam Prouinciam tenuistis a prædonibus liberam per hosce annos? quod vectigal vobis tutum fuit? quem socium defendimus? cui præsidio classibus vestris fuistis? quàm multas existimatis insulas esse desertas? quàm multas aut metu relictas, aut a prædonibus captas esse vrbes sociorum?



Edit ad accepta detrimenta Prouinciarum, vectigalium, sociorum, Insularum Populi Rom. ciuium incommoda indicans vniuersim, quæ omnia clarissima sunt. Etsi ita Populo Rom. commemorantur vt facilè inde quoque Pompeij virtutem agnoscere possunt omnes a quo tam multis ac magnis periculis ac detrimentis liberati essent. Quod sanè non poterat non causæ seruire plurimum. Illud tamen non est committendum, Piratas quadringenta Romanorum Oppida præter multas Insulas occupasse antequam Pompeius Imperator decerneretur. Ita vt iurè dicat M. Tullius multas, Vrbes captas, multas etiam cum insulis esse relictas.

PARTICVLA LXXIX.

SEd quid ego longinqua commemoro? fuit hoc quondam, fuit proprium Populi Romani, longè a domo bellare, & propugnaculis imperii, sociorum fortunas, non sua tecta defendere.



Xaggerat adhuc altiùs dedecus quod in Populum Rom. redundabat ex Piratarum iniurijs; vt hinc etiam atque etiam victoriis, Pompeii illustret gloriam. Itaque eò rem adducit vt ostendat Populum Rom. quiantea socios propugnaret ac propterea longiùs bellaret, hoc tempore non modò sociis opem attulisse nullam, verùm etiam ne sibi quidem domi præsidio satis esse potuisse. Et ideo pergit.

PARTICVLA LXXX.

189 *SOciis vestris ego mare clausum per hosce annos dicam fuisse, cum exercitus nostri Brundusio nunquam nisi summa hyeme transmiserint? quid ad nos cum ab exteris nationibus venirent, captos querar? cum Legati Populi Rom. redempti sint? mercatoribus tutum mare non fuisse dicam, cum duodecim secures in prædonum potestatem peruenerint?*



Ommemorat igitur domesticam calamitatem ac dedecus Romanum. Et ideo narrat Legatos Populi Rom. redemptos esse, (quibus verbis captos fuisse satis indicat) ac duodecim secures, quod est Prætorum insignia & administros, in prædonum potestate peruenisse. Hæc verò & id genus alia commemorat Plutarchus inter cæteros sic scribens *Maiorem in modum Romanis insultantes etiam vias eorum excessione facta infestabant, & villas maritimas excindebant. Corripuerunt aliquando etiam duos Prætores Sextilium & Bellinum prætextatos, accensósque & lictores cum illis ipsis adduxere. Capta fuit Antonij viri triumphalis filia rus proficiscens, & grandi pecunia redempta.* Hæc & alia Plutarchus. Vt propterea cum tanta esset Piratarum audacia, tot ac tantis offensionibus Populum Rom. affecissent, superuacaneum sit sociorum & mercatorum incommoda commemorare.

PAR-

PARTICVLA LXXXI.

QVid aut Colophonem, aut Samum nobilissimas Vrbes, innumerabilésque alias captas esse commemorem, cum vestros portus, atque eos portus, quibus vitam & spiritum ducitis, in prædonum fuisse potestatem sciatis?



AD dedecus item Populi Rom. detegendum & vt ipse apertè tandem loquitur, labem & ignominiam Reipublicæ aperiendam hæc spectant, vt hinc etiam eluceat Pompeij decus & bellica gloria. Colophonem verò & Samum a Piratis capta memorant Historici etiam: portus quoque occupatos ac direptos: ita vt non necesse sit immorari. Hic vero dum repetitione illa vtitur, *portus atque eos portus*, obseruandum huiusmodi repetitionem seu geminationem magnum habere momentum ad attentionem vel commiserationem, aut etiam indignationem admirationémue, affectúmque huiusmodi aliquem excitandum, aut etiam, si opus sit, amplificandum. Sic supra, *Regnat & ita regnat: Dicam & ita dicam, Fuit quondam, fuit*. Videndum tamen est ne alieno loco ac leui in re hoc dicendi genere vtamur, ne temerè iactare verba videamur. Certè hic & commiserationem & indignationem & admirationem mouere potest & debet. Neque verò dum ait M. Tullius *portus quibus spiritum ducitis* Paulo Manutio atque alijs quibusdam assentior, qui id referunt ad annonam quæ ad Vrbem inde conueheretur. Nam nec inde sed ex infero mari afferebatur cum Sicilia, Sardinia, Africa essent frumentariæ Populi Rom. Prouinciæ, nec si quid annonæ aut commeatus fortè interdum Brundusio terrestri itinere allatum esset, his verbis aptè satis rem Cicero expressisset, sed frigidè. Cur enim Populus Rom. in Brundusino Portu dicatur spiritum ducere, quòd inde aliquid commeatus ad Vrbem importaretur? Satius igitur sit ea verba ad frequentem ac diuturnam commorationem referre quam ibi maxima faceret Romanorum multitudo. Cum enim inde Romani traiicerent in Græciam atque Asiam, fiebat sanè vt Brundusii ingens & militum & mercatorum ac negociatorum multitudo semper degeret. quæ nauigandi opportunitatem expectaret. ita vt tum hac de causa tum quia eò etiam ex Asia & Græcia soluentes confluebant ad Vrbem profecturi, ille portus atque illa Vrbs esset gentium multarum ac Romanorum in primis statio, &, in quo vitam & spiritum ducerent, domicilium. Atque hic sanè libentiùs legerem fuisse in potestate quàm fuisse in potestatem. Quanquam cum alibi legamus *res esse in vadimonium cœpit*, & in amicitiam ditionémque essent populi Rom. eodem modo in potestatem dicere potuit. Quid multa? in Verrina V. *In eorum potestatem portum esse*, scriptum reliquit quemadmodum in præsentia. Denique & Plautus dixit in Amphitryone, *Non mihi in mentem fuit*: & Græci hoc loquendi genere vtuntur sæpè. De qua re legendus est etiam A. Gellius libro I. capite VII. extremo. Colophon verò (vt ne id quidem prætermeam) fuit Ioniæ Vrbs nobilis, quæque equitatu valeret in primis: vnde illud κολοφῶνα ἐπέθηκε, *colophonem imposuit*, quod est summam operi, seu extremam manum, præclarè imposuit. Samos autem hic intelligitur, opinor, Vrbs seu Insula Iunoni dicata vt est apud Virgilium, a qua etiam Samia est appellata & de hac prouerbium extat, Samum vasa: quod scilicet illis abundaret. Et quanquam altera quoque Samos reperitur apud Ithacam quæ item maritima est ac Piratarum iniuriis patere posset, priorem tamen significari existimo a M. Tullio quod Plutarchus Iunonis Samum ab hisce Piratis captam dicat expilatam.

190 — 191 — *In Ora. p Quin. post inst. in dinun.*

PAR-

PARTICVLA LXXXII.

AN verò ignoratis portum Caietæ celeberrimum, atque pleniſſimum nauium, inſpectante prætore, a prædonibus eſſe direptum? ex Miſeno autem, eius ipſius liberos, qui cum prędonibus antea ibi bellum geſſerat, a prædonibus eſſe ſublatos? nam quid ego Hoſtienſe incommodum, atque illam labem atque ignominiam reipub. quærar? cum propè inſpectantibus vobis, claſſis ea, cui conſul Populi Rom. præpoſitus eſſet, a prædonibus capta atque oppreſſa eſt.

D inferum ſe ſe conuertit mare, cum de ſupero, ſuperóque finitimis, dixerit. Tres verò ingentes calamitates commemorat quæ in eius Portubus contigiſſent Populo Rom. a Piratis; prima quod Caietæ portus (eſt hic in Campania, diſtátque ab Vrbe mille circiter ſtadia) celeberrimus ac pleniſſimus nauium, a Piratis, idque Prætore ipſo inſpectante, direptus ſit. Huius verò Portus Vrbem a Caieta Aeneæ nutrice inueniſſe nomen quòd ibi ſepulta ſit vulgatum eſt ſatis. Quem verò Prætorem dicat, ex Hiſtoricis haud liquet, cum ne direptum quidem hunc memorent Portum. Quod ſi coniectura ſit agendum, credi poteſt fuiſſe M. Antonium (Oratorem intelligo) qui non multò antea pugnauerat cum Piratis, ſed parũ fœliciter: cuius etiã filiam captiuam duxerant. Sed quiſquis fuerit hic Prætor, illud ſanè certum videri poteſt M. Tullium huius Prætoris nomini pepercisse modeſtiæ cauſa. Tametſi ea verba *inſpectante Prætore* ad rei indignitatem augendam ac Populo Rom. facti huius dedecus ante oculos ponendum pronunciari apertius eſt quàm vt diſſimulari poſſit. Atque hoc quidem factum, quoniam grauiſſimum eſt, facit vt vel exiſtimem Plutarchum ac reliquos Hiſtoricos non diligentiſſimos fuiſſe in Piratico hoc bello commemorando, vel potiùs M. Tullium rem ita amplificare & augere vt ſeruiat cauſæ. ex quo fieret vt cum eiuſmodi factum alioquin exiguum cenſeri poſſit aut mediocre, Hiſtoricis inuidiam conflaret nullam. Altera calamitas ad Miſenum pertinet (eſt promontorium eiuſdem littoris quod a Miſeno Aeneæ Tibicine appellatum ferunt) vnde eiuſdem Prætoris liberos a Piratis ſublatos dicit. Tametſi liberos dicit Oratorio more & amplificandi cauſa, cum alioquin vnam ipſius Prætoris filiam abreptam ſcribat Plutarchus. Neque enim inauditum eſt vt liberos pro vnico filio aut filia dixerit M. Tullius. Itaque in Philippica prima, *Liberos eius* dixit; vnum Antonij filium indicans. Et alibi *iucundiſſimos liberos* cum diceret, vnam Iuliam Pompeij vxorem ac Cæſaris filiam ſignificauit. Atque ex hoc quidem loco coniectare licet inſpectantem Prætorem illum hunc ipſum M. Antonium fuiſſe cui filia ſublata eſt: qui enim M. Antonio id contigiſſe non inficietur, is eundem Prætorem Antonium fateatur illum neceſſe eſt, quandoquidem *eius ipſius*, inquit M. Tullius. Denique M. Antonium Oratorem clariſſimum ac virum triumphalem cum Prædonibus illis ſeu Piratis antea geſſiſſe bellum (id quod hoc in loco de Prætore illo commemorat Cicero) ex Hiſtoricis compertum eſt. Quam verò Piratæ (ne id prætercam) adduxerant Antonij filiã, hanc grandi pecunia redemptam, ex iiſdem Hiſtoricis conſtat. Poſtrema calamitas ad Hoſtiam Vrbem pertinet: quæ ſanè iacet in inferi maris littore, diſtátque decimo quarto ab Vrbe lapide vbi ſe ſe in mare exonerat Tyberis, & ab Anco Martio dicitur condita. Hic igitur claſſis Populi Rom. etſi nauale Romanorum eſſet Hoſtia; a Piratis capta atque oppreſſa eſt non ſine magno Populi Rom. dedecore: quod auctum eſt tum Imperatoris nomine (Conſul enim erat hic Imperator) tum loci propinquitate, cum ferè ſub ipſius Populi Rom. oculos id contigiſſet. Et idcirco hanc iniuriam, Reipublicæ labem & ignominiam appellat M. Tullius. De qua re audiendus eſt Dio, *Prædones* (inquit) *in continentem quoque ſe intulerunt, multiſque incommodis etiam eos qui nauigare non ſolebant, affecerunt. idque non extra ſociorum ſuorum fines duntaxat, verùm in ipſa etiam Italia. nam & quòd maiores quæſtus illinc ſe conſequuturos, & aliis maiorem terrorem iniectum iri ſperabant, ſi ne ab ea quidem abſtinerent: cum in alias eius Vrbes, tum in ipſam Hoſtiam*

492 (margin, beside "ce inueniſſe nomen")

493 (margin, beside "Prætorem illum hunc ipſum")

ftiam suas naues appulerunt ibique Romanorum naues incenderunt, omniáque diripuerunt: & tandem quasi de reditu non cogitarent, & in terra morabantur, & eos omnes quos non interfecerant, prædámque vniuersam securè tanquam in suis finibus deposuerunt. Hæc Dio. Quis tamen Consul ille fuerit, cuius parcit nomini, incertum; ita ut cum hoc bellum fuerit diuturnum, ne suspicione quidem attingere liceat illius nomen. Atque eâdem de causa ægrè liceat coniectare in quem inciderit annum id quod scribit Appianus; nobiles nimirum fœminas in Hetruria expatiantes, a Prædonibus abreptas, quin duos exercitus cum ipsis aquilis abductos. Quod tamen, si verum sit, mirum est a Cicerone reticeri. 194

PARTICVLA LXXXIII.

Proh Dij immortales, tanta ne vnus hominis incredibilis ac diuina virtus, tam breui tempore lucem afferre reip. potuit? vt vos, qui modò ante ostium tyberinum classem hostium videbatis, ij nunc nullam intra oceani ostium prædonum nauem esse audiatis?



Quod Tragici facere solent ij qui lætum fabulæ exitum tribuant, id facit M. Tullius hoc tempore. vt enim illi cum rem in summum discrimen adduxerint, ita vt extrema calamitas iam iam expectetur, repentè summam fortunæ commutationem adducunt qua incredibilem excitant admirationem; sic Cicero summis eorum temporum periculis ac detrimentis veluti ante oculos positis, repentè fortunę commutationem 195
refert. Itaque appositè ad eam aggrediens Tragicorum quoque more exclamat, *Proh Dij immortales;* statimque consecutam ob incredibilem Pompeij virtutem Reipublicæ lucem hoc est salutem commemorat, ostendens breui tempore, quod est intra paucos dies, ab Herculeo freto seu Oceani Ostio ad vltimas vsque maris nostri oras prædonum naues quibus maria complebantur & infesta habebantur, euanuisse omnes, ita vt nulla intra Oceani Ostium prædonum nauis inspiceretur.

PARTICVLA LXXXIV.

Atque hæc qua celeritate gesta sine, quanquam videtis, tamen a me in dicendo prætereunda non sunt. Quis enim vnquam aut obeundi negocii, aut consequendi quæstus studio, tam breui tempore, tot loca adire, tantos cursus conficere potuit? quam celeriter Cn. Pompeio duce belli impetus nauigauit?



Etsi a celeritate quoque propositum facinus celebrauit, monens breui tempore allatam Reipublicæ lucem, attamen quoniam reuera Pompeij celeritas in hoc bello supra quàm credi possit admirationem habuit, eam exaggerat copiosè; atque vt simul extollat, poëticè eam describit ad extremum vbi concludit Cn. Pompeio Duce belli impetum (cætera enim planissima sunt) celeriter nauigasse. Sic infrà ventos ait ac tempestates Pompeio obsecundasse, quod sine dubio hyperbolicè ac poëticè dicitur. Quæ sanè quoniam interim Cicero in laudatione versatur non modò ferenda sed laudanda sunt. Certè Aristoteles Poëticè cum laude efferri posse aliqua ab oratoribus docuit luculentè. At quanta demum & qualis fuit celeritas ista vnde belli impetus nauigasse dicitur? Sanè Historici alii quadraginta diebus, alii quinquaginta fermè, alii bimestri, aliqui etiam trimestri ferè, spatio hoc bellum peractum scribunt. Sed tamen, quantum conijcere licet, quadraginta diebus ab Oceani ora ad Ciliciam 196
vsque purgauit mare: sic enim Plutarchus: tametsi aliquid temporis adhuc insumpserit dum eosdem Piratas longiùs adhuc insectaretur atque in Ciliciam progredetur. Nam eodem Plutarcho teste, trimestre ferè impleuit spacium. Quòd si infra Plut. p. 288. 2. m

M. Tullius

M. Tullius ait vnde quinquagesimo die totam ad Imperium Ciliciam adiunxisse, a die quo Brundusio soluit, tempus æstimar; ita ut si tempus huic addatur quo Siciliam & Africam attigit, ac reliquas oras vel sua vel Legatorum opera muniuit, sine dubio trimestre fermè impleuerit spatium: quod tamen administratione ingenti carere haud potest.

PARTICVLA LXXXV.

QVi Siciliam adijt, Africam explorauit; inde Sardiniam cum classe venit, nondum tempestiuo ad nauigandum mari, atque hæc tria frumentaria subsidia Reipublicæ firmissimis præsidiis, classibúsque muniuit. Inde se cum in Italiam recepisset, duabus Hispaniis & Gallia Cisalpina præsidiis, ac nauibus confirmata, missis item in Oram Illyrici maris, & in Achaiam, omnémque Græciam nauibus, Italiæ duo maria maximis classibus, firmissimisque præsidiis adornauit.



Ae omnia quadraginta diebus illis perfecta sunt, quibus ex Plutarcho obseruauimus Siciliam, Africam atque alias huiusmodi oras partim ipsum, partim eius Legatos adijsse, muniisse, purgasse etiam ab Herculeo Freto ad Ciliciam vsque. Et ideo cohærenter etiam pergens ait.

PARTICVLA LXXXVI.

197 *IPse autem, vt a Brundusio profectus est, vnde quinquagesimo die totam ad imperium Populi Rom. Ciliciam adiunxit: omnes qui vbique prædones fuerunt, partim capti, interfectique sunt, partim vnius huius imperio ac potestati se dederunt.*



Vibus verbis comprehendit totius Piratici belli summam, quæ est hostes ac prædones illos partim interfectos, partim in deditionem venisse; ita ut tum oppida a Piratis illis occupata (quadringenta fuisse scribit Plutarchus) vnà cum Insulis aliquibus ac Cilicia vniuersa, in Pompeij ac proinde Populi Rom. venerint potestatem. atque hîc sanè vtiliter recenseretur quicquid Pompeio gestum est ex eo tempore quo soluit Brundusio ad diem vsque quo Ciliciam recepit omnem: quod vnde quinquagesimo die perfectum est. Sed quoniam longum esset, sat sit Flori narrationem describere qui sanè in tertio de Romanorum gestis, cum Piraticum bellum a Seruilio inchoatum ad Pompeium vsque traduxisset, de Pompeio sic pergebat.
cap.6. *Fælix ille & dignus victoria Pompeius visus est, & Mithridaticæ prouinciæ facta accessio. Ille dispersam toto mari pestem semel & in perpetuum volens extinguere, diuino quodam apparatu aggressus est. Quippe quum classibus suis & socialibus Rhodiorum abundaret, pluribus legatis, atque præfectis vtraque Ponti & Oceani ora complexus est. Gellius Thusco mari impositus, Plotius Siculo, Gratillius Ligusticum sinum, Pompeius Gallicum obsedit, Torquatus Balearicũ,*
198 *Tiberius Nero Graditanum fretum, quà primum maris nostri limen aperitur, Lentulus Lybicum, Marcellinus Aegyptium, Pompeij iuuenes Adriaticum, Varro Terentius Aegeum & Ponticum, & Pamphilium, Metellus Asiaticum, Cæpio ipsas Propontidis fauces, Portius Cato sic obditis nauibus, quasi portum obseruauit. Sic per omnis æquoris portus, sinus, latebras, recessus, promontoria, freta, peninsulas, quicquid piratarum fuit, quadam indagine inclusum & oppressum est. Ipse Pompeius in originem fontémque belli Ciliciam versus est. Nec hostes detractauere certamen, non ex fiducia, sed quia oppressi erant, ausi videbantur: sed nihil tamen amplius, quàm vt primum ictum concurrerent. Mox vbi circumfusa vndique rostra viderunt: abiectis statim telis remisque plausu vndique pari, quod supplicantibus signum fuit, vitam petiuerunt. Non alias tam incruenta victoria vsi vnquam sumus, sed nec fidelior in posterum reperta gens vlla est. Idque prospectum singulari consilio ducis, qui maritimum genus a conspectu longè remouit maris,*

& mediterraneis quasi obligauit. Eodémque tempore & vsum maris nauibus recuperauit & terra hominis suos reddidit. Quid prius mirere in hac victoria? velocitatem? quòd XL. die parta est: an felicitatem? quòd ne vna quidem nauis amissa est: an perpetuitatem? quòd amplius piratæ non fuerunt. Hæc Florus. Plura tamen qui cupit, legat Historicos, in primis verò Plutarchum in Pompeio.

PARTICVLA LXXXVII.

IDem Cretensibus, cum ad eum vsque in Pamphiliam Legatos deprecatorésque misissent, spem deditionis non ademit, obsidésque imperauit.



CRetenses non inter Piratas habet: sed quoniam ijs receptaculum dederant, simúlque Mithridati interdum fauerant, in eodem ferè hostium numero habiti sunt. Quamobrem, cum profligati essent Cilices, Legatos deprecatorésque miserunt ad Pompeium vt veniam, deditione facta, impetrarent. Itaque Pompeius, imperatis obsidibus, bona spe esse iussit. De qua re tota, quoniam M. Tullius rem attingit quam breuissimè (præsertim verò ne quas Pompeius interim ob Cretenses cũ Metello discordias inimicitiásque non sine crimine aliquo exercuit, commemoraret) describere lubet quæ de Cretico bello Florus subijcit Piratico. *Creticum bellum* (inquit) *si vera volumus noscere, nos fecimus, sola vincendi nobilem insulam cupiditate. Fauisse Mithridati videbatur: hoc placuit armis vindicare. Primus inuasit insulam Marcus Antonius, cum ingenti quidem victoriæ spe atque fiducia, adeò vt pluresi catenas in nauibus, quàm arma portaret. Dedit itaque pœnas vecordiæ. nam plerasque naues intercepere hostes, captiuáque corpora religata velis ac funibus perpendere, ac sic velificantes triumphantium in modum Cretes portibus suis adremigauerunt. Metellus deinde totam insulam igni ferróque populatus, intra castella & vrbes redegit, & Gnoson, & Eritream, & (vt Graci dicere solent) vrbium matrem Cydonam, adeòque sæuè in captiuos consulebatur, vt veneno se plerique conficerent, alij deditionem suam ad Pompeium absentem mitterent. Et quum ille res in Asia gerens, eo quoque præfectum misisset Antonium, in illa prouincia irritus fuit, eóque infestior Metellus in hostes ius victoris exercuit, victísque Lasthene & Panare Cydone ducibus, victor rediit, nec quicquam amplius tamen de tam famosa victoria, quàm cognomen Creticum reportauit.* Hæc Florus: quibus ad totum hunc Ciceronis locum intelligendum, Plutarchum quoque vtiliter legas. Etsi summa illa fit, Cretenses cui antea liberi fuerant, nec vnquam (si Dioni credimus) alienigenæ domino seruierant vlli, a Metello subactos ac triumphatos esse.

199

li.3.c.7.

200

PARTICVLA LXXXVIII.

ITa tantum bellum, tam diuturnum, tam longè latéque dispersum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur Cn. Pompeius extrema hyeme apparauit, ineunte Vere suscepit, media æstate confecit.



COlligit, nec sine eleganti amplificatione, Piratici belli summam: in primis verò tempus designat quo apparatum, susceptum, denique confectum sit. Ita quidem satis intelligitur hæc omnia trimestre spatiũ minimùm, aut veriùs quadrimestre habuisse.

PARTICVLA LXXXIX.

ESt hæc diuina atque incredibilis virtus Imperatoris.

PAR-


Ic verò diligenter est obseruandum, Ciceronem iam antea secundo loco de Pompeij virtute dicendum proposuisse. Vbi perspicuè significauit se virtutis nomine virtutes Imperatorias complecti omnes. Quapropter cum dixisset, *Iam verò virtuti Cn. Pompeij quæ potest par oratio inueniri*, subijciebat, *Non enim illæ sunt solæ virtutes Imperatoria, quæ vulgò existimantur, labor in negocijs, fortitudo in periculis, industria*
201 *in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo* (quibus verbis exposuit notiores quæque vulgò cognitæ essent Virtutis partes) alteram virtutum veluti aciem reticuit, quòd ad priorem illam in Pompeio demonstrandam properarent. Itaque pergebat, *quæ tanta sunt in hoc vno*, & quæ sequuntur: quibus ad hunc vsque locum quem nunc interpretandum aggredior, longè ac latè differens, peruenit: ita vt sine dubio Pompeij laborem, fortitudinem, industriam, celeritatem, consilium (quæ virtutes ad priorem veluti aciem pertinent) in Pompeio hactenus commonstrarit. Hinc est vt in præsens colligat id quod de prioribus istis Virtutis partibus aut virtutibus longè ac latè disputauerat; generali Virtutis nomine quam in Imperatore isto diuinam & incredibilem facit, eas virtutes omnes complectens. Atque hinc suboritur dubitatio dum pergitur.

PARTICVLA XC.

Q*Vid cætera quas paulò ante commemorare cœperam, quanta & quàm multa sunt?*


Am si hîc intelligas laborem, industriam & cæteras illas quas vulgo cognitas dixit virtutes, verè quidem dixerit *commemorare cœperam*. Sed tamen quia has commemorare & cœpit & perfecit, ita vt eas enumerauerit ac celebrauerit omnes, vix ac ne vix quidem istis verbis *quas paulò ante commemorare cœperam*, eas indicet & intelligat; perperam enim aut saltem frigidè dixisset *cœperam*. Ergo fateamur id quod est: M. Tullius non istas intelligit (id quod ex eius quoque verbis paulò post cõstabit satis) sed innocentiam, temperantiam, fidem, facultatem, ingenium, humanitatem. Quòd si obijcias has antea neutiquam commemorare cœpisse, sic statuo. Si audere liceat, ac locum illum, *Non enim illæ sunt*, supplere, quemadmodum multò antea suppleuimus, quasi verò mendosus sit, iurè M. Tullius hîc subijceret *commemorare cœperam*. Verùm si id audaciùs videatur, ac locum mendosum esse pernegetur, dicendum eas commemorare cœpisse dum diceret, *Vtinam Quirites, virorum fortium*
202 *atque innocentium copiam tantam haberetis*; ibi enim quoquo modo geminum istum virtutum chorum indicare cœpit, fortitudine primum, alterum innocentia. Et ideo fortitudinem modò ad priorem referebat, innocentiam ad posteriorem referet mox. Vel certè, quoniam ea verba, *Vtinam virorum fortium atque innocentium copiam tantam haberetis* protulerat multò antea, ad diuisionem seu enumerationem virtutum quas in Imperatore requirebat, descendit postea, multò post etiam subiecit, *Non enim illæ sunt solæ virtutes imperatoriæ quæ vulgò existimantur*, (vbi virtutes imperatorias sibi partiendas proponere visus est) idcirco satiùs est affirmare potestate & (vt cum scholis loquar) virtualiter commemorare cœpisse alterum Virtutis veluti chorum seu posteriorem aciem: quia cum negasset esse vnam tantùm, hoc est vulgarem illam virtutum aciem, tacitè ac potestate alteram introduxit: atque hanc iam iam introduceret apertè satis ac prolixè: mox etiam innocentiam, temperantiam, fidem, facilitatem, ingenium, humanita-
203 tem ad eam reuocabit.
Et ideo pergit.

PARTICVLA XCI.

Non enim solùm bellandi virtus in summo atque perfecto Imperatore quaerenda est; sed multæ sunt artes eximiæ, huius administræ comitésque virtutis.



Vi sine dubio per bellandi virtutem comprehendit quas propriè bellicas vulgo notas commemorauerat virtutes; nimirum laborem, fortitudinem, industriam, celeritatem, consilium. Quapropter quemadmodũ eo in loco indicauerat præter istas esse quoque alias vulgò minùs notas, cum diceret *Non enim illæ solæ sunt virtutes Imperatoriæ quæ vulgò existimantur*; ita hic, (quoniam illas in Pompeio esse retestinauerat, nec reliquas subiecerat) resumens ac repetens ea verba *Non enim*: ac bipartitam illam virtutum diuisionem explens, Non enim (inquit) *solùm bellandi virtus in summo atque perfecto Imperatore quærenda est, sed multæ sunt artes eximiæ. huius administræ comitésque virtutis*. Ita quidem posteriore veluti acie introducta, ex ordine subinde profert virtutes quæ posteriore hac continentur acie, pergens.

PARTICVLA XCII.

Ac primùm quanta innocentia debent esse Imperatores? quanta deinde omnibus in rebus temperantia? quanta fide? quanta facilitate? quanto ingenio? quanta humanitate? quę breuiter qualia sint in Cn. Pompeio consideremus. Summa enim sunt omnia Quirites.



Ic etiam posterius hoc virtutum genus laudaturus in Pompeio, a thesi 204
incipit, eas priùs enumerans, ac statuens in Imperatore requiri: tum ad hypothesim descendens, quales sint in Pompeio requirit, statuítque esse summas. Etsi, cum haud satis esset id affirmasse, nisi argumento aliquo probaretur, propterea huc iam se se confert: quemadmodũ ostendam, si tamen priùs vnum atque alterum in ijs quæ nuper explanabam, obseruauero. Primum est reuera innocentiam, temperantiam, fidem, facilitatem, humanitatem, veriùs esse virtutes quàm laborem, industriam, celeritatem, consilium. Sed tamen quoniam in re bellica consilium in primis, celeritas, labor, industria vnà cum fortitudine requiritur, præsertim vulgò, factum est vt eas comites administrásque bellicæ nuncupauerit virtutis. Et eàdem de causa innocentiam ac reliquas virtutes istas artis appellat nomine, præsertim variandæ orationis gratia: alioquin verissimæ virtutes sunt, quemadmodum tacitè indicauit supra dum diceret, *Non enim illæ sunt solæ virtutes Imperatoriæ*. Atque huc pertinet quòd cũ modò dixisset *Est hæc diuina atque incredibilis virtus Imperatoris*, subiiciebat è vestigiò, *Quid cæteræ?* virtutes intelligens, tametsi mox eas appellet artes. Et idcirco nos haud dubitauimus geminum istinc virtutum chorum proferre. Alterum est, optimo tamen iure bellicæ virtutis administras appellari posteriores virtutes istas, sed nobilissimas tamen administras (& ideo appellauit etiam eas eximias) ac propterea etiam comites nuncupari. Nam sine dubio magnam Imperatori adiungunt authoritatem ac facilitatem ad vi- 205
ctoriam, & laudem. libenter enim & milites huic seruiunt, & gentes eidem præsidentes obediunt, illius potestati se committentes. Addo tertium; nimirum non esse quod demiremur M. Tullium, qui tantam virtutum atque artium varietatem requirit in summo Imperatore, facundiam seu dicendi virtutem & eloquentiam, prætermisisse. nam ex his ipsis quas hîc commemorat, virtutibus, Eloquentiam educet, eandémque in Pompeio celebrabit non vulgariter.

PAR-

PARTICVLA XCIII.

Sed ea magis ex aliorum contentione quàm ipsa per se se cognosci atque intelligi possunt.



Irtutes in Imperatore cum per se spectari ac dignosci possunt, tũ comparatè: comparatè inquam, si Imperator cum Imperatore, virtus cum virtute comparetur. ac posteriore hoc modo ait magis cognosci atque intelligi posse: nam cognosci ex aliorum contentione, est ex collatione & comparatione cognosci. Sic 1. de Officijs, *Si contentio (inquit) & comparatio fiat quibus plurimum tribuendum sit*: & pro Planco, *Contentio ipsorum hominum facienda est*. Et 1. de Inuentione, *Aliorum* (inquit) *cum suis factis contentio*. Qui locus nostro huic est quàm simillimus: quemadmodum alter ille ex prima Philippica, *Fortunarum contentionem facere cœpimus*. Quanquam Author quoque ad Herennium eleganter, *quærendum* (inquit) *vtrum fuerit vtilius ex contentione*. Sic igitur Cicero ex contentione hoc est ex comparatione requirit num virtutes in Pompeio sint summæ. Nam cum ad hoc inuestigandum cõtentio seu comparatio sit commodior, hac vti debuit qui in illo virtutes summas ac summa omnia esse contenderet. Neque
206 dubitandum quin comparatio reuera ad id magis valeat: vt enim colores, sonos, magnitudines & id genus alia comparatione maximè dignoscimus & probamus. sic virtutes, homines, Imperatores. Quanquam hanc viam init Cicero vt eos facilè refellat qui vel ad Imperatorium hoc munus aspirarent hoc tempore, vel a suis illi fautoribus Pompeiique aduersarijs proponerentur.

PARTICVLA XCIV.

Qvem enim possumus Imperatorem aliquo in numero putare, cuius in exercitu veneant centuriatus, atque venierint? quis hunc hominem magnum, aut amplum de Republica cogitare, qui pecuniam ex ærario depromptam ad bellum administrandum aut propter cupiditatem prouinciæ magistratibus diuiserit: aut propter auaritiam Romæ in quæstu reliquerit?



Varitiam indicat ac damnat in alijs quibusdam Imperatoribus apud quos centuriatus venales essent, quiue pecuniam a Populo Rom. belli administrandi causa ex ærario acceptam, Magistratibus diuiderent vt eos largitione corrumperent dum Prouinciam peterent: aut etiam (quod deterius est) Romæ in quæstu relinquerent. Qui autẽ fuerint reticet M. Tullius: etsi non vnos sed multos fuisse indicat verbis illis quæ subijciet, *qui hæc fecerint*. Turpe verò & detrimentosum est Centuriatus vendere, cum meritis sint tribuendi: alioquin militaris disciplina corruit: præsertim verò quia qui venale munus administret, venalis euadat facilè, nam huc illud pertinet,

207 *Emerat ille priùs: vendere iurè potest.*

Addit verò eum, qui pecuniã Magistratibus diuiserit, aut Romæ in quæstu reliquerit, nil magnum aut amplum posse de Republica cogitare, significans dum suæ vtilitati turpiter seruit, ne cogitare quidem posse aliquid magnum & amplum de Republica, tantum abest vt res magnas atque amplas patrare possit pro Republica. Ac fortè dum negat hunc posse aliquid magnum cogitare, tacitè eos increpat qui istum cum Pompeio Magno conferre non dubitabant in huiusmodi altercatione. Verè enim Pompeius Magni cognomen iam obtinuerat ob magnitudinem rerum pro Republica gestarum. Iam tum enim Magni cognomen adeptus erat cum ex Africa rediret ac de Hiarba triumpharet. Suspicor autem Acilium Glabrionem fuisse ex ijs

qui in quæstu reliquisset pecuniam; nam ipse paulò ante Roma discesserat: idémque
propter Prouinciæ cupiditatem aliquam pecuniæ partem clam dilargiri potuit ante-
quam iret in Prouinciam vt prorogare deinde posset Imperium quemadmodum fe-
cerat Lucullus ac Pompeius. Sed quicũque isti fuerint, certè crediderim ne hæc qui-
dem vlla ex parte pronunciari Luculli insimulandi gratia. Etsi enim non inficior aua-
ritia quoque laborasse Lucullum, ac rapinas in Asia exercuisse, vnde ingentes collegit
opes (atque id, Plutarcho teste, obiecit illi Pompeius cum in congressum venissent)
vix tamen crediderim Ciceronem tacitè hîc eum reprehendere voluisse quem pau-
lò ante in Cœlum extulerat laudibus. Turpe enim fuisset ex eodem fonte, vno eo-
démque tempore, & frigidam & calidam auditoribus propinare, aut aliud stantem 208
sentire, aliud sedentem. Præsertim verò quia qui ex hostium opibus ditatus est Lu-
cullus, Romano ærario (si Plutarcho credimus,) pepercit, cõsuluitque liberaliter. Of-
ferenti enim Populo Rom. dum esset in Asia magnam pecuniæ vim vt commodius
bellum administrare posset, repudiauit eam, respondens se illa non indigere.

PARTICVLA XCV.

*Vestra admurmuratio facit, Quirites, vt agnoscere videamini, qui hæc fece-
rint. Ego autem neminem nomino. quare irasci mihi nemo poterit, nisi qui
antè de se voluerit confiteri.*



DIgreditur Cicero, occasione arrepta ex auditorum admurmuratio-
ne. Cum enim ea commemoraret de nonnullorum auaritia & cu-
piditate, inter Auditores secuta erat admurmuratio, qua, etsi inter se
summissa colloquentes voce; quoddam veluti murmur ediderant.
Tali verò admurmuratione probare videbantur & cõfirmare quod
dixerat M. Tullius, nam hoc indicat dum ait eos agnoscere qui hæc
fecerint. Ex quo fit vt in bonam quoque partem capienda sit in præsens admurmu-
ratio tota; pro plausu scilicet & approbatione cum Ciceronis dictum probarent.
Neque verò idcirco iis assentior qui admurmurationem semper in bonam partem
interpretantur, statuãres significare approbationem & acclamationem, ac plausum:
& propterea obmurmurationi seu murmurationi tanquam contrarium opponit; cũ
enim apud eum admurmurare in malam quoque partem vsurpetur (nam ideo scri-
bit *Tenetis quàm valde vniuersi admurmurarint, quàm palam principes contradixerint?*) quid- 209
ni admurmuratio quoque in vtranque partem verti possit? & ideo Cicero *O diuina,*
inquit, *Senatus admurmuratio*: & rursus *secundis admurmurationibus cuncti Senatus*. diui-
nam enim & secundam appellat admurmurationem, quòd flagitiosa etiam & aduer-
sa esse possit: & eodem nomine *grata* (inquit alibi) *concionis admurmuratio*: quia scili-
cet ingrata etiam esse potest. Quid plura? cum scribat in prima Philippica, *Qui non
admurmuratione sed voce & clamore furorem illius ac petulantiam abiecistis*, quis non animad-
uertit in deteriorem quoque partem vsurpari? significat enim fregisse eius furorem
non murmure ac summisso veluti colloquio sed aperta voce atque adeò clamore ip-
so. Quare fateor hîc pro approbatione sumendam, idque alibi non rarò accidere, sed
pro approbatione tantùm sumi posse, id verò pernego. Cum igitur admurmurarent
Auditores, & eos agnoscere viderentur qui ea fecissent, veritus est Cicero ne ij, qui
illa admisissent crimina, indignè id ferrent atque irascerentur. Quo circa, vt
quoad eius fieri possit declinet inuidiam & indignationem, *Ego*, in-
quit, *neminem nomino; quare nemo mihi irascatur, qui non antea cri-
men de se fateatur.* Quo artificio eleganter apertam
declinat indignationem: nemo enim, nisi
deliret, ei palam irascatur, ne vi-
deatur fateri crimen.

PAR-

PARTICVLA XCVI.

ITaque propter hanc auaritiam Imperatorum, quantas calamitates, quocunque ventum sit, nostri exercitus ferant, quis ignorat?



210 Edit ad institutum, & vniuersim Imperatorum auaritiam arguit, quòd calamitates afferrent ijs in quas deuenirent, regionibus. Id autem tum deplorat sæpè M. Tullius in hac Oratione, tum verò in ea Epistola quam de Prætoris officio scripsit ad Q. Fratrem. Etenim itinerum & agrorum furta & latrocinia ac Prætorum auaritiam sic sublata a Q. gratulatur, vt diu eiusmodi calamitate Prouincias oppressas fuisse indicet. Denique dum fratrem laudat quòd audiret non eius itineribus perterreri homines, non sumptu exhauriri, nō aduentu commoueri: esse quocunque venerit, & publicè & priuatim, maximam lætitiam, cum Vrbs custodem non Tyrannum, domus hospitem non expilatorem, recepisse videretur; satis indicat isthæc a cæteris Prætoribus fuisse cōtempta, ita vt quocunque ventū esset, ferrent calamitatem.

PARTICVLA XCVII.

ITinera, quæ per hosce annos in Italia per agros atque oppida ciuium Romanorum nostri Imperatores fecerunt, recordamini: tum faciliùs statuetis quid apud cæteras nationes fieri existimetis.



Acilè contingere poterat vt non ad omnium auditorum illorum aures satis peruenisset qualia & quanta itineribus illis detrimenta afferrent Imperatores Asiaticis ac longinquis Populis: hoc igitur, argumento sumpto ex Italicis Imperatorum itineribus, confirmat, vt ex propinquis calamitatibus quæque sub ipsis ferè Populi Rom. oculis contingerent, de longinquis multò magis coniicerent. Et huc etiam spectare visus est M. Tullius dum fratrem hortaretur, suaderétque vt non se solùm sed Imperij sui ministros omnes sibi præstaret similes. *Ita se gerant* (inquit)
211 *in istis Asiaticis itineribus, vt si Appia via;* quod est sub Populi Rom. oculis, *iter facerent: néue interesse quicquam putent vtrum Tralles an Phormias venerint.* Sed ne id quidem veriti sunt ij qui per eos annos in Italia versati sunt Imperatores. Vt propterea qui cum Imperio ad exteras ac longè remotas nationes missi sunt Imperatores, hos detrimenta maxima attulisse constare satis possit. Itaque auaritiæ labe & infamia mirificè laborabant Romani apud Barbaros, ita vt socijs hostes plerique viderentur. Et ideo pergit.

PARTICVLA XCVIII.

VTrum plures arbitramini per hosce annos militum vestrorum armis hostium Vrbes, an hybernis sociorum Ciuitates esse deletas?



Dem in aurea Epistola illa satis indicat M. Tullius, cū significet multò magis Romanos quàm hostium exercitus timorem ac detrimentum attulisse sociis, præsertim vbi hybernandum illis esset. Quanquam id quod air de Vrbibus, plures scilicet Romanorum quàm hostium armis deletas, mea quidem sententia non caret hyperbole. Vt enim maxima indicet detrimenta illarum Vrbium, deletas inquit: præsertim verò quia Romanum exercitum interim comparat cum hostili, a quo reuera Vrbes delerentur. Alioquin verè deletas haud legimus apud historicos.

Atque

Atque hanc eandem rem deplorabit etiam infra non paucis. Hic verò animaduertere licet Vrbem ac Ciuitatem aliquando promiscuè vsurpari, seu Ciuitatem cum Vrbe confundi: etsi alioquin Vrbs propriè mœnia & ædificia, Ciuitas Ciuium multitudinem, significat.

PARTICVLA XCIX.

NEque enim potest exercitum is continere Imperator, qui se ipsum nō continet: neque seuerus esse in iudicando, qui alios in se seueros esse iudices non vult. 212



ID quod tot tantorúmque malorum origo erat & caussa, attingit tandem, vt receptui canat, séque contra ad Pompeij moderationem cōuertat. Et quidem Principis exemplum & Imperatoris domi forísque plurimum valere in omnem partem nemo est qui nesciat. Atque hinc illud, tritum sanè, sed verissimum,

Regis ad exemplum totus componitur Orbis.

Itaque idem Cicero Platonem sequutus, *Quales* (inquit) *in Republica Principes sunt, tales reliqui solent esse Ciues*. Qua de caussa planè aureum videri debet quod in tertio de Legibus scriptum reliquit. *Haud tantum mali est peccare Principes (quanquam est magnum hoc per se ipsum malum) quantum illud, quòd permulti etiam imitatores Principum existunt. Quam non solùm vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in Ciuitatem, exemplo magis quàm peccando nocentes*. Quæ omnia in Imperatorem & exercitum omnino conueniunt, Quin etiam in eos omnes qui præsunt cæteris. *Quid est enim* (inquit rursus Cicero ad Quintum scribens) *negotij continere eos quibus præsis, si te ipse contineas?* Pergit.

PARTICVLA C.

HIc miramur hunc hominem tantum excellere cæteris: cuius Legiones sic in Asiam peruenerunt, vt non modò manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem, cuiquam pacato nocuisse dicatur.



COnuertit se, vt dicere cœperam ad Pompeium; vt quantam in cæteris illis Imperatoribus intemperantiæ atque auaritiæ detexerat labem, tantum moderationis & continentiæ in Pompeio commonstraret decus. Ab eius verò Legionibus incipit, quæ in Asiam sic peruenissent, vt ne minimum quidem cuiquam nocuissent. Hinc enim Principis & Imperatoris declaratur continentia. Iurè autem affirmat Pompeium mirum in modum excellere cæteris, cum de cæterorum legionibus nil 213 tale affirmari posset. Sed iam Pompeij continentiam & moderationem agnoscamus ex hybernis in quibus tam facilè peccatur, ac talem ac tantam in alijs labem obseruauit.

PARTICVLA CI.

IAm verò quemadmodum milites hybernent, quotidie sermones ac literæ perferuntur: non modò vt sumptum faciat in milites, nemini vis affertur; sed ne cupienti quidem cuiquam permittitur.


Onfirmat Pompeianorum militum moderationem, quam literis & sermone testatam ostendit: quæ duo sine dubio momenti sunt maximi, cum hinc etiam publica fides ac testificatio oriatur. Sciiè verò sic celebrat militum moderationem in hybernis, vt significet ne cupienti quidem cuiquam aliquid minùs conueniens permitti: permitti enim negat vt indicet id Pompeij vigilantia contingere, qui quemadmodum exemplo (id quod commemorauit antea) ita edictis ac pœnis de vi ac sumptu caueret ac prohiberet. Iam verò de hybernis sic concludit.

PARTICVLA CII.

Hyemis enim non auaritię perfugium maiores nostri in sociorum atque amicorum tectis esse voluerunt.

214 
Vrea tem concludit sententia, quæ non Pompeij solùm sed veteris Reipublicæ frugalitatem, cõtinentiam, moderationem, militarémque sapientiam declarat. Quæ vtinam hoc tempore a Ducibus & Principibus colerentur. Etsi enim non desunt qui hybernantibus militibus, cauent suorum Populorum incommodis, quòd eos diligant; plerique tamen iniurijs ac detrimentis suos obijciunt Populos: ita ut eorum milites ac Duces, quippe qui in alienis Vrbibus hybernant aut dissitis regionibus, rapinas exerceant alacriter. Hîc verò, quoniam de Pompeij, frugalitaténe dicam & moderatione, an innocentia? sed virtute saltem dicam; egit Cicero, iámque de eiusdem temperantia sibi dicendum statuet; illud dubito, quorsum hactenus Pompeium laudauerit, aut etiam quid laudauerit in Pompeio. Etenim dixerat Imperatorem innocentia, temperantia, fide, facilitate, ingenio, humanitate præstare debere: atque hasce virtutes sibi in Pompeio agnoscendas & considerandas, vt constaret summas esse: ac propterea ex aliorum Imperatorum contentione seu comparatione id inuestigandum, quòd comparatione meliùs agnosci possit: & tamen statim auaritiam & cupiditatem seu ambitionem cæterorum detexit Imperatorum. Par igitur erat vt è contrariò Pompeii liberalitatem (hæc enim opponitur auaritiæ) & moderatam honorum cupiditatem (hæc enim opponere licet ambitioni) declararet & commendaret; & tamen cum proponeret virtutes illas, nil de liberalitate aut de moderata honoris cupiditate dixerat. Quorsum igitur huc traducere disputationem? Sed fateamur id quod est. Innocentiam proposuit primo loco, qua fit vt nemini noceamus, sed cuique quod suum est tribuamus: id enim sæpè testatur Cicero
215 esse innocentiæ proprium, ita vt ἀβλάβειαν hac ipsa de causa illam appellet. Non malè igitur auaritia illi opponitur, qua alteri passim nocemus ac iustitiam violamus. Eatenus igitur hæc differuit Cicero vt ostenderet cæteros quidem Imperatores nocuisse multis Populis ac Ciuitatibus, Pompeium nullo modo. Itaut tota disputatio hactenus Pompeij innocentiam declarauerit quòd nemini nocuisset: id enim proposuerat primo loco. Quod si alios Imperatores propter cupiditatem quoque perstringere videtur, sanè cupiditas hoc in loco non tam perstringitur ambitionis nomine quàm auaritiæ: propter cupiditatem enim Prouinciæ Magistratibus diuiserant pecuniam; non tam honoris diuturnitatem optantes (quanquam hanc etiam optare potuerũt) quàm Prouinciæ expilandæ longam opportunitatem. Atque hinc Cicero istorum nocentiam (vt ita dixerim) colligit: Pompeij integritatem innocentiámque declarat. Ex quo etiam licet animaduertere cur Iustitiam interim reticeat, quæ tamen alibi a M. Tullio omnium domina censetur ac Regina virtutum. Etenim innocentiæ nomine iustitiam quoque complectitur. Vt enim hæc eò spectat vt nemini noceatur, ita innocens, quoniam nemini nocet, iustus censendus est. Sed ad pensum.

PARTICVLA CIII.

Age verò cæteris in rebus qualis sit temperantia considerate. Vnde illam tan- 216
tam celeritatem, & tam incredibilem cursum initum putatis? non enim
illum eximia vis remigum aut ars inaudita quędam gubernandi, aut venti ali-
qui noui, tam celeriter in vltimas terras pertulerunt: sed hę res, quę cęteros re-
morari solent, non retardarunt. Non auaritiam ab instituto cursu ad prædam ali-
quam reuocauit: non libido ad voluptatem: non amænitas ad declarationem: non
nobilitas vrbis ad cognitionem: non denique labor ipse ad quietem. postremo si-
gna, & tabulas, cęteráque ornamenta gręcorum oppidorum, quę cęteri tollenda
esse arbitrantur: ea sibi ille ne uisenda quidem existimauit.



Ersistit in Pompeij temperantia declaranda & exornanda, docens
tum a præda & auaritia, tum a libidine & voluptate, tum denique ab
omni cupiditate, temperasse; ita ut ne locorum quidem amœnitas
ad delectationem, vt fit, eum allicere, aut quietis amor in labore ipso
remorari, aut signorum & tabulatũ huiusmodíque rerum pulchri-
tudo visendi studio capere, potuerit ac retardare. In quam sanè rem
ingeniosè profectò & eleganter ac percunctatione pulcherrima se se insinuat. Cum
enim Brundusio soluens, in vltimas terras (Piratas scilicet persequens) mira celeri-
tate perueniffet, quærit de talis ac tantæ celeritatis causa: continentérque *non illum*
(inquit) *eximia vis remigum aut ars inaudita quædam gubernandi, aut venti aliqui noui, in vl-*
timas terras pertulerunt: sed hæ res quæ cæteros remorari solent, non retardarunt. Atque hinc 217
ad eius temperantiam celebrandam descendit, vnde celeritas illa orta esset. Vltimas
verò terras Ciliciam vocat & Pamphiliam, vel quia tunc vltimæ essent regiones Po-
pulo Rom. subiectæ, vel potiùs amplificandi causa. Rectè verò indicat remigũ vim,
artem gubernandi, ventos denique illa esse quæ cõferunt ad celerem nauigationem.
quæ tamen, quoniam in tam inaudita Pompeii celeritate, vix ac ne vix quidem fuis-
sent satis, nisi tamen vis illa remigum fuisset eximia, ars gubernandi inaudita, venti
noui ac supra omnem consuetudinem secundi, negat (ne quis scilicet huc confuge-
ret vt propositæ percunctationi satisfaceret) ijs Pompeii celeritatem illam esse tri-
buendam: ac simul docet Pompeii temperantiæ ac virtuti acceptam esse referendã:
atque id quia se nullo modo ab ijs retardari passus sit quæ cęteros remorari solent.
At enim quæ obsecro illa sunt quæ cum remorari cæteros soleant, Pompeium non
retardarunt? Enumerat hæc gradatim ferè, atque ita enumerat, vt de Pompeii tem-
perantia longè ac latè verba faciat. Ac primò quæ per se vitiosa sunt ac turpia, auari-
tiam & libidinem enumerat: & ideò pergit, *Non auaritia ab instituto cursu, ad prædam*
aliquam reuocauit: non libido ad voluptatem. Et sanè alios multos tum prædæ cupidita-
te & auaritia, tum libidine retardatos cum ex Historiarum monumentis passim cõ-
stat tum ex iis quæ Annibali superiore ætate, Metello & Lucullianis per idem tẽpus,
acciderant. Ita ut cum hæc vitia in Romanos exercitus irrepsissent, iurè ad extre-
mum illud clamet M. Tullius, *Difficile est dictu Quirites, quanto in odio simus apud exte-* 218
ras nationes propter eorum, quos ad eas hoc anno cum imperio misimus, iniurias ac libidines. quod
enim fanum putatis in illis terris, nostris magistratibus religiosum, quam ciuitatem sanctam,
quam domum satis clausam ac munitam fuisse? vrbes iam locupletes, ac copiosæ requiruntur: qui-
bus causa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur. De qua item re copiosè in Episto-
la illa nobili ad Q. Fratrem. Denique ob auaritiam in primis Romanos milites apud
exteras gentes odium subiisse maximum, cum ex Catilinaria Sallustii coniuratione
constat satis, in qua multorum Imperatorum ac militum auaritiam insectatur, tum
ex Mithridatis facto cum Aquilio Legato; cui aurum in os infundi voluit dum neca-
retur. Addit *non amœnitas ad delectationem: non nobilitas Vrbis ad cognitionem: non deni-*
que labor ipse ad quietem. Quibus verbis tres subiungit causas Pompeianæ temperan-
tiæ, qua scilicet tria incitamenta repulerit quibus retardarentur cæteri. Et quanquam

hæc

hæc ea sunt quæ per se vitio carere possint; alieno tamen tempore culpa, præsertim
in Imperatore, nullo modo carent: siquidem disciplinæ militari ac victoriæ obsunt
plurimum. Itaque amœnitas ad delectationem, quæ alioquin a M. Tullio proponitur
li.1.Off. alibi qua corpus atque animum assiduis laboribus & curis affectum reficiamus; An-
nibali in primis obfuit, qui non minùs Capuanis delicijs & Vrbis illius amœnitate,
219 quàm Seplasiæ amore, captus & retardatus est. Alieno enim tempore loci illius de-
licijs & amœnitatem adamauit. Eodem consilio, vt Pompeij solertiam ac celeritatem
magis ac magis ostendat, affirmat neque nobiles Vrbes visendi studio, neque in labo-
ribus quiescendi amorem illum retardasse: alieno tempore intelligas. Nam vt oppor-
tuno loco lustrare Vrbes quietémque captare laudabile est, Pompeius post Piratas
deuictos ac Ciliciam pacatam, inuisisse per ocium varias Vrbes testis est Plutarchus.
Quapropter quemadmodum scribit eum in hac expeditione, cum properaret, Vr-
bes prætergressum esse, ita post expeditionem de illo sic scribit. *Post bellum Piraticum
Romam est allatum Pompeium negocijs vacuum Vrbes inuisere*. Iam verò dum addit M. Tul-
lius, signa ac tabulas ac cætera oppidorum ornamenta quæ cæteri tollenda esse arbi-
trantur, Pompeium sibi ne uisenda quidem existimasse, duo sunt obseruanda. Vnum
est eâdem laude ornasse Q. Fratrem cum diceret, *præclarum est summo cũ Imperio fuisse
in Asia triennium, sic vt nullum te signum, nulla pictura, nullum vas, nulla vestis, nullum man-
cipium, nulla forma cuiusquam, nulla conditio pecuniæ (quibus rebus abundat ista Prouincia)
ab summa integritate continentiáque deduxerit*. Ex quo fit vt è contrario vtroque in loco
illos præstringat qui ex Asia & alijs Prouincijs istiusmodi ornamenta sustulissent. Id
quod Verri sæpè obijcit, ac Lucullo etiam obijcere licuit. Certè Pompeius hac de cau-
220 sa (id quod paulò ante dicere cœperam) auaritiæ Lucullum coram insimulare non
dubitauit. Tametsi, quoniam dum hanc Cicero haberet Orationem, Lucullus non
dum ad Vrbem redierat, necdum rapinæ apparebant, haud crediderim Ciceronem
interim in Luculli (quod tamen opinantur aliqui) rapinas spectasse: præsertim ve-
rò quia cum Lucullum laudandum suscepisset, turpe fuisset ex vno eodémque fon-
te vno eodémque tempore frigidam & calidam haurire. Alioquin verè signa, tabu-
las, vestes & cętera huiusmodi ornamenta, præter ingentem auri & argenti vim, ad-
duxit Lucullus ex Asia. Alterum & videri illud ipsum quoquo modo Pompeij lau-
dibus adiungi, quod de Scipione, etsi alio nomine, commemoratur: nimirum signa
& tabulas cæteráque huiusmodi ornamenta sibi ne visenda quidem putasse. Idem
enim sibi faciendum putauerat Scipio, qui Celtiberorum Regi Sponsam, cuius for-
ma vehementer celebrabatur, intactam restitui voluit, idémque de alijs fecit; ita vt ne
Val.Ma. l.8. c.3. in conspectum quidem suum adduci passus sit; ne quid scilicet de Virginitatis inte-
Flor.l.2. gritate delibasse saltem oculis videretur. Quanquam enim is temperatissimus sit
cap.6. qui quæ viderit opes & ornamenta præclara, (idémque dixerim de libidinis incita-
mentis) temperauerit, ac ne expetiuerit quidem, quin repudiauerit, cum obtinere il-
la posset, haud dubiè tamen eximia illi debetur laus qui non modò crimen sed crimi-
nis periculum declinarit. Libidinis enim & auaritiæ illecebras præstat declinare ac
deuitare. Interim verò libentiùs lego *Vnde illam tantam celeritatem, & tam incredibilem
221 cursum initum*, quàm *inuentum*, vt nonnulli: nam præterquam quod non propriè dica-
tur inuentus cursus, frigidè etiam non modò durè dicatur inuenta celeritas (si tamen
ad hanc quoque *inuentum* sit referendum) inire cursum proprijssimè dicatur. Neque
verò illud *vnde*, valet *ex quo loco*, quasi dicat ex quo loco incredibilem illum cursum
initum putatis? quod sine dubio præter rem diceretur; sed valet ex qua re, vel qua ar-
te & ratione, seu quibus præsidijs: nam vnde non modò ad locum, verùm etiam ad
res alias plurimas referri, satis constat. *Regem illum putabo*, inquit Cicero; *si habuerit
vnde tibi soluat*; quod est quo tibi soluat: & rursus, *quasi diuinarem illo extincto, fore vnde
discerem, neminem*: vbi *vnde* a quo valet. Sic, *Verbum vnde aliquis possit offendi*, idest *quo*.
Sic igitur in præsenti, *vnde*, inquit; hoc est quibus præsidiis, seu qua arte, *tam incredibi-
lem cursum initum putatis*? Et ideo pergit *non eximia vis remigum, non ars inaudita gubernan-
di*. Vt mirũ sit aliquos tam facilè *initum* damnare, atque *inuentum* mordicus retinere.

Sed his omissis, age dum, obsecro, quæ de Pompeii celeritate in hac vna eâdém-
que oratione passim prædicauit Cicero, colligamus, & cur tam sæpè ad eam redie-
rit, siue illam tantopere exaggerauerit, doceamus. Et quidem Celeritatem in Pom-

peio

peio iamdiu agnoscere ac celebrare cœpit. Etenim cum de bellica illius scientia egis-
set, iámque eiusdem Virtutẽ aggrederetur, celeritatem inter virtutes referebat Pri- pag. 172
mùm, Pompeii celeritatem in conficiendo extollens: hanc enim tantam in hoc vno
esse affirmabat, quanta ne in omnibus quidem reliquis Imperatoribus fuisset quos
aut videre aut audire licuisset. sed & paulò post celeritatem consilii laudauit in Pom-
peio; quasi verò animi quoque celeritatem quandam agnosceret ac spectaret, præter pag. 174.
externam illam, quam in negociis conficiendis obseruauerat. Quanquam ad eam
quæ in rebus gerendis, & conficiendis cernitur, celeritatem in Pompeio celebrandã
post paulò rediit cum clamaret, *Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam latè diuisum* pag. 186.
atque dispersum. quis vnquam arbitraretur aut ab omnibus Imperatoribus vno anno, aut omnibus
annis ab vno Imperatore, confici posse? Et huc etiam spectabat cum subiiceret, *Proh dij* pag. 194.
immortales, tanta re vnius hominis incredibilis ac diuina virtus, tam breui tempore lucem affer-
re reipublica potuit? Quibus commemoratis, *Atque hæc* (pergebat) *qua celeritate gesta*
sint, quamquam uidetis, tamen a me in dicenda prætereunda non sunt. Ita quidem de Pom-
peii celeritate in piratico bello conficiendo copiosè verba fecit: atque hunc veluti 222
campum magna cum Pompeii laude peragrauit. Quapropter *quis* (inquit) *unquam* pag. 195
aut obeundi negotij, aut consequendi quæstus studio, tam breui tempore, tot loca adire, tantas
cursus conficere potuit? quam celeriter Cn. Pompeio duce belli impetus nauigauit? Hæc & alia pag. 197
multa de Pompeij celeritate. Sed & inter præclarum veluti elogium videri illud de-
bet quo affirmauit Brundusio cum soluisset, vndequinquagesimo die totam ad Im-
perium Populi Rom. Ciliciam adiunxisse, mari vndique a prædonibus perpurgato.
Et hoc est quod Florus etiam acutè sanè & eleganter prodidit cum scriberet, *Quid*
priùs mirere in hac uictoria? uelocitatem? quòd XL. die parta est: an felicitatem? quòd ne una pag. 198.
quidem nauis amissa est: an perpetuitatem? quòd ampliùs piratæ non fuerunt. Vt propterea il-
lud non sine admiratione collegerit ad extremùm, *Ita tantum bellum, tam diuturnum,* pag. 200.
tam longè latéque dispersum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompeius ex-
trema hyeme apparauit, ineunte Vere suscepit, media æstate confecit. Hæc, inquam, sparsim
in hac oratione de Pompeii celeritate noster Cicero. Et tamen cum aliquanto post
eiusdem Pompeii celebraret temperantiam, ad eius celeritatem rediit, cuius origi-
nem, causam, vtilitates referebat sic differens, *Vnde illam tantam celeritatem, & tam in-*
credibilem cursum initum putatis? non enim illum eximia uis remigum aut ars inaudita quadam pag. 216.
gubernandi, aut uenti aliqui noui, tam celeriter in ultimas terras pertulerunt; sed hæ res, quæ cæ-
teros remorari solent, non retardarunt. Non auaritia ab instituto cursu ad prædam aliquam reuo-
cauit; non libido ad uoluptatem; non amœnitas ad delectationem; non nobilitas urbis ad cognitio-
nem; non denique labor ipse ad quietem. ita vt multus hac in re videri facilè possit, cum in
vna eâdémque oratione tam multa ac tam varijs in locis de eâdem re verba faciat:
præsertim verò quòd ab initio fatebatur huiuscemodi virtutem (si tamen virtutis no- 223
men non ei perperam tribuebat) vulgò notam fuisse. Sed fateamur id quod est. Si
quæ virtus est quæ in summo Imperatore præ cæteris requiratur, hæc in primis est
celeritas. Id quod Vegetius, hoc est vir rei militaris scientissimus, iudicauit: qui cele-
ritatem in re bellica reliquis virtutibus omnibus anteponendam esse literis prodidit.
Atque hac sanè ad summam Imperatoris laudem peruenit Alexander. itaque cum
ex eo quæreretur qua tandem ratione tam breui tempore tam longè ac latè domina- Veg. l. 4.
tum propagasset, ac totius ferè terrarum orbis Imperiũ sibi comparasset, μηδὲν ἀνα- cap. 31.
βαλλόμενος, (respondit) nihil inquam, cunctando ac differendo. ac præclarè: verè enim
festinatio in re bellica ad difficultates maximas superandas valet plurimum. atque
hac in primis arte tot victorias adeptus est Cæsar: qui sanè Alexandrum cum in aliis
multis tum in celeritate, & festinatione imitatus est. Iurè igitur eiusmodi virtutem
Cicero tantopere laudat in Pompeio atque iterum & tertiò exaggerat, cùm ea vel
maximè opus esset in Mithridatico bello, cui Pompeium vnum præfici optabat ac
suadebat. Neque verò vulgò notam hanc iudicauit virtutem, quasi verò vulgaris ha-
benda esset, sed potiùs quia illius necessitas in re bellica atque vtilitas omnibus per-
specta esset, ne mo de illius præstantia dubitaret. Nam quòd celeritatem virtutis no-
mine appellet præter Philosophorum morem, id sanè vel Oratoriæ dictioni largien-
dum est quæ, popularem sensum sermonémque sequitur, vel quia celeritas, quip-
pe quæ a fortitudine atque prudentia oritur, ad virtutem pertinere videatur:
Denique

Denique virtutis nomen vulgo ijs etiam corporis dotibus tribui sæpè solet, quibus mortales excellunt: ita ut saltatoriæ, gymnicæ, aliísque huiusmodi artibus exercitationibúsque tribuatur. Ita quidem nec temerè noster Author celeritatem dignat virtutis nomine, nec multus videri debet in re tam necessaria, sed accuratus, cum præsertim Pompeium celebraret, qui Alexandri celeritatem, & virtutem imitaretur, ac magni cognomentum quasi nouus Alexander adeptus esset. Sed ad pensum.

PARTICVLA CIV.

ITaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompeium sicut aliquem non ex hac vrbe missum, sed de cœlo delapsum, intuentur.



EXponit qualis in Cilicia & Asia haberetur Pompeius; quod tamen an tam verè pronunciarit, quàm amplificandi causa & vt seruiat Pompeij laudibus, non facilè constituerim. Verendum enim est ne adulatio hanc quoque famam disseminauerit de Pompeio, quam libenter
224 vsurpauerit Cicero. Certè de Catonibus (maiorem ac minorem intelligo) id planè siue fama siue adulatio peruulgauerat, è Cœlo videlicet delapsos esse. Adde quod hyperbolicum est hoc loquendi genus, nec insuetum sed vsitatum: vt enim eximium virum indicemus, hunc de Cœlo delapsum dicimus. Sic ad Q. Fratrem, *Græci sic te* (inquit) *viuentem intuebuntur, vt quendam ex annalium memoria, aut etiam è Cœlo diuinum hominem esse in Prouinciam delapsum putent.* Vbi tamen id sibi de Græcis pollicetur quòd diuturnæ seruituti assueti, facilè assentarentur. Ait verò *in his locis*, intelligens Ciliciam & Asiam; ita vt in his locis in præsentia valeat in illis locis.

PARTICVLA CV.

NVnc denique incipiunt credere, fuisse homines Romanos hac quondam abstinentia; quod iam nationibus exteris incredibile, ac falsò memoria proditum, videbatur.



CVm affirmare non dubitarit omnes Pompeium intueri quasi non ex Vrbe missum, sed de Cœlo delapsum, sine dubio sic laudauit Pompeium vt Vrbi tacitè detrahere visus sit. Sed ecce tibi, quasi seipsum corrigens, ait, Nunc denique credere illos cœpisse Romanos hac quondam fuisse abstinentia, quod iam incredibile videretur. Vbi tamen de more partim seruit veritati, quòd Curio, Fabritius, Paulus Aemylius, Scipio, Cato maior, aliíque nonnulli summa continentiæ laude celebrarentur; partim amplificationi seruit ac Pompeij laudi magis quàm veritati: nam per
225 ætates singulas multos offendas apud Romanos auaritiæ ac libidini mancipatos. Atque hîc etiam obseruandum est eas voces *nunc denique* valere nunc tandem aliquando; vt scilicet intelligamus setiùs quàm par erat id incœpisse credere, sed cœpisse tamen. Itaque appositè his vocibus vtimur cum aliquid fieri significamus quod faciendum quoque fuisset antea.

PARTICVLA CVI.

NVnc Imperij nostri splendor, illis gentibus lucet: nunc intelligunt non sine causa maiores suos tum, cum hac temperantia Magistratus habeamus, seruire Populo Rom. quàm imperare alijs maluisse.


D quoque ad hyperbolem pertinet, nec iam veritati tribuitur quàm Pompeii laudibus. Etenim fieri quidem potest vt Rom. Imperii splendor apud gentes illas eluceret (quanquam non omnibus fortasse suauis accideret calux: quid enim Cretensibus verbi gratia suauis acciderit quibus contigerat vt libertatem amisissent?) sed vt earum Maiores seruire Populo Rom. maluerint, quàm alijs imperare, id vero hyperbolicum est totum. Denique concesserim aliquos inuentos, qui, ne seruirent Barbaris, se se Romanis subiecerint: crediderim etiam aliquos ad Populi Rom. fidem confugisse, qui alioquin regioni alicui aut Vrbi imperarent (id quod Græcis accidit multis vt se tutos præstarent ab hostibus) sed vt seruire maluerint quàm imperare, non facilè crediderim. Itaque nisi eos intelligat Cicero qui non modò Populi Rom. fidem, etsi alioquin in Vrbe ac regione aliqua dominarentur; atque auxilium implorassent, vel etiam fœderati & Vrbe donati essent, atque hos Populo Rom. seruire maluisse dicat, non satis video cur id iure omnino affirmetur. Dum verò ait, *cum hac temperantia Magistratus habeamus*, intuens in Pompeium, nil mirum si de Pompeio perinde loquitur ac si Magistratum gessisset dum Piraticum bellum administrasset: nam licet Imperatoria potestas per se inter Magistratus haud numeretur, nec Prouincia, vnde etiam Magistratus existit, Pompeio obtigisset triennio antea cum Consulatum deponeret, nec deinde Gabinia lege plurimæ illæ Prouinciæ qua decretæ illi memorentur, Proconsulis aut Prætoris nomine, decretæ dicantur, sed Imperatoris Proconsul enim, Prætor aut Proprætor haud dubiè inter Magistratus numerabatur) veruntamen cum per se verisimile est Proconsulis dignitatem cum Pompeij Imperio fuisse aliquo modo coniunctam, tum hoc ipsum Dionis verba illa persuadent quæ in trigesimi sexti libri fragmento post Catuli concionem leguntur, & sunt eiusmodi. *Et in Italia Proconsule, decreuerunt ei etiam legatos quindecim*. 216
Ita vt coniectare satis liceat Proconsulem quoque acceptæ prouinciæ, vt parerat, & nos habebat, Proconsulem, dictum esse. Certè cum in Hispaniam missus est Imperator, Proconsulis nomine missus est. Adde quod in præsens Manilius Prouincias Pompeio decernebat plurimas; ita vt si fortè Proconsulis nomen illi deesset, authoritas certè ac dignitas non deesset. Ex quo fit vt Cicero magistratus nomen Pompeii potestati attribuat authoritatem saltem spectans. Quanquam illud etiam suspicetur quispiam, M. Tullium hîc non tam de Pompeio, quasi Proconsul aut Proprætor esset, loqui, quàm de Populi Rom. Magistratibus: de quibus, quoniam ea temperantia esse consueuissent, quam nunc Pompeii, etsi nunc Imperatoris veriùs quàm Proconsulis aut Proprætoris, exemplum persuadebat; ait, *cum hac temperantia Magistratus habeamus*. Quod tamen vt non magnopere improbo, ita non tutissimum dixerim, quòd Dionis locus, quantumuis lacerus, intelligi haud possit nisi fateamur Pompeium Italiæ Proconsulem appellatum, quo etiam fieret vt ea Ciceronis verba *cum hac temperantia Magistratus habeamus*, in illud tempus cadere possent ob Pompeii Magistratum, cum alioquin minùs commodè, ne dicam ineptè, pronuncientur.

PAR-

PARTICVLA CVII.

Iam verò ita faciles aditus ad eum priuatorum, ita liberè querimoniæ de aliorum iniurijs esse dicuntur; vt is qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis esse videatur.



Vod de facilitate hîc dicat, cum fidem proposuisset priùs, haud mirũ: præstat enim artificium interdum dissimulare, præsertim in rebus nõ necessarijs. Itaque sat fit paulò post de fide etiam verba fecisse: nam vtram priùs laudes, refert nihil. Ergo M. Tullius requirebat in summo Imperatore facilitatem. Et iutè: hinc enim fit vt cum Princeps & Imperator suis Ciuibus aut militibus præsto sit, ac sui illis copiam faciat, eósque patienter audiat, & negocia expediat; eorum fidem ac beneuolentiam promereatur. Et hac quidem virtute celebratur C. Cæsar; hac sibi comparauit conseruauítque militum voluntatem ac studium, quod etiam transmisit Augusto. Contra verò Lucullus, cum se difficilem præberet militibus, offendit; ita vt ab iis contemptus ac tandem derelictus sit. At enim quâ planè in re posita est facilitas? Impera-
227 toris ac Principis facilitas in eo vel maximè posita est, vt facilem aditum præbeat suis Ciuibus aut militibus: nec facilem ijs ad se accessum atque aditum permittat solùm, sed eos patienter attentéque audiat, atque illorum querimonias non ægrè sustineat. Facilè enim contingere potest vt ij a Principis administris, a potentibus, a diuitibus, ab hostibus, premantur; ac summatim aliquid incommodi patiantur: vnde Principis opem implorare cogantur. Pateat igitur ijs aditus, dum eius fidem implorant, & æquitatem, iustitiam, patrocinium, auxiliúmque requirunt: excipiantur horum querimoniæ, vt ijsdem consulere liceat. Atque hinc sibi facilitatis laudem parauerit Princeps. Neque enim inde paratur huiusmodi virtus aut fama quòd facilè excipiantur scurræ vel adulatores, vel mimi ac nebulones: hos enim excipere intemperantis est: negociosos contra, oppressos, calamitosos, prudentis & comis. Hanc verò virtutem esse Principi pernecessariam inde etiam constat quòd Regnum aut Respublica sine hac virtute vix ac ne vix quidem administrari possit. Fac enim Princeps se ita difficilem præbeat, vt vel aditum ad se non permittat populis; vel si permittat, eorum querimonias grauatè sustineat, aut negocia non expediat, profectò breui negociorum cumulus ac moles in immensum ferè augebitur. ita fiet vt deinde, ne si velit quidem, expedire illa possit, vel præcipiti consilio ac iudicio, non sine magno sui suorúmque malo, expediat: ex quo etiam inuidiam subeat & apud Populos offendat necesse est. Contra verò vbi facilem se præbeat, ac negocijs occurrat, maturè, & audire & consulere & expedire licebit ac Po-
228 pulis Regnóque prospicere. Cupis negocia commodè ac fœliciter expedire? negocijs alacriter occurras: nec te ijs tanquam fluctibus obrui sinas: sed vltrò cum illis congredere vt profligentur. Huc accedit quòd (vt Plutarchus acutè monet) nulla re magis indiget Princeps quàm qui veritatem illi aperiat. Facilitate igitur huic occurrat incommodo, aditum ad se ijs facillimè concedens qui eius implorant fidem; excipiat, audiat, sciscitetur: sic veritatem percipiet, prouidebítque opportunè. Et
Vide 1. *de Off.* hac de causa facilitatem suadet Cicero Q. Fratri: eandémque in multis celebrat passim. Atque hanc facilitatem in Pompeio extollit hoc tempore. At enim quid tandem de ea commemorat? pauca, sed grauissima & pernecessaria: nimirum ita faciles ad eum fuisse aditus priuatorum (atque hinc intelligitur quorsum facilitatem requirat in Imperatore) ac liberas de aliorum iniurijs querimonias, vt is qui dignitate principibus excelleret, facilitate par infimis esse videretur. Vbi Pompeii facilitatem eò peruenisse indicat vt nulla excogitari posset maior. Neque verò est verendum ne huiusmodi facilitas contemptum pariat (hinc enim excusationem obtendunt aliqui) aut minuat authoritatem. Nam id verendum quidem est ijs qui te-

merè id faciant, ociosis non negociosis accessum ad se concedentes: sed iis qui cæteris præsint ac negocij causa aditum præbent, nullo modo. Quapropter liceat contemptum ex facilitate iis timere qui in omnem veluti scenam prosiliunt, ac temerè 229
se se immiscent omnibus; iis enim facilitas ad contemptum est lubrica & procliuis; publicis hominibus qui aliorum oculis ac linguæ seruire debent, honorem auget ac dignitatem. Dum verò principes vocat eos quos opponit infimis, satis intelligitur primarios viros intelligere seu præcipuos: atque horum princeps dicitur Pompeius quòd inter hos virtute & authoritate excelleret. Qua etiam de causa in Epistola quadam ad Atticum Epicrates appellatur, quòd scilicet in Republica teneret principatum. Sic in Oratione pro domo sua illum Ciuitatis longè Principem vocat: etsi in Senatu is Princeps dicebatur qui primus sententiam rogaretur. Quòd si iis qui in cæteris mortalibus obtinent dominatum, præcipua quadam ratione tributum legimus principis nomen apud Latinos, serius id, perinde atque Imperatoris nomen, illis attributum nihil est quod dubitemus. Vt enim Imperatoris nomen ab eo qui ad certum tempus exercitui regendo præficeretur, ad eos est deuolutum qui Romani Imperij dominatum occupassent vel obtinerent, sic Principis nomen, quod viro in aliqua re primario propriè tribueretur, ad cæterorum dominos, cuiusmodi sunt Reges aut Dynastæ præcipui, relatum est.

PARTICVLA CVIII.

Iam quantum consilio, quantum dicendi grauitate, & copia valeat, in quo ipso inest quædam dignitas imperatoria: vos, Quirites, hoc ipso in loco sæpè cognostis.



Vorsum, dicat aliquis, consilium hîc celebrat in Pompeio, quod inter Virtutis comites & administras de quibus hîc disputat, haud retulit? Quin etiam consilium iam antea inter virtutes enumerauerat, quas iamdiu in Pompeio celebrauit; ita vt illud iterare superuacaneum omnino sit. Huc accedit quòd eloquentiam nusquam in Imperatore flagitauit, quin ne verbum quidem de illa fecit: cur igitur hanc quoque in Pompeio celebrat in præsentia? quas enim in Imperatore virtutes seu Virtutis comites percensuerat, has vnas hîc in Pompeio laudari compertum est. Denique innocentiam, temperantiam, fidem, facilitatem, ingenium, humanitatem requirebat in Imperatore: atque hæc, *Qualia sint in Pompeio consideremus*, subijciebat è vestigio: consilium igitur & eloquentiam temerè atque alieno attingit loco. Etsi enim non inficior hæc duo in Imperatore valere plurimum, fateórque iure Ciceronem affirmasse hinc dignitatem quandam Imperatoriam elucere, quin profiteor hac de causa a Xenophonte Cyrum eloquentia quoque ornari, Alcibiadem etiam, Periclem C. Cæsarem apud nostros, Pompeium ipsum hac Imperatoriam dignitatem maiestatémque auxisse; cur tamen affirmem hîc non alieno tempore atque adeò præposterè in Pompeio celebrari, non satis habeo. Ego verò fateor M. Tullium in priore virtutum ordine consilium retulisse ac de illo egisse: sed tamen ibi consilium in prouidendo tantùm introduxit; cum scilicet consilium in prouidendo, celeritatem in conficiendo, in Imperatore flagitaret; ea nimirum spectans quæ vulgo a militibus requiruntur in Imperatore. Nunc, quoniam eas virtutes siue Imperatoris dotes percurrit atque æstimat, quæ vulgo ac militibus minùs apertæ sunt & cognitæ, aut minùs rei militari necessariæ iudicantur, ac propterea ingenii quoque seu mentis & intelligentiæ virtutes dotésque in eo exigit qui 231
summus Imperator habendus sit atque perfectus, ingenium commemorauit; cuius nomine consilium (id quod in præsens declarat) vniuersim, simúlque eloquentiam, planè intelligit: consilium inquam, hoc est eam quæ in agendo & exer-

citu

citu aut Republica gubernanda requiritur sapientia, & vno verbo prudentia: verè enim in ingenio residet ac mente: eloquentiam verò quæ est consilij ac prudentiæ administra: si quidem eloquentia nihil est aliud quàm copiosè loquens sapientia, quæ item in ingenio ac mente in primis sita est: verè enim celeres quosdam ingenij motus requirit eloquentia vt ea excogitemus quæ ad fidem valent faciendam. Etsi enim vsu & exercitatione mirificè excolitur ac perficitur eloquentia, ingenio tamen quasi fundamento magnopere indiget; ita vt Natura quæ nobis suppeditat ingenium, præcipuas obtineat partes in eloquentia: vbi enim Natura Oratori non Mater
232 sit sed Nouerca, vix ac ne vix quidem vsu & exercitatione ad mediocritatem perueniat, tantum abest vt perfectus euadat. Quod si passim illud vsurpatur, Poëtæ nascuntur, Oratores fiunt; id eò spectat vt intelligamus in Poëta multò maximam Naturæ bonitatem ac veluti fœlicitatem requirere: cum enim perfectus Poëta vniuersa ferè indigeat rerum cognitione vt pro dignitate canat (id quod in Epico ac Latino in primis Poëta cernitur in quo omnium doctrinarum alucent lumina) multis ac magnis Naturæ seu ingenij præsidijs indiget quibus se se attollere possit animo & quicquid conatur effingere. Quod tamen non prohibet quominus eloquentia quoque Naturæ præsidia & opes easque copiosas exigat vt quis perfectus euadat Orator. Itaque licet conceptis verbis in posteriore illarum virtutum ordine consilij, seu prudentiæ & eloquentiæ, mentionem haud fecerit, fecit tamen ingenij nomine, idque statim post facilitatis mentionem. Et idcirco iam, cum de facilitate egerit, & qualis quantáque in Pompeio facilitas sit, ostenderit, addit è vestigiò, *Iam quantum consilio, quantum dicendi grauitate & copia valeat, in quo ipso inest quadam dignitas Imperatoria; vos Quirites hoc ipso in loco sæpè cognostis.* Atque hæc sanè hoc ipso in loco, ex Rostris scilicet, Populo Romano perspecta fuisse ait, quia si consilium spectemus, sæpè illius iudicium ac sententiam audierat cum Princeps in Republica haberetur: atque in eadem sententia dicenda eiusdem eloquentia atque orationis copia cognita est. Neque verò hîc solùm Pompeij grauitas in dicendo & copia celebratur a M. Tullio, sed alibi sæpè, *Quæ fuerit* (inquit in Corneliana) *externo die Cn. Pompeij grauitas in dicendo, Iudices; quæ facultas, quæ copia, non opinione tacita vestrorum animorum, sed perspicua admiratione, declarari videbatur.* Sed & in Oratione post reditum ad Quirites mirum est quàm egregiè Pompeii commendet eloquentiam. Quanquam prætermit-
233 tendum non est quod de illa scribit in epistola quadam ad Lentulum, *Nam cum in sermone quotidiano* (inquit) *tum in Senatu palam sic egit causam tuam, vt neque eloquentia maiore quisquam, nec grauitate, nec studio, nec contentione agere potuerit.* Quin etiam Pompeii oratio Alicarnasseo Dionysio, hoc est viro disertissimo, probata est vehementer. Imo verò omnino crediderim Pompeium græcè optimè nouisse, ita vt ex Græcis quoque hauserit eloquentiam. Nec fortasse abhorret a veritate græcè etiam & eleganter scripsisse: quam enim ad ipsum Dionysium, hoc est græcum hominem, scripsit epistolam, hanc latinè exaratam, vix credi potest: quandoquidem eo tempore Dionysius, qui tamen eam epistolam laudat, nondum latinè didicerat, sed multò post didicit; cum scilicet Romam venisset; ac de Romana Historia scribenda cogitare cœpisset: quod contigit post Ciuile bellum, ac ferè incidit in Augusti tempus.

Dion. p. 6. to. 1.

PARTICVLA CIX.

FIdem verò eius inter socios quantam existimari putatis, quam hostes omnium gentium sanctissimam esse iudicarint?



Idem insuper requirebat noster Author in summo Imperatore: quam item affirmabat summam esse in Pompeio. Nunc igitur id confirmat, eam ex hostium ipsorum testificatione extollens. At enim quid planè fidei nomine intelligit in præsentia? aut quam esse illius vim & naturam dixeris? Age dum igitur de ea aliquid dicamus; ita tamen vt hic non ex Theologorum penetralibus sed ex Philosophis, maximè verò ex Cicerone hauriamus. Fides (inquit M. Tullius) inde appellata est quia fiat quod dictum est. Et hac de causa eam definiuit dictorum conuentorúmque constantiam; quod scilicet in eo sit posita vt dicta & conuenta constanter obserues ac tuearis: & idcirco qui conuentis ac dictis satisfecerit, hunc fidem liberasse suam affirmamus. Quanquam obseruandum dicta & conuenta interdum iureiurando sanciri: 234
interdum citra iusiurandum obstringi, idque siue verbis siue scripto, aut etiam publica priuatáue testificatione. Et quamuis ea quæ iureiurando obstringitur fides, maius momentum habet ac pondus, cum religiosiùs confirmetur, haud tamen inficiandum est citra iusiurandum quoque suum habere pondus, idque etiam si cum hostibus agas; oritur enim eius vis ex humanitatis & naturæ veluti fonte vt cōmercium inter homines sit tutum, atque adeò iustitia, cuius fundamentum fides est, cōseruetur. Illud tamen cauendum ne iniustis pollicitationibus fidem misceamus: tantum enim abest vt quod des fieri oporteat, ac dicta conuentaque sint seruanda, vt iniquum sit eiusmodi fidem, etiam si iusiurandi sacramentum fuerit interpositum, præstare ac tueri. itaque stultè apud Tragicos videas ab ijs mactari filios qui iureiurando id se facturos vouissent; quemadmodum inconsultò etiam illud dictitarur, si violandum est ius, regnandi causa violandum: mallem enim dixissent ne regnandi quidem causa fidem aut ius violandum. Contra tamen vbi citra iustitiæ offensionem seruari potest, omnino seruanda est, atque hostibus etiam, vt dicebam. Quare Carolus Magnus sæpè illud in ore habebat, Victoriæ fidem longè anteponendā esse. Atque hac sanè inter Romanos Scipio & Regulus & alij multi claruerunt: ab heroicis enim vsque temporibus didicerant Fidem sanctè ac religiosè colendam esse. Quocirca Numa huic templum dicauerat, eidémque sacrificari iusserat. Et huc etiā pertinet quòd eius simulacrum candido operirent velo. Quare, *Et albo, Rara fides* 235
colitur velata panno; inquit Flaccus. Contra verò perfidiæ nomine Imperatores laborarunt multi, ita ut inde infamiam cōtraxerint maximam: inter quos tamen princeps fuit Annibal, qui propterea perfidus a Flacco atque alijs appellatur passim. Liuius etiam, *Nulla* (inquit) *apud eum fides, nihil sanctum, nullum iusiurandum.* Atque huc, opinor, spectauit Virgilius cum Didonem induxit posteritatem sic deprecantem.

Hæc precor: hanc vocem extremam cum sanguine fundo.
Tum vos o Tyrij, stirpem & genus omne futurum
Exercete odijs, cinerique hæc mittite nostro
Munera: nullus amor populis, nec fœdera sunto.
Exoriare aliquis nostris ex ossibus vltor,
Qui face Dardanios ferróque sequare colonos.
Nunc, olim, quocunque dabunt se tempore vires,
Littora littoribus contraria, fluctibus vndas
Imprecor, arma armis; pugnent ipsique nepotes.

Crediderim enim illis vocibus *exoriare aliquis*, Annibalem indicasse qui fidifragus semper fuit ac fœdera violauit. Etsi enim amicitia perpetuò colenda est odium & inimicitia, ne iurata quidem, conseruanda; Annibal tamen & puer ad aram iurauit se perpetuum Romani nominis futurum hostem, quod nefas erat; & perpetuò, etiam fœdere

fœdere violato, seruauit, quod fuit flagitiosius. Itaque virtutes militares quæ in illo & multæ fuerunt & maximæ, fœdauit turpissimè. Contra noster Pompeius, cæteras imperatorias virtutes fide etiam illustrauit egregiè. Nam, vt ad Ciceronem redeam; ideo commendatur, quòd cum eius fides apud hostes prædicaretur ac tutissima & sanctissima iudicaretur, iam compertum esset inter socios eam coluisse semper. Ait
236 autem M. Tullius hostes omnium gentium sanctissimam iudicasse Pompeij fidem, Piratas intelligens, qui deditione facta, Pompeij fidem experti erant maximam, itaut eam mirificè prædicarent. Vt autem supra, *eo* (inquit) *bello*; piratico nimirum; *omnes gentes ac nationes premebantur*, ita hoc in loco hostes omnium gentium Piratas vocat: tametsi dignitatis causa de more Piratarum reticet nomen: &, vt Pompeij augeat dignitatem, hostes omnium gentium illos appellat. Hæc de fide.

PARTICVLA CX.

***H**Vmanitate iam tanta est, vt difficile dictu sit vtrum hostes magis virtutem eius pugnantes timuerint, an mansuetudinem victi dilexerint.*



Postremo loco humanitatem flagitauerat in Imperatore: quam etiam in Pompeio commonstrandam receperat. Id igitur facit hoc tempore. Verùm quid si quis requirat quæ sit vis humanitatis, quid a facilitate differat quam paulò ante in Pompeio tantopere laudauit, quæ denique virtus & qualis sit humanitas? Ego verò sic statuo; Græcos commodiùs humanitatem quàm Latinos exprimere, dum notionem huic voci subiectam, φιλανθρωπίας, appellant, hoc est amorem ac benignitatem erga homines. Ex quo etiam fit vt multò latiùs pateat φιλανθρωπία quàm facilitas. Inde verò apud Latinos crediderim inuenisse nomē, quòd nos tum a belluis distinguat, tum a barbaris, quibus tribuitur inhumanitas. Denique verè quidem dicitur sermone ho-
237 minem distingui a belluis, quæ propterea mutæ animantes dicuntur: verè etiam effertur sermonis elegantia ac dicendi virtute virum disertum a cæteris hominibus seiugari. Sed tamen illud quoque verissimè affirmatur, humanitatem, quoniam amorem ac benignitatem erga homines refert, nos & a belluis, & a Barbaris qui inhumani esse solent, segregare. Et hinc est vt fœliciter Latini tum φιλανθρωπίαν tum παιδείαν humanitatis nomine complectantur: φιλανθρωπίαν, vt diximus; quòd qui benignitatem erga homines ostendunt, ij iure optimo humani dicendi sint: quandoquidem non nobis solùm nati sumus, sed ortus nostri partem patria vendicat, partem amici. Denique iurè illud propter humanitatem celebratur, homo homini deus: verè enim hac maximè ad Dei, qui benignitate præstat, naturam accedimus. παιδείαν verò seu eruditionem, ac liberalium disciplinarum ingenuarúmque artium cognitionē, quia hæ in primis nos barbarie exuunt omni & humanos reddunt: ita ut hinc & a Barbaris & a belluis seiungamur. Hac igitur celebratur Pompeius: idque eò magis quòd hostes eius mansuetudinem victi dilexerint, non secus ac pugnando eiusdem virtutem experti timuerint. Vbi videtur M. Tullius mansuetudinis nomine humanitatem describere aut designare, quòd & mansuetudinem requirat φιλανθρωπία & humanitas; & verò liberales disciplinæ (id quod ad παιδείαν pertinet) mansuetum reddant hominem, ita vt iurè mansuetiores Musæ & literæ appellentur. Atque hîc quidem nemo non videt quàm eleganter ac scitè affirmet, difficile dictu esse num hostes
238 Populi Rom. Pompeii virtutem pugnantes magis timuerint, an mansuetudinem victi dilexerint. Nam præterquamquod oppositis bellè ludit, summas esse Pompeii virtutes indicat omnes, cum vtra maior sit statuere haud liceat. Iam verò illud prætereundum non est hoc in loco, quod ad Pompeii cum virtutes multas tum fidem & humanitatem declarandum scribit Dio: *Magnam* (inquit) *erga dedentes se se humanitatem*
p. 12. p. *ostendit, qua plurimos sibi conciliauit, vt enim superati, postquam eius bonitatem senserunt, promptissimè se vnusquisque eius fidei permisit. Ipse cum cæteris in rebus eis prospexit, tum ne denuò paupertas eos ad flagitia impelleret, agros eis, quos desertos videbat, colendos, habitandáque Vrbes colonis indigentes tradidit: itaque & alia vrbes habitari cœpta sunt, & quam Pompeiopolim nominant, Solis prius dicta sita in Cilicia ora, quam Tigranes ante vastauerat*. Pergit.

PAR-

PARTICVLA CXI.

ET quisquam dubitabit, quin huic tantum bellum hoc transmittendum sit, qui ad omnia vestræ memoriæ bella conficienda, diuino quodam consilio natus esse videatur?



INcrepat eos qui dubitarent num hoc bellum Pompeio esset demandandum: tantum abest vt eos sustineat qui omnino repugnarent. Quanquam videri possit M. Tullius hoc dicendi genere vti; *Et quisquam dubitabit*, quod significet nullo modo esse dubitandum, quin non posse nisi temerè hac de re dubitari, aût mirum esse quenquam reperiri qui hac de re dubitaret. Atque hîc sanè, quoniam iam Lucullum omni exemit inuidia; bellum rursus, graue, magnum & periculosum esse significat (id enim valet *tantum bellum hoc*) vt vni Pompeio, in quo interim docet summa esse omnia, committeretur. Nam si quis illud *tantùm* in aduerbii loco habeat, ac magnitudinem indicare neget, is præterquam quod nil ferè de belli magnitudine minuat; me quidem dissentiente, quin loci ipsius vi repugnante, negauerit. Diuino autem consilio Pompeium ad Populi Rom. bella conficienda natum dici, citra hyperbolem dici ac tutiùs quàm de Cœlo delapsum (etsi id quoque Oratori nostro concedendum) nemo non videt: præsertim quia ad omnia eius memoriæ tantùm ac temporis bella, idque diuino quodam consilio natum ait, quod non facilè a ratione dissentit. Adde quod non tam id constanter affirmat quàm videri posse significat. 239
Vox enim *videatur* non eo consilio pronunciatur vt intelligamus quasi oculis cerni aut certò intelligi, sed vt opinione seu coniectura quadam informari, ac probabiliter censeri posse existimemus.

PARTICVLA CXII.

ET quoniam authoritas multum quoque in bellis administrandis, atque imperio militari valet: certè nemini dubium est, quin ea in re ille idem imperator plurimum possit.

III. *DE AVTHORITATE.*



DE Authoritate iam verba facit, vt quemadmodum tertio loco eam in Imperatore flagitauit, sic tertio loco eandem in Pompeio commonstret ac celebret. A thesi verò initium ducit, vniuersim, authoritatis vsum ac momentum atque adeò necessitatem ostendens in Imperatore, præsertim summo: atque hinc ad hypothesim progreditur, in Pompeio qualis & quanta sit, demonstrans. quod dum ostēdit, caue putes M. Tullium vsurpare authoritatem pro ea facultate vel potiùs pro ea potestate quæ cuipiam ad aliquid gerendum tribuitur: non hanc enim intelligit in præsentia, sed existimationem seu famam quam sibi peperit aliquis, aut nobilem quā de se apud alios concitauit opinionem. Principiò igitur affirmat huiusmodi authoritatem multum quoque valere in bellis administrandis atque Imperio militari. Vbi vnum tacitè arripit tanquam certum, alterum docet: docet in bello administrando atque imperio militari multum valere authoritatem: arripit ac sumit valere multū in aliis quoque rebus. Et rectè. Nemo enim non facilè intelligit hanc ad Regni aut Reipublicæ administrationem magnopere conferre: hanc familiæ, naui, cuicunque 240
denique vniuersitati atque hominum cætui regendo valere plurimum: ita vt in rebus gerendis authoritas ac bona illius qui præest existimatio publicè priuatímque momentum habeat magnum. Id quod in bello vel maximè cernitur, in quo ad exercitum regendum, victoriámque consequendam, opem authoritas afferre solet maximam. Atque hinc est vt ei qui authoritate præstet, milites præfidant obtemperéntque

que libentiùs: hostes contra magnos spiritus haud sumant, interdum etiam pertimescant. Denique experientia ipsa docet passim authoritatem domi forísque in rebus omnibus conferre plurimũ, ita vt necessaria videri possit: præsertim verò quòd è contrario, vbi authoritas nutet, res facilè perturbantur ac præposterè geruntur. Iurè igitur hanc tum in rebus alijs tum in rei bellicæ administratione requirit ac militari imperio. Atque hinc sanè est vt Reges & Imperatores multi eam commentitiis quoque rebus sibi niterentur adiungere. Sic Minos, congressum simulans cum Ioue: sic Numa cum Aegeria Nympha: sic Sertorius (vt de Imperatoribus dicam) cum Diana: ab hac enim per ceruam quæ illi assisteret in tabernaculo, se admoneri dictitabat; nuncios & exploratores quibus ad res occultè peruestigandas vtebatur, callidè occultans ac celans. Neque verò ab hoc astu absuit Africanus; hic enim cum quotidie in Capitolium ascenderet, & in templo remotis arbitris degeret, in eam opinionem adduxit vulgus vt crederet Africanum clam diuinitus admoneri, & res abdi-
241 tas arcanásque doceri. Atque eodem consilio eadémque calliditate prisci mortales familiæ gentium, Vrbiúmque origines in Iouem, Herculem, aliósque Deos referebant: vt scilicet sibi suísque rebus authoritatem & existimationem compararent ac dignitatem augerent. Quanquam Imperatoris authoritas eò solidior est quo magis diuturna experientia, rebus præclarè gestis, fœlicitate denique perspectáque virtute præstat. Sed de authoritatis vi in Imperatore vberiùs paulò post. Nunc ad Ciceronem redeo, qui subdit nemini dubium esse quin ille idem Imperator (ille inquam quem hactenus militari scientia & virtute excellere ostendit, Pompeius) plurimum possit. At enim quid si quis interim ægrè hanc authoritati laudem concedat? Ergo vt rem confirmet, sic pergit.

PARTICVLA CXIII.

VEhementer autem pertinere ad bella administranda, quid hostes quid socij de imperatoribus vestris existiment, quis ignorat? cum sciamus homines in tantis rebus, vt aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament: opinione non minùs fama, quàm aliqua certa ratione, commoueri.



Vthoritatis vim ac pondus æstimat, vt ostendat Imperatori conferre plurimum. Cum igitur authoritas posita sit in præclara existimatione quam de aliquo cæteri habent, nemini dubium esse potest quin in re bellica plurimum referat militaris virtutis existimationem siue opinionem ac famã collegisse, idque siue hostes velis, siue socios ac tuos. Cum enim in bellicis rebus mortales vehementer commoueantur, ac
242 propterea metuant, contemnant, oderint, ament, fit sanè vt qui optimam de se opinionem ac famam concitauerit Imperator, is ab hostibus timeatur, a suis diligatur: denique illis formidolosus euadit, ita vt sæpè despõdeant animum, aut minuant quæ in milite requiritur audaciam: ijs carus est, itaut illi fidem adiungant facilè, & operã impendant strenuè. Id quod passim ex Historiarum monumentis clariùs agnoscere licet quàm vt mihi exemplis agendum sit. Tantum dicam sæpè factum esse vt exiguæ militum copiæ ob Imperatoris existimationem de maximis exercitibus victoriã reportarint. Id quod passim in Alexandro apud Græcos, in Sertorio, Cæsare, apud Latinos, obseruare quisque potest. Quanquam de Africani authoritate illud commemorare lubet quo mirificè admonemur quanti momenti sit Imperatoris authoritas in re bellica. Mittendus erat in Asiam Imperator aduersus Antiochum Regem opulentissimum qui que apud se habebat Annibalem: cúmque L. Scipio & C. Lælius Consulatum administrarent, ac propterea alter è Consulibus de more mittendus esset, Senatus vniuersim in Lælium quippe qui sub Africano maiore multa bella gesserat, inclinabat, iámque de illo deligendo cogitabat: cum Africanus qui aderat assurgens se cum fratre Legatum iturum dixit si ei Prouinciam decerneret. Tum Senatus tanti viri authoritate permotus, continuò L. Scipionem Imperatorem renunciauit.

PAR-

PARTICVLA CXIV.

QVod igitur nomen vnquam in orbe terrarum clarius fuit? cuius res gesta pares? de quo homine vos, id quod maximè facit authoritatem, tanta & tam præclara iudicia fecistis?



AD hypothesim descendit, & quam bono Imperatori necessariam authoritatem docuit, hanc in Pompeio mirificè ac supra quam in cæteris omnibus enitere ostendit. Ob id igitur statuit nullius Imperatoris nomen vnquam in Terrarum orbe fuisse clarius: nullius res gestas pares: ac propterea factum esse vt ipse Populus Rom. præclatè iudicia, vnde etiam authoritas redditur maxima, de illo fecerit. 243 An autem dum hoc tempore talem ac tantam tribuit Pompeio authoritatem, sic seruiat veritati, vt non rem augeat, & hyperbolicè fortasse augeat, ex iis constare potest quæ de illius virtute diximus dum non dissimilis se se obijceret dubitatio. Denique facile est Athenienses laudare Athenis: id quod eò etiam facilius fuit M.Tullio, quòd recens erat victoria quam de Piratis retulerat, quæ sine dubio fuerat maxima, atque oras ferè omnes compleuerat.

Atque hîc quidem ne pigeat obseruare M.Tullium pro inferiore hoc mundo Orbem terrarum (vt hoc in loco) aut orbem terræ, semper dicere; orbem, quemadmodum licenter aliqui, nunquam. Nam reuera orbis, nisi aliud addas, significat circulum, non mundum. Eodem modo res gestas dicit passim, gesta vix vnquam. Itaque gestis pro rebus gestis, orbe pro mundo in Poësi vsurpare licet, in soluta oratione, si elegantiam adames, non impuros authores secteris, non licet. Sed & dum ait *de quo homine*, Pompeium intelligens, non ab re obserues, honorificè etiam non rarò hominis nomen perinde ac viri vsurpari. Etsi enim homo vel quia fœminam etiam designat & comprehendit, vel quia nos a belluis seiungit, vel quia nostræ nos admonet mortalitatis, viri nomen censetur dignius; hîc tamen pro viro & magna cum dignitate vsurpatur. Quare quemadmodum supra dixit M. Tullius *a L.Lucullo summo viro*, & infra *vnum virum in quo summa sunt omnia*, Pompeium intelligens, 244 ac rursus, *vtinam virorum fortium copiam tantam haberetis*, quæ omnia dignitatem habent; sic dicit, *Quis hoc homine scientior?* & hîc, *de hoc homine tanta & tam præclara iudicia fecistis*. Scio tacitè interdum virum dignitatis causa homini opponi; id quod eleganter fecit Terentius cum diceret *virum te iudico*, & M.Tullius, *tuli dolorem vt vir*: & rursus, *virum cum veneris, te putabo: si Empedoclea legeris, hominem non putabo*. Sed tamen in bonam quoque partem vsurpatur homo & cum dignitate, non incômodè.

PARTICVLA CXV.

AN verò vsquam vllam esse oram tam desertam putatis, quo non illius diei fama peruaserit: cum vniuersus Populus Romanus referto foro, repletisque omnibus templis, ex quibus hic locus conspici potest, vnum sibi ad commune omnium gentium bellum Cn. Pompeium imperatorem depoposcit?



PRæclarum fuerat Populi Rom. iudicium Pompeii authoritati celebrandæ retulisse: sed tamen ad Pompeii authoritatem & gloriam illud etiam pertinebat, vt tanta ac tam egregia quæ commemorauerat iudicia, non sicco pede & quasi præteriens indicaret, sed attingeret plenius: præsertim verò quia cum sæpè honorificum de Pompeio iudicium fecisset Populus Rom. (sæpè enim illum delegerat, & cum Imperio in Prouincias miserat) par erat vt si quæ sigillatim ac maximè omnium iudicia intelligeret in præsentia, ea declararet. Itaque fatetur se illius diei factû intelli-

245 intelligere, quo nauali bello de quo diximus, delectus ac propositus est Imperator. quod sanè factum mirificè exornat. negat enim oram vllam esse tam desertam ad quam illius diei non peruenerit fama. & huc pertinet quod ait vniuersum Populum Rom. ac referto foro repletísque omnibus templis, eum delegisse: huc quòd bellum cui præpositus est, non piraticum, sed honestiore vocabulo, commune omnium gentium bellum, appellat. Quanquam, quoniam interim M. Tullius eos alloquitur qui huic rei non modò interfuerant, sed præfuerant, ac propterea illam attingit breuiter, agedum nos eam ex Plutarcho pleniùs & copiosiùs explicemus.

Ergo cum Populus Rom. Piratarum rapinis & incursionibus premeretur, in primis verò commeatu prohiberetur, ita vt rei frumentariæ inopia laboraret, Gabinius Tribunus plebis de Pompeio aduersus Piratas Imperatore deligendo rogauit legem. Cui tamen, quoniam summam quandam illi potestatem tribuebat, ac non in classem modò verùm etiam in omnes mortales (vt cum Plutarcho loquar) imperium atque arbitrium concedebat, repugnabant Patres: verebantur enim ne Pompeius tali ac tanta potentia auctus, dominatum sibi vindicaret. Quin Consul alter, (Piso fuit, opinor) quippe qui satis intelligebat Gabinium Pompeij voluntati seruire, publicè conquestus est, edicens Pompeium Romuli vestigia sectantem non declinaturum illius exitum. Sed frustra tum iste tum alij legem dissuaserunt. Itaque cum Catulus etiam id tentasset, atque illud ad extremum dixisset, parcendum Pompeio, nec tot periculis ac bellis talem virum objiciendum, Catulo etiam, etsi alioquin eum colerent ac vererentur, reclamarunt. Cúmque hic rursus quæreret, quémnam habituri essent alium, vbi Pompeium amisissent, omnes vna voce succlamarunt, Te. Ita Catulus, cum nihil proficeret, destitit. Cúmque Roscius Tribunus item plebis pergeret ad
146 dicendum vt ipse legem dissuaderet, obstrepuerunt omnes. Tum Roscius duos extollens digitos, significauit duos saltem Imperatores deligendos, collegámque Pompeio tribuendum: sed frustra. Itaque concio dimissa est: ac postera die, cum in suffragia itum esset, Pompeius vnus summa cum authoritate renunciatus est Imperator. Hunc igitur diem intelligit M. Tullius, dum ait vniuersum Populum Rom. referto foro, repletísque omnibus templis ex quibus Rostra conspici possent, vnum sibi ad commune omnium gentium bellum Cn. Pompeium Imperatorem decreuisse.

Quanquam si quis ea verba, *De quo homine vos, id quod maximè facit authoritatem, tanta & tam præclara iudicia fecistis*, non ad vnum hoc iudicium sed ad omnia iudicia referri velit quæ variis temporibus de Pompeio fecisset Populus Rom. dum varijs illū bellis præfecisset, ac variis honoribus ornasset; in sequentibus autem verbis sigillatim commemorari & exaggerari præclarissimum ac singulare quod de illo iudicium tulerat, dum eum in Piratas Imperatorem creassent, non repugnarim. Illud tamen addiderim, ex his planè verbis quibus commemorat Pompeium tanta Populi Rom. voluntate Imperatorem fuisse delectum, tria licere vel statuere vel suspicione attingere. Primum est, locum de quo loquitur, hoc est Rostra (de Rostris enim dicebat M. Tullius) fuisse ad Populum concionanti destinatum, ac propterea Curiæ opponi
247 in qua ad Senatum haberetur oratio. Alterum est non satis qualis esset hic locus eos declarare qui scribunt fuisse templum seu Forum ante Curiam Hostiliam: nam non declarant num in templo an in foro ipso essent Rostra. Crediderim tamen locū non tectum fuisse & clausum sed apertum & sub dio, ac propterea non in templo sed in Fori parte aliqua fuisse rostra disposita: vel certè ita fuisse in foro collocata & templo adiuncta vt auditores saltem sub dio versarentur. Id quod coniectare licet tum quia significat Cicero referto foro è Rostris Gabinianam legem rogaiam, quo fit vt è templis, vel certè ex aditu, tantùm conspicerent: tum quia Plutarchus ac Dio; dum è Rostris hanc Roscius dissuaderet legem, coruum Foro superuolitantem ob succlamantem Populum cecidisse scribunt. Tertium ac postremum illud sit, M. Tullium, vt Pompeij dignitatem amplificet, bellum istud cui præpositus est, non Piraticum appellare vnquam, sed nauale, & (quod hîc legimus) commune omnium gentium bellum; ait enim ad commune omnium gentium bellum fuisse deletum Imperatorem. Vbi non tam ita loquitur, quòd huiusmodi bellum ad omnes gentes pertineret (quanquam ne id quidem inficiaretur Cicero: supra enim, cum regiones variæ Piratarum incursionibus tentarentur: dixit, *quo bello omnes gentes ac nationes premebantur*)

quàm

quàm quòd communi omnium gentium voluntate delectus sit. Romæ enim erant qui municipiorum, coloniarum, Prouinciarúmque atque Vrbium quæ Romana Ciuitate donatæ essent, ac summatim Ciuium prærogatiua gauderent, nomine ferrent suffragia. Tametsi non est dissimulandum omnium gentium bellum dici vel Romanarum quæ inquam ad Romanum pertinerent Imperium, vel potiùs hyperbolicè amplificandi causa. Sed ad Pompeium redeo, cuius authoritatem admirabilem exemplis varijs rerum gestarum declarat; Quare sic pergit. 248

PARTICVLA CXVI.

ITaque vt plura non dicam, neque aliorum exemplis confirmem, quantum authoritas valeat in bello, ab eodem Cn. Pompeio omnium rerũ egregiarum exempla sumantur: qui quo die a vobis maritimo bello præpositus est imperator, tanta repentè vilitas annonæ ex summa inopia & caritate rei frumentariæ consecuta est vnius spe & nomine, quantam vix ex summa vbertate agrorum diuturna pax efficere potuisset.



COnuertit se (vt dicere cœperam) ad ea quæ ex Pompeio peti possent, vt constaret qualis & quanta esset eius in bello authoritas ac iure, cum omnium rerum egregiarum (vt ipse ait) exempla ex Pompeio desumi possent. Primò igitur ducit exemplum ex consecuta annonæ vilitate. Meminit verò huius facti Plutarchus paucis sed grauissimis verbis. *Mox* (inquit) *pretia venalium laxata, læta plebi sermones præbuere; ipso nomine Pompeij debellatum.* Vbi mira Pompeii indicatur authoritas & existimatio, cum Populus Rom. vno Pompeii audito nomine prosperum belli finem ac certam victoriam sibi polliceretur. Cicero tamen pluribus rem attingit, vel potiùs exaggerat amplificátque mirificè. Ait enim statim atque maritimo bello Pompeius Imperator est præpositus, tantam annonæ vilitatem esse consecutam, quantã vix ex summa vbertate agrorum effici potuisset. Quanquam vt amplificandi rationem ex hac amplificatione pulcherrima perdiscamus, lubet locum paulò accuratiùs expendere. Ergo 149 ait non posteaquam renunciatus est Imperator, sed quo die, nec progressu temporis (vt fit) sed repentè, ac momento temporis, nec mediocrem vilitatem sed tantam quanta ex summa vbertate effici potuisset, quod est maximam, esse consecutam. Et huc pertinet quod ex summa tum inopia, quòd scilicet egestas esset maxima; tum caritate, quia nisi ingenti pretio parari haud posset, rei frumentariæ vilitatem ait cõsecutam: huc quod nõ modò vbertatem consecutam dicit sed summam vbertatem, nec multorum sed vnius Pompeii nomine: quasi verò ex Pompeii nomine penderet maxima illa vbertas: huc quòd huiusmodi annonæ copiam non tantam esse ait quanta ex summa vbertate effici solet, sed quanta vix effici possit: huc etiam quòd tantam esse ait quanta non modò ex summa vbertate agrorum, verùm etiam ex diuturna pace effici potuisset. Certum est enim agrorum vbertatem diuturna accedente pace maiorem annonæ vilitatem gignere. Ac profectò quanti momenti sit pax ad vbertatem, eleganter (vt solet) declarauit Tibullus dum caneret;

Interea pax arua colat: pax candida primùm
Duxit araturos sub iuga curua boues:
Pax aluit vites, & succos condidit vuæ,
Funderet vt nato testa paterna merum;

quod si ita est diuturna pax multò maximam vbertatem afferat necesse est. Denique in proposita de consecuta annonæ vilitate sententia nulla vox interponitur a M. Tullio quæ ad amplificandum non suum momentum habeat ac pondus. Hîc verò in illis verbis *qui quo die*, vox *qui*, sic iacet, vt cum sequentibus verbis, prout deberet, necti haud queat. quid est enim dicere, *qui quo die præpositus est, tanta vilitas annonæ consecuta est, quantam vix diuturna pax efficere potuisset?* itaque si pro *qui* reponas *nam* vel 250 *etenim* aut quid simile, senties perfectam reddi sententiam, cum alioquin vitiosa videri

deri

deri possit. Tamersi quoniam nil nouare ausim (præsertim explanatoribus rem silentibus omnibus) ad figuratam constructionem libenter confugerim; neque enim huius generis exempla desunt apud latinos: quin idem Cicero hoc ipso dicendi genere vtitur rursus in Maniliana dum de Gabinio expostulabit: quemadmodum constabit non multò post.

PARTICVLA CXVII.

IAm verò accepta in Ponto calamitate ex eo prælio, de quo vos paulò ante inuitus admonui, cum socij pertimuissent hostium opes, animíque creuissent; cum satis firmum præsidium prouincia non haberet, amisissetis Asiam Quirites: nisi id ipsum eius temporis diuinitus Cn. Pompeium ad eas regiones fortuna Populi Romani attulisset. Huius aduentus & Mithridatem insolita inflammatum victoria, continuit, & Tigranem magnis copijs minitantem Asiæ, retardauit.



Lterum profert exemplum quo summam declaret confirmétque Põpeij authoritatem: quod sanè exemplum ex iis ducitur quæ in Ponto acciderant dum Triarij exercitus cæsus est a Mithridate; Asiam enim continuò occupasset Mithridates, nisi Pompeius qui fortè illis regionibus erat proximus, illum retardasset. Indicarat hoc M. Tullius ferè ab initio cum diceret Pompeij aduentu ipso atque nomine, tametsi ad maritimum bellum venisset, hostium impetus fuisse repressos ac retardatos: quod sine dubio Cn. Pompeij commendat existimationem & authoritatem. Sed hîc factũ auget amplificátque de more: affirmat enim futurum fuisse vt cum socii pertimescerent, contra verò hostium opes animíque creuissent ex ea victoria quam in Ponto de Lucullianis retulerat Mithridates, Romani Asiam amisissent, nisi fortuna Populi Rom. Pompeium ad eas Regiones detulisset. Et ideo subdit, huius aduentu & Mithridatem etsi insolita inflammatum victoria, & Tigranem etsi magnis copiis Asiæ minitatem, retardatum esse. Et huc etiam pertinet quòd calamitosum illud prælium
252 reuocat auditoribus in memoriam, in quo ne vnum quidem superfuisse indicauerat qui cladem referret: huc quòd Populi Rom. socios perterrefactos significat: huc quòd Asiam præsidiis ferè spoliatam fuisse indicat: huc quòd diuinitus eò Pompeium peruenisse affirmat. Vbi obseruandum est M. Tullium sic Romanorum fortunam introducere, atque affirmare fortunam Romanorum eò per idem tempus detulisse Pompeium, vt diuinitus id factum dicat: quibus indicat bonam fortunam ac prosperam a Deo immitti, ac summatim diuinitus nobis bona contingere non casu aut præter Dei voluntatem. Atque hîc quidem post ea verba, *cum socij pertimuissent*, statim interpungendum, & continenter pergendum *hostium opes animíque creuissent*; vt sit sententia, cum socii pertimuissent, contra verò hostium opes animíque creuissent; alioquin interpunctione illa deleta prout habent codices multi, illud *animíque creuissent*, ineptè subiiceretur; potiùs enim *decreuissent* fuisset dicendum, cum sine interpunctione ad socios pertineant hæc verba.



PARTICVLA CXVIII.

ET quisquam dubitabit, quid virtute profecturus sit qui tantum authoritate profecerit? aut quam facilè imperio, atque exercitu socios, & vectigalia conseruaturus sit, qui ipso nomine ac rumore defenderit?



QVemadmodum iam antea cum ea concluderet ac peroraret quæ de
Cn. Pompeij virtute disputauerat, cómodè eo dicendi genere & quasi
epiphonemate vsus erat, *Et quisquam dubitabit quin huic tantum bellum hoc* 252
transmittendum sit qui ad omnia vestra memoria bella conficienda diuino quodam consilio natus esse videatur? Ita per commodè eodem dicendi genere
vtitur in præsentia, dum ea concludit quæ hactenus de eiusdem authoritate disputauit, quæ sanè concludendi ratio per interrogationem, vt a communi
concludendi forma discedit quæ a Dialectico atque alijs passim vsurpatur, ita perelegans & ad orationem ornandam aptissima videri potest. Sic pro Cluentio, *Et est quisquam qui cum hæc cognouerit, suspicari possit?* Et alibi *Et quisquam erit qui hoc affirmare audeat?* Vtitur autem his verbis argumento a minori ad maius, quo eos redarguit qui
forte dubitarent num tanto bello idoneus esset Pompeius. Nam si tantum authoritate profecit, dum scilicet abesset ab hostibus, ac propterea illos armis aggredi haud
posset, quantum virtute hoc est armis & dimicatione profecerit, cum virtute bellica
tantopere excellat? Ita quidem non modò concludit sed occupat vt ne dubitari possit, simúlque coarguit aduersarios. Addit *aut quàm facilè Imperio atque exercitu socios &*
vectigalia conseruaturus sit, qui ipso nomine ac rumore defenderit, quasi dicat nemo ne id
quidem dubitet. Et acutè. Sic enim alicuius vmbra aut nomen terreat hostem, eiusdem præsentia multò magis eum perterreat necesse est. Hîc verò dubitet facilè quispiam, cur dicat fore vt socios & vectigalia facilè conseruaturus sit Pompeius, nullam
verò aut ciuium Romanorum aut dignitatis Populi Rom. mentionem faciat. Sanè
ab initio bellum hoc suscipiendum suadebat vt non modò socij & vectigalia verùm
etiam Ciuium Rom. fortunæ, in primis verò Populi Rom. dignitas defenderetur.
Sed cautè loquitur Cicero. Nam Ciuium fortunas nihil erat quòd iterum commemoraret quas ex vectigalibus pendêre ostenderat, quòd Ciuium Rom. fortunæ cum 253
Asiaticis pecunijs & vectigalibus coniunctæ essent. Itaque qui fore ait vt vectigalia conseruentur, is Ciuium Rom. fortunas satis indicat conseruandas.
Contra verò, cum dignitatem Populi Rom. violatam & imminutam docuisset quòd diù in illo insedisset iniuria & macula quam
ex ingenti illa Ciuium Rom. nece contraxerat, hanc sanè iniuriam reuera vlcisci aut hanc maculam delere,
haud potuerat absens. Et idcirco non licebat argumentari, multò magis hanc
iniuriam vlciscetur præsens. Itaque licuit quidem argumentari socios & vectigalia conseruauit absens,
multò igitur magis conseruabit præsens: at de Populi Rom. dignitate id concludere
haud licet.



PAR-

PARTICVLA CXIX.

AGe verò, illa res quantam declarat eiusdem hominis apud hostes Populi Romani authoritatem; quòd ex locis tam longinquis, tam diuersis, tam breui tempore, omnes vnà huic se dediderunt; quòd Cretensium legati, cum in eorum insula noster Imperator, exercitúsque esset, ad Cn. Pompeium in vltimas propè terras, venerunt; eique se omnes Cretensium ciuitates dedere velle dixerunt?



Dhuc pauca quædam addit quibus Pompeij authoritatem declaret amplificétque. Commemorat igitur qualis fuerit Pompeij authoritas apud hostes Populi Rom. hostes appellans Piratas aut maximè aut certè vnos. Nam eorum hîc mentionem declinat, ne Pompeij minuat dignitatem. Ait igitur inde magis adhuc & magis apparere
254 Cn. Authoritatem quòd hostes Populi Rom. huic se dediderunt. Hinc autem admirabilem amplificandi virtutem perdiscas licet; non enim ait hostes istos ex propinquis locis sed longinquis, iisque non vnis sed diuersis; non post diuturnum bellum ac tempus sed breui tempore, non eorum partem aliquam sed omnes nec disiunctim sed vnà, huic, Pompeio inquam, se dedidisse: ita vt ne verbū quidem ociosum, sed quid dico ociosum verbum? imo nullum verbum quod non magnam emphasim habeat, proferatur: quin illud *tam* semel, iterum ac tertiò repetitum, cū seorsim tum coniunctim vim habet maximam; ait enim *ex locis tam longinquis* quasi verò longinquitas vix percipi posset, *tam diuersis* quasi diuersitas esset maxima, *tam breui tempore*, quòd incredibile videretur vt illi ex tam diuersis ac dissitis regionibus Pompeio intra XL. dies aut etiam vndequinquagesimo se dedidissent. Iam verò addit id quod Cretensibus accidisset. Quos quidem nominat ne videatur eos inter Piratas aut Populi Rom. hostes omnino numerare. Hos igitur ait Legatos ad Cn. Pōpeium in vltimas propè terras, hoc est in Ciliciam & Pamphiliam, misisse deditionis faciendæ causa, atque hanc non aliquarum quæ obsidebantur, vrbium nomine tantùm, sed cum suis vrbibus vniuersis. quod tum per se Pompeij declarat authoritatem incredibilem, tum quia id fecissent quantumuis in eorum insula Populi Rom. Imperator cum exercitu esset, ad quem confugere aut cui deditionem facere possent.
255 intelligit autem Metellum qui deinde Creticus (nimirum quòd ex ijs triumpharit) dictus est. Cum enim ij Piratis fauissent, atque illos etiam excepissent, ita vt adhuc multi in munitioribus Cretensium Vrbibus delitescerent; Metellus, quippè qui eam Prouinciam obtinebat cum exercitu, Vrbes illas obsederat atque in angustum adduxerat, sæuum se tum illis tum Cretensibus ostendens. Ij igitur Legatos ad Pompeium in Ciliciam miserunt, séque ei ac suas Ciuitates omnes dedere, atque illius fidei committere velle dixerunt. Quæ omnia qualis & quanta esset Pompeij authoritas mirificè declarant. Tametsi non est quod inficiemur hinc aliquid etiam dedecoris contraxisse Pompeium. Cum enim Metellus insulæ illi præfectus fuisset a Populo Rom. antequam Pompeius in Piratas decerneretur Imperator, ac strenuè Populi R. iniurias vlcisceretur, Pompeius omnem Metello authoritatem ambitiosiùs abrogare contendit, ita vt hac de causa Cretensium & Piratarum patrocinium aduersus Metellum ipsum suscipere visus sit; qua de causa ab amicis ipsis reprehensus est. De qua re (ne longum faciam) Plutarchum consulas in Pompeio. Tametsi non me latet videri Dionem in Metellum quoque aliquam culpæ transferre partem; quasi verò Metellus, vt gloriam præriperet Pompeio, Cretenses inuasisset, idque nulla fœderis ratione habita. Sed quicquid sit (nam Dionis locus lacunosus est & obscurus) Metellus Pompeio atque eius Legatis fortiter restitit, atque eo inuito bellum Creticum confecit, de quo & triumphum & Cretici cognomen retulit.

PARTICVLA CXX.

Quid? idem ipse Mithridates, nónne ad eundem Cn. Pompeium legatum vſque in Hiſpaniam miſit, eúmque Pompeius legatum ſemper iudicauit? ij quibus ſemper erat moleſtum ad eum potiſſimum eſſe miſſum ſpeculatorem, quam legatum iudicari maluerunt. 256



Lterum adiungit argumentum quo Pompeij extollat authoritatem. Narrat igitur apud Mithridatem etiam Pompeij authoritatem vel ex eo tempore quo in Hiſpania, hoc eſt in Prouincia a Mithridatis Regno quàm remotiſſima, verſaretur, talem ac tantam fuiſſe, vt Mithridates ipſe Legatū miſerit ad Pompeium. Vbi ea verba *Idem ipſe Mithridates*, emphaſim habent, ſignificant enim eum Regem qui eſſet opulentiſſimus, ſuperbiſſimus, fortiſſimus, ita ut bellator maximus haberetur & Imperator. Quanquam, quoniam non deerant qui in malam partem Mithridatis legationem verterent, ac Legatum illum, exploratorem dicerent, vt nimirum Cn. minuerent authoritatem, confirmat pro Legato ſemper habitum a Pompeio, ita ut aliqui præ inuidia illum ſpeculatorem appellari mallent quàm Legatum. Facilè autem contingere potuit vt vel Sertorius, ac Sertoriani, quibus verè fauebat Mithridates, Pompeij Legatum, vt Pompeio detraherent, ſpeculatorem dicerent. Quanquam contingere quoque potuit vt Metelliani atque adeò Q. Metellus ipſe qui pari cum Pompeio authoritate contra Sertorium gerebat bellum, & verò ætate præibat, id de Legato illo pronunciaret, quòd ægrè ferret ad Pompeium non ſibi Legatum miſſum. Sed quiſquis hanc peruulgarit famam, nil prohibet quo minùs & Legatus eſſet & explorator: Legatus nomine ac palam explorator re & clam. Neque enim inficiandum eſt 257 Legati eſſe ea quoque explorare quæ eius interſint Regis aut Principis a quo mittatur: præſertim verò quia olim exploratores ſeu ſpeculatores minori laborarent infamia quàm hoc tempore: Heroicis etiam temporibus, cum res graues agerentur, exercitus Duces exploratum ibant mittebantúrue: itaque apud Homerum Vlyſſi ac Diomedi hoc impoſitum eſt munus; & apud Virgilium Aeneas ipſe cum Acate loca exploraſſe dicitur ac regionem in quam deuenerant. Tametſi Legatus ille, quoniam regias literas non poterat non obtuliſſe cum ſe Legatum diceret, æquiore iure a Pompeio Legatus habitus eſt, quàm ab æmulis aut hoſtibus ſpeculator. Sic ſanè M. Tullius nullum Pompeianæ authoritatis augendæ locum prætermittit quem nō occupet ac Pompeio celebrando adhibeat egregiè. Itaque iurè ſubijt.

PARTICVLA CXXI.

Poteſtis igitur iam conſtituere Quirites, hanc authoritatem multis poſtea rebus geſtis, magniſque veſtirs iudicijs amplificatam, quantum apud illos reges, quantum apud exteras nationes, valituram eſſe exiſtimetis.



Vibus verbis Cn. Pompeij authoritatem tum ex alijs rebus poſt Hiſpanienſe bellum geſtis, tum ex Populi Rom. iudicijs confirmat augétque, futurum oſtendens vt & apud Regios hoſtes, Mithridatem ſcilicet, Tigranem, & ſi qui eſſent alii quorum opem imploraret Mithridates, & in vniuerſum apud exteras nationes, futura eſſet maxima.

PARTICVLA CXXII.

158 R *Eliquum est vt de fęlicitate, quam præstare de se ipso nemo potest, meminiße & commemorare de aliero poßumus, ficut æquum est homini de potestate deorum timidè & pauca dicamus.*

DE FELICITATE


Eliquum est vt de fœlicitate dicat si quatuor illa spectemus quæ in summo Imperatore requiri, & in Pompeio reperiri affirmauit, scientiam rei militaris, virtutem, authoritatem, fœlicitatem. nam cum de tribus prioribus dixerit, reliquum est vt dicat de postremo. Alioquin adhuc superest vt aduersarijs respondeat, & si quid huiusmodi. Et ideo postquam dixerit de fœlicitate, versabitur adhuc in Refutatione & ea benè longa: cohorrabitur insuper Manilium vt in sententia persistat: suspicionem, quandam eluet de se exortam, simúlque perorabit. Quanquam cum statim post Narrationem de tribus vniuersim proposuerit dicendum, nimirum de genere belli, de magnitudine belli, de Imperatore deligendo, iámque de duobus prioribus dixerit, postremum verò nunc absoluat, videri possit præcisè omnino ac sine exceptione vlla id proponere quod postremo planè loco dicendum videatur. Et sanè tertium seu postremum quod ferè ab initio proposuerat, erat de Imperatore deligendo; cuius gratia quadripartitam illam de Imperatore proposuit disputationem. Et ideo cum in præsens vltimam quadripartitæ huiusce disputationis partem aggrediens, dicat, Reliquum est vt de fœlicitate dicamus, quidni concedatur eo consilio ad fœlicitatem aggredi vt omnia quæ proposuit sibi absoluenda existimet? Certè cum tandem hanc quam modò aggreditur de fœlicitate disputationem, his verbis concludat, *Quare cum & bellum ita necessarium sit, vt negligi non possit, ita magnum, vt accuratissimè*
159 *sit administrandum; & cum ei imperatorem præficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima authoritas, egregia fortuna; dubitabitis Quirites, quin hoc tantum boni, quod a Dijs immortalibus oblatum, & datum est, in rempublicam conseruandam, atque amplificandam conferatis?* satis indicat quod postremum omnino esse deberet, hîc tanquam reliquam partem fuisse propositam. Sed clausula hæc sit, Apud Philosophos & eos omnes qui methodum & ordinem non modò non dissimulant, sed ostentant (sic enim eos decet qui doctrinas tradunt, præsertim difficiliores) par est vt disputatio eiúsque partes cum Propositione planè consentiant, ac sibi bellè respondeant. Sed apud Oratores, quos artificium occultare magis decet quàm ostentare; haud ita mordicus in Propositione est inhærendum, vt non facilè digredi liceat, a propositóque discedere, aut propositis rebus aliquid adnectere, ita vt propositioni haud omnino respondeat progressus aut exitus orationis. Et idcirco fateor quidem fuisse cur M. Tullius, si in propositione ac distributione rerum perstandum planè fuisset; hac quam de fœlicitate instituit, Disputatione claudet orationem, cum egisset de Imperatore deligendo, quod postremo loco fuerat propositum. Sed tamen cum præstaret etiam aduersarios refellere, atque illa omnia peragere quæ peregisse obseruauimus, hæc etiam subiungere placuit. Quanquam illud etiam est obseruandum, oratoriam quæstionem, quemadmodum Aristotele teste aliquibus placuit, bipartitiò esse distribuendam; nimirum in propositionem & fidem; perinde ac Dialectica aut etiam Mathematica & Philosophica quæstio, duas tantùm habet partes, Propositionem scilicet, & Problematis explicationem. Cum enim id quod proposueris, demonstraueris, receptui canendum est. Sed tamen quoniam haud probasse satis is dicitur qui non ea etiam diluerit quæ aduersari videntur & probationem labefactant aut sententiam, faciendum quoque est vt aduersaria argumenta refellantur. Et hinc est vt in Oratione fides debeat refutationem etiam comprehendere: quemadmodum Philosophica quoque demonstratio ad contrarias rationes euertendas producitur. Haud igitur existimandum, debuisse M. Tullium statim ac suas de Imperatore deligendo rationes attulisset, perorare, nisi contrarias etiam reiecisset: præsertim verò quia sæpè

3. Rhet. cap.17.

160

probatio seu confirmatio in aduersarij reprehensione vel maximè posita est, ita vt
confirmatio reprehensionem seu refutationem omnino exigat. Quapropter cum
ab initio posuisset dicendum ad extremum de Imperatore deligendo, hæc pars de-
buit etiam ad refutationem deriuari. Tum commodus etiam perorandi locus quæ-
rendus, qui ille fuit; vt Manilium cohortaretur, ac de se suspicionem exortam tolle-
ret, quæ sanè ad fidem & victoriam faciunt plurimum. Ita quidem Cicero, quippe
qui persuasionem sibi maximè spectandam satis intelligebat; atque huc omnia refe-
renda, proptereáque nihil ommittendum quod huic rei seruire posset, his sibi pero-
randum existimauit. Et hoc nomine tripartita illa quam statim post Narrationem
proposuit rerum dicendarum partitionem, poterit & ad Confirmationem & ad ora- 261
tionem vniuersam referri.

Principiò igitur ait neminem de se fœlicitatem præstare posse; quod est (si quis
attentiùs æstimet) neminem sibi fœlicitatem exhibere seu tribuere posse ac veluti ef-
ficere. Neque enim ijs assentior qui *præstare* prædicare interpretantur: vel (quod
alii faciunt) de se ipso polliceri. Qui enim *prædicare* exponunt, licenter nimis id fa-
ciunt: nusquam enim præstare pro prædicare inuenias apud bonos latinitatis Au-
thores. Quin falsò loqueretur M. Tullius. Nam qui rem prosperè gessit aut pro-
spera fortuna vsus sit, is de se prædicare omnino potest fœlicitatem: quandoqui-
dem Cicero (vt audistis) fœlicitatem hîc pro prosperitate seu prospera fortu-
na vsurpat. Qui verò exponunt *de se polliceri*, fortasse minùs grauiter ferendi sunt:
nam verè diceret M. Tullius neminem de se fœlicitatem seu prosperitatem polliceri
posse, cum fateatur non esse in hominis potestate. Quapropter, etsi is qui prospera
fortuna vtatur aut vsus sit, potest eam de se prædicare, nemo tamen de se illam polli- 262
ceri potest, cum rem futuram atque illam incertam polliceatur. Quanquam qui *de*
se præstare exponunt *de se polliceri*, iis afferendum quoque erat exemplum aliquod ex
M. Tullio vnde constaret valere interdum polliceri: quod affirmant faciliùs quàm
doceant. Cum è contrariò apud M. Tullium exempla in promptu sint quibus con-
stet præstare idem sæpè esse quod efficere aut tribuere. Itaque perplacet quod hîc
scribit Paulus Manutius, nimirum perinde esse neminem de se ipso fœlicitatem præ-
stare ac si diceretur, nemo sibi potest fœlicitatem conficere: seu non est in cuiusquam
potestate fœlicitas. Tametsi si, vt verè fatear, optassem vt Manutius non tam affir-
masset quàm docuisset illud dicendi genus *nemo de se ipso fœlicitatem præstare potest*,
valere nemo sibi fœlicitatem conficere potest: nam reuera *de se ipso præstare* abstru-
sum & subobscurius videri potest: per se enim præstare, aut per se ipsum præstare in
promptu est; quod tamen non significat *sibi ipsi* vt Manutio significat *de se ipso*. quod
si dicas *de se ipso* valere *ex se ipso*, vt *de Pompeio* vel *de te audiui*, valet *a te* vel *ex te*; sanè 263
hoc non esset ad rem, quia subdit *de altero meminisse possumus*. vbi *de* non valet *ex* aut
ab altero. Atque idem dixerim si affirmes *de* valere *ex* cuiusmodi est illud *de Græ-*
cis facetus homo; & alterum, *de humanis operibus longè maximum*: quod est ex Græcis fa-
cetus homo, & ex operibus maximum: nam his in locis *de* & *ex* valet *inter*, quod a re
de qua agimus est alienissimum. Statuamus igitur in his verbis *de se ipso*, *de* signifi-
care materiam ac veluti campum: ac propterea statuere M. Tullium neminem pos-
se fœlicitatem (dum scilicet non eam possidet) de se ipso præstare, hoc est re ipsa de
se ipso eã efficere, & effectam ostendere & veluti proferre in se ipso & ostentare: posse
tamen eam de altero, qui scilicet illam aliquando possedisset, aut in præsentia possi-
deat, meminisse & prædicare. Sic in hac ipsa oratione ad extremum, *Pericula*, (inquit)
vt hominem præstare oportet innocentia tecti pellemus: vbi *præstare* valet efficere seu perfi- 264
cere. Sed clariùs in Epistola quadam: in qua cum dixisset, *Eo animo simus inter nos, quo* l. 4 fam. ep. vlt.
semper fuimus; pergebat è vestigio; *quod de te sperare, de me præstare possum*. Quod est
vt beneuolentiam ipse erga te conseruem, re ipsa efficere possum: hoc enim in mea
potestate situm est & collocatũ. Ex quo fit vt qui dicat neminem posse de se præstare
fœlicitatem, si sententiam spectemus (atque hanc vnam Manutius spectare visus est)
atque aliis verbis explicemus; neminem sibi ipsi fœlicitatem conficere posse intelli-
gat. Ita vt M. Tullius re quidem *sibi* reticeat, potestate tamen indicet: quia sic fate-
tur aliquem posse de altero fœlicitatem meminisse, vt neget eam sibimet posse il-
lam conficere.

265 At enim, si ita est (dicat quispiam) temerè Aristoteles in libris de moribus præcepit de ratione ac via qua fœlicitatem assequamur: falsò etiam docuit virtute in primis a nobis comparari. Sed profectò Aristoteles in libris de moribus non loquitur de fœlicitate seu prosperitate ac bona fortuna de qua loquitur hoc tempore, sed loquitur de beata vita: quin longè distinguit inter beatam vitam quam εὐδαιμονίαν appellat, & fęcilitatem seu bonam fortunam quam appellat εὐτυχίαν: atque hanc extrinsecus aduenire affirmat; ita vt vel diuinitus, vel a fortuna, (sic enim ille) proficiscatur: illam vsu, exercitatione, virtute parari ac gigni. Quapropter errant ij qui quam ibi beatam vitam virtute parari posse docet Aristoteles, quámque in actione a præstantissima virtute proficiscente collocat, hanc fœlicitatem appellant, cum beatitudo dicenda sit: præsertim quia idem Aristoteles eos reprehendit qui εὐτυχίαν pro εὐδαιμονίᾳ vsurpant. Et hinc est vt M. Tullius nunquam fœlicitatis nomen cum beata vita aut beatitudine seu beatitate confundat: licet prosperam fortunam & fœlicitatem sæpè vsurpet promiscuè. Vt propterea iurè & Aristoteles parari posse affirmet, & M. Tullius fœlicitatem a nobis comparari posse neget.

l.1.c.8.f

Sed sint ista, dicat rursus aliquis; at cur tu iamdiu statuebas suæ quemque fortunæ ac fœlicitatis artificem esse, ac virtutibus ipsis parari? Affirmaui, fateor, ac multis etiam effeci fœlicitatem seu bonam fortunam industria, præsertim in re bellica; atque virtute indigere: idque vt docerem non temerè M. Tullium in Imperatore præter fœlicitatem, virtutem quoque militarémque scientiam deposcere. Alioquin nisi hæc conferant ad fœlicitatem prosperámque fortunam, aptè huc illud Aiacis cadat, Etiam ignauos, fauente fortuna seu Deo adiutore, posse vincere ac res fœliciter gerere. Ergo fateor non esse in hominis potestate fœlicitatem, ac propterea neminē posse illam de se præstare; potest tamen se se ad eam excipiendam parare atque idoneum reddere, vt eandem aduentantem excipiat: id quod aut nunquam aut rarò inerti contingat quíque virtute careat & industria. Vt enim gubernatorem prosperis afflantibus ventis, nisi industriam exerat, ac soluens veláque pandens, commodè prospera vtatur aura & nauigandi opportunitate, fœlicitas illa & prosperitas prætteruolet ac fugiat; sic Imperatorem, nisi scientia militari ac virtute institutus, rei benè gerendæ, quæ forte ac diuinitus obijciatur, occasionem arripiat, ac victoriæ obtinendæ locum industria ac diligentia occupet, facilè prætereat fœlicitas. Ex quo fit vt strenuus Imperator ac vigilans prosperitati ac fœlicitati sit magis idoneus: ignauus contra quíque virtute careat, minimè. Et sanè cum fortuna calua sit, quod est præceps ac fugax, vigilantes atque industrij apti idoneíque sunt qui eam excipiant, non stertentes ac dormitantes. Id quod in re bellica contingit maximè: in qua, vt bellum est aleæ varietatísque plenissimum, strenuus ac vigilans Imperator in aduersis perfugia virtute captare solet, ac meliores præstolari vices, opportunitatémque obseruare tandem & arripere quæ ad victoriam se se obijciat comparandam: quod tamen iners ignauúsque efficiat nunquam. Itaque Aeneæ illud apud Virgilium

266

Disce puer virtutem ex me verúmque laborem,
Fortunam ex alijs —— mœrentis est dictum ac perturbati animi, non acutè Philosophantis. Et idcirco cum demum Aeneas virtute aduersitates omnes superasset, habuit vnde fillo & virtutem & fortunam fœlicitatémque in se ipso ostenderet: atque idem dixerim, dum Aiax illud filio profert apud Sophoclem

Ὦ παῖ, γένοιο μὲν πατρὸς εὐτυχέστερος,
Τὰ δ' ἄλλ' ὅμοιος, καὶ γένοιο μὲν οὐ κακός.
O fili, euadas patre fortunatior:
In cæteris sis mibi similis: & præstans efficiaris.

nam perturbati hominis verba sunt non constantis & sapientis. Quare liceat fortasse obseruare aliquem cui dormienti ita arriserit fortuna vt non eum mox deluserit etsi ignauum: sed rara auis erit hæc. Contra verò qui constanter labores subierint ac desudarint, ijs plerisque non meliorem fortunam sæpè affulsisse, pernegauerim. Itaque sapienter idem Aeneas cum mœrentes solaretur socios, illud protulit,

267

O socij (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passi grauiora: dabit Deus his quoque finem.
Vos & Scyllæam rabiem, penitúsque sonanteis

Accessis scopulos: vos & Cyclopea saxa
Experti: reuocate animos, mœstumque timorem
Mittite. forsan & hæc olim meminisse iuuabit,
Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium, sedes vbi fata quietas
Ostendunt: illic fas regna resurgere Troiæ,
Durate, & vosmet rebus seruate secundis.

Hæc Aeneas. quibus satis docuit tolerantia & virtute faciẽdum vt in Latium, ad quietem, ac fœlicitatem peruenirent. intelligebat enim tolerantia ac virtute tandem superari fortunam aduersam, atque hinc ad prosperam patêre aditum. Vt propterea dum scribunt aliqui, sæpè præstantibus viris, cum cætera quibus magnæ res præclarè geruntur, adessent omnia, ijs vnam fortunam defuisse, quæ cursum impedierit virtutis nihil vt prosperè succederet, ijs non planè assentior. Etsi enim in tanta rerum gestarum multitudine ac gentium varietate non difficile est aut in ignauis hominibus exempla quædam proferre prosperitatis (nil enim in rebus humanis tam absurdum quod non contigerit aliquando) aut in præstanti viro aliquo exemplum infœlicitatis; infinita tamen exempla suppetunt, quibus compertum est eos qui prospera fortuna vsi sunt ac fœlicitate, industria & virtute non dico eam comparasse, sed aditum sibi quoquo modo ad illam aperuisse. Et idcirco non ait M. Tullius neminem sibi ad fœlicitatem viam munire posse aut commodiorem reddere, sed de se præstare, quod sanè *efficere* valet: imò verò plus aliquid significat, nimirum planè conficere & tueri. Sic sanè Deus quem vult fortunat: tametsi frequenter industrios, inertes rarò. Quapropter, vt ad institutum me referam, hac moderatione tueri licet & rei militaris scientiam ac virtutem fœlicitati vtcunque seruire, quia non nihil ad eam conferat; & tamen neminem de se ipso fœlicitatem planè præstare sed ne polliceri quidem posse. 268
Quibus positis, ita etiam pergit Cicero, *Meminisse & commemorare de altero possumus.* Neque enim desunt qui fœlicitatem in vita præ se tulerunt, ac multa prosperè fœliciterque gesserunt, ita vt de illis & meminisse & commemorare fœlicitatem liceat. Certè vt Polycrates ac Gyges prætermittam; de Alexandro Macedone, de Africano minore atque alijs quos commemorabit Cicero, prosperam fortunam meminisse licuit: quin C. Cæsari ac Syllæ fœlicitas in primis attribuit antiquitas: imò verò Sylla ipse fœlix appellari mirum in modum optauit: Cæsar ne illud quidem pronunciare dubitauit Nauarcho, *Cæsarem vehis:* quasi verò vim fluctuum ac tempestatis sua ille fœlicitate superare posset. De Q. Metello autem nihil attinet dicere quem ab ortu ad extremum vsque diem nobilitate, diuitijs, valetudine, honoribus, triumphis, liberis, nepotibus, longæua denique ætate fœlicissimum fuisse constat. Denique Augustus tali ac tanta fœlicitate vsus est, vt cum post illũ. Imperator deligeretur huic Augusti fœlicitatem precarentur. De hac igitur fœlicitate quam de altero meminisse & commemorare quis potest, de se ipso præstare nemo potest, *timidè*, inquit, *& pauca dicamus. Sic enim æquum est homini de potestate eorum.* Et egregiè, cum enim fœlicitas in Dei, cuius voluntas & consilium mortalibus occultum est, manu ac potestate sita sit, haud æquum est mortalem nisi timidè & pauca de fœlicitate loqui. quanquam crediderim ea etiam de causa M. Tullium pauca sibi dicenda statuisse quòd intelligeret rem esse difficiliorem & subtiliorem quàm vt apud vulgarem multitudinem longiùs de re tali ac tanta esset faciendum. 269



PAR-

PARTICVLA CXXIII.

EGo enim sic existimo, Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & cæteris magnis Imperatoribus, non solum propter virtutem, sed etiam propter fortunam, sæpius imperia mandata atque exercitus esse commissos.


Ommodum disputationis initium, præsertim in re graui. Sic supra, *Ego enim sic existimo, in summo Imperatore quatuor inesse oportere.* Sic illud pergenti percommodum *Age verò*, quo item in hac oratione vtitur non semel. Commodum etiam illud ad exitum properanti, *Restat* vel *reliquum est*, quo iterum ac tertiò vtitur in hac oratione. Sed ad rem ipsam. Affirmat igitur a Populo Rom. magnis Imperatoribus multis sæpiùs Imperia fuisse mandata, exercitúsque commissos, non solùm propter bellicam virtutem Imperatoriam, verùm etiam propter fortunam. Et rectè. Cum enim non semel obseruatum esset hos bellum fœliciter administrasse, quidni eorundem opera vteretur Populus Rom. etsi hoc præter morem contingeret? Atque id sa-
270 nè tum tacitè fauet Pompeio, cui aduersarij, quoniam toties ac diù imperasset, negabant tam diuturnum Imperium esse concedendum, aut Mithridaticum bellum esse committendum: tum valebit ad Catulum sigillatim refellendum, qui dictitaret nil noui faciendum contra exempla atque instituta Maiorum. Et idcirco huiusmodi præiudicijs suo loco Catulum refellet Cicero. Iam verò Fabio Maximo, M. Marcello, Africano Minori, C. Mario atque alijs, cuiusmodi fuerunt Camillus, Papirius, Metelli, sæpè imperia fuisse mandata; idque nō modò propter virtutem verùm etiam propter fœlicitatem, ex historiarum monumentis clariùs est quàm in hac re longiùs sit faciendum.

PARTICVLA CXXIV.

FVit enim profectò quibusdam summis viris quadam ad amplitudinem, & gloriam, & ad res magnas benè gerendas diuinitus adiuncta fortuna.


Vit (inquit) *summis viris ad amplitudinem & gloriam diuinitus adiuncta fortuna*; quod est, virtuti addit pondus: nam ideo ait *summis viris*, hoc est ijs qui prudentia ac virtute præstant: & ideo etiam ait diuinitus adiungi, quasi verò eorum virtuti & industriæ adiungatur, & ad res benè gerendas opem ac præsidium afferat. Tametsi quoniā diuinitus ait nobis adiungi, præstat Fortunæ comitem Virtutem adiungere quàm Virtuti Fortunam. Et sanè qui pro Fortuna diuinitus immissam fœlicitatem intelligat, vt hîc facit M. Tullius, ac proinde hanc a Deo esse fateatur, Vir-
271 tutem Fortunæ posthabeat necesse est. Quapropter ijs qui non existimarent fortunam diuinitus immitti, licuerit illud vsurpare, *Virtute Duce, Comite Fortuna*, illic certè qui diuinitus adiungi fateantur atque concedi, Fortuna Duce, Comite Virtute, dicendum est.

PARTICVLA CXXV.

DE huius autem hominis felicitate, quo de nunc agimus, hac vtar moderatione dicendi: non vt in illius potestate fortunam positam esse dicam: sed vt præterita meminisse, reliqua sperare videamur, ne aut inuisa dijs immortalibus oratio nostra, aut ingrata esse videatur.

Quæ



Væ dixerat de fœlicitate, iam (vt de more a Thesi ad Hypothesim progrediatur) ad Pompeium refert institutámque suasionem: vt nimirum, quoniam summa semper fœlicitate vsus fuerat Pōpeius, non paterentur periculoso huic bello ac perditi ciuili alium quàm Pompeium, hoc est fœlicissimū Imperatorem, præfici. Quanquam sic se insinuat ad Pompeij fœlicitatem prædicandam & exaggerandam, vt moderatione & cautione vtatur. Statuit igitur non quidem dicendum esse, fortunam in Pompeij esse potestate (id enim audacter nimis diceretur) sed tamen, si ex præteritis, quæ meminisse licet, coniectura ducenda sit, fœlicem belli exitum ex talis ac tanti Imperatoris electione magnopere sperandum esse. Atque hoc planè modo loquendum siue sentiendum, inde confirmat quia hoc modo nec Dijs inuisa erit oratio, cum interim nihil audaciùs proferatur, vt bonam fortunam non esse a Deo, aut fortunam esse in Pompeij potestate: hæc enim essent inuisa: nec rursus erit ingrata, cum anteactas Pompeij victorias sic meminerimus vt a Dijs immortalibus illi concessas fateamur, ac Deorum a quibus fœlicitatem esse dicimus, vim ac beneficentiam testantes ac prædicantes, gratum animum beneficiorúmque memorem
ostendamus. Interim verò ex vniuersa hac quam hactenus habuit Cicero de fęlicita- 272
te disputationem, licet animaduertere quàm facilè bonam fortunam fęlicitatémque confundat: quàm scitè fęlicitatem rursus velit ad Dei potestatem pertinere: contra verò temerè affirmari in alicuius hominis potestate fortunam aut fęlicitatem positam esse: quàm acutè obseruet Deo esse tum inuisum fęlicitatis potestatem homini concedere: tum ingratam orationem quæ prosperitatem ac fęlicitatem non ipsi Deo acceptam referat. Quæ omnia in Ethnico carere sua laude nec possunt nec debent.

PARTICVLA CXXVI.

ITaque non sum prædicaturus Quirites, quantas ille res domi militiaéque, terra marique, quantáque fęlicitate, gesserit, vt eius semper voluntatibus non modò ciues assenserint, socij obtemperarint, hostes obedierint: Sed etiam venti tempestatésque obsecundarint. hoc breuissimè dicam, neminem vnquam tam impudentem fuisse, qui a Dijs immortalibus tot & tantas res tacitus auderet optare: quot & quantas Dij immortales ad Cn. Pompeium detulerunt.



Lura sibi hac in re dicit prætereunda (quæ tamen vel occupat vel præteriens indicat) vnum tamen breuiter commemorandum. Prætereundum quàm multa & quàm fęliciter domi militiaéque, terra marique, gesserit, quibus constat illius voluntati semper non modò ciues assensisse, socios obtemperasse, hostes obedisse, verùm etiam ventos tempestatésque obsecundasse: hæc inquam sibi prætereunda
esse ait, cum tamen interim oratorio more eádem indicet satis: commemorandum, 273
neminem vnquam tam impudentem fuisse qui a Dijs immortalibus tot & tantas res atque adeò victorias tacitus ac sola cogitatione optare auderet quot & quantas ad vnum Cn. Pompeiū detulissent. Quasi diceret, plura accepisse quàm quis, vel impudentissimus, optarit aut cogitatione ipsa conceperit vnquam. Quod sanè indicat maiorem esse diuinam beneficentiam & largitatem quàm nostri pectoris capiant angustiæ. Hæc est loci huius explicata sententia. Vbi non ab re obserues amplificanti non ociosè ea *domi militiaéque terra marique* proferri; tametsi alioquin alterutrum latissimè pateat & vim habeat maximam. Obseruandum præterea ad Pompeij fęlicitatem declarandam ea quoque verba valere plurimum, *ciues assenserint*: cum enim liceret eis dissentire, quidni id Pompeij fęlicitati ascribatur, cum assenserint ac semper assenserint? Et quidem siue Imperium optaret sibi triumphum siue Consulatum siue amicis faueret, vix vnquam quicquam ei denegatum est, tametsi omnia ferè præter morem institutáque maiorum contingerent. Idémque dicendum dum addit *socij obtemperarint*, Socijs enim licebat pro arbitratu obtemperare aut non obtemperare, ac

suffragium

suffragium illi ferre aut non ferre: cum tamen vbi de Pompeii dignitate ageretur cu-
riatim, tributim, centuriatim ei suffragiis fauerint suis; ita vt non modò illi fauisse sed
obtemperasse videantur. Atque hîc videri potest M. Tullius spectasse tum in Pice-
nos qui ad Pompeii nutum a Carbone defecerant, tum in alias nationes multas ac
274 milites in primis & exercitus qui omnes Pompeio semper summa obtemperassent
voluntate, Idem dum ait Hostes obedierint, Horum enim erat repugnare non obe-
dire: sed quæ fuit Pompeii fœlicitas, obedire tamen. Atque hæc verba tum ad Pira-
tas quos toties Populi Rom. atque omnium gentium hostes appellauit, tum ad Cre-
tenses qui fauerant hostibus, referri possunt. Verùm multò magis facit ad Pompeii
fœlicitatem quod addit, ventos nimirum tempestatésque eius voluntati obsecundasse,
Quod etsi hyperbolicum, laudanti & amplificanti Oratori concedi potest, quamuis
alioquin Poëticè dicatur. Et sanè iamdiu poëticis quoque luminibus Pompeii virtu-
tem illustrare cœperat: præsertim cum diceret belli impetum cum Pompeio naui-
gasse, aut etiam cum indicaret eius virtutem ac celeritatem talem ac tantam fuisse
vt aliqui suspicari possent aut dictitassent, nouis ventis, inaudita gubernandi arte ac
vi remigum, nauigasse. Sed hoc in loco poëticè agit multò maximè. Itaque credi-
derim Claudianum ex hoc loco veluti deriuasse quod de Theodosii cecinit felicitate,

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Aeolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti;

Ventos enim ad classica venire, est ad votũ fauere, atque illius voluntati obsecundare.
Id quod deinde Epicus Poëta noster cecinit de Gothifredo cum huic diceret

—— vbidienti
Vengon chiamati a suon di trombe i venti,

275 Quanquam vterque ea quoque spectare potuit quæ de Lucullo commemorauit
Flo. li. 3. c. 5. pag. 78. m. f. Florus, qui ventos & tempestates cum Lucullo in Mithridatem coniurasse, seu Lu-
cullum cum fluctibus procellísque commercio habito, Regem Mithridatem ventis
debellandum tradidisse affirmauit. Sed vt vt sit, verendum est ne hinc reprehenda- Dubitatur
tur M. Tullius. Etsi enim laudationi Poëtica interdum miscere liceat, vt ornetur ora-
tio ac multò magis delectentur Auditores; hîc tamen in deliberatione versatur, ac
deliberationis gratia ad laudationem diuertit: ita vt spectandum fuerit non quid lau-
dationi concedatur, sed quid deliberationi conueniat, atque illi præsertim in qua non
modò sociorum ac Romanorum Ciuium fortunæ sed Reipublicæ dignitas ac salus
agitur. Denique quemadmodum turpe Tragicum in Comœdia, turpe Comicum
in Tragœdia, ita turpes fabulæ & hyperboles in Oratione grauissima & re tam seria,
Ego verò possem hoc in loco ex Orationibus etiam quæ in iudiciali genere aut deli- Respondetur.
beratiuo versantur, multa proferre adhuc quæ Poëtica sunt & ad hyperbolem acce-
dunt. Sed ne quis clamet eiusdem farinæ esse, ea prætermitto libens. Quanquam
cum ex Platone, Demosthene (cuius etiam rei specimen dedimus non ita pridem)
Isocrate atque optimis Orationibus afferri possint, non sanè essent contemnenda,
Possem etiã multa ex Historicis referre, qui, quod ex Floro referebam; Poëticè multa
& hyperbolicè non raró proferunt. Sed nolim vt horum quoque historicorum li-
276 centiam obiurges, quasi verò Historiæ præcepta his violent turpiter, His igitur mis-
sis, confugiam ad optimum dicendi authorem Aristotelem. Ergo Aristoteles est qui
non solum statuit nil interesse vtrum Orator fidem faciat διὰ τὸ δεικνύναι, ἢ φαίνεσθαι
δεικνύναι, quia probet vel probare videatur, atque adeò falsa, dum tamen verisimili
respersa sint, sectetur; verùm etiam verisimilia quoque illa posse interdum vsurpari
quæ per se sint falsa quidem, ac sapientibus cordatísque viris absurda videantur, sed
tamen vulgo non videantur absurda ac summatim sint peruulgata, ita vt fama ac ru-
more aliquo vsurpentur. Id quod accidit in præsentia. Etsi enim ventos, fluctus, tem-
pestates, Pompeio obtemperare quod est ad eius nutum & voluntatem intumesce-
re ac sæuire, aut etiam mitescere & desæuire, sapientibus absurdum videri posset, vul-
go tamen ac rumore dissipatum erat dum Pompeius tanta celeritate ab Italia in vlti-
mas terras peruenisset: ob id enim incredibili remigum gubernatorúmque arte ac
nouis ventis vsus vulgò dicebatur. Quid ni igitur vulgatam famam, absurdam licet,
vsurpet vt suasioni seruiat? Certè in eo posita est Oratoris laus, vt Auditorum sensus

ac

ac studia aucupetur, atque indeinde ad persuadendum sibi aperiat aditum, famam etiam falsósque rumores sequens, dummodo seruiant persuasioni. Denique scitum est illud Socratis apud Platonem; Facilè esse Athenienses laudare Athenis: sed multò faciliùs (addiderim ipse) Populo Rom. Pompeium amanti incredibilia de Pompeio prædicare. Ita vt non excusandus modò sed laudandus sit M. Tullius qui hinc 277
etiam Pompeium ornauerit; præsertim verò quia hæc veluti per transennam ac breuiter attigit. Hæc sunt inquam quæ sibi ait prætereunda de Pompeij fœlicitate; cum tamen illa occupet & acutè indicet. Hîc verò non ab re fuerit obseruasse verbum *assentio* non inusitatum esse M. Tullio. Etsi enim Gellius scribat Priscis temporibus *assentior* vsitatum, *assentio* inauditum, ac primò a Sisenna (fuit hic vetus Historicus ac Romanus Senator) vsurpatum; nobis tamen instar omnium sit M. Tullius, quem Liuius secutus est: vt Virgilium & Ouidium prætermittam quibus est familiare. Fateor tamen *assentio* nō frequenter admodum inueniri apud M. Tullium, *assentior* frequentissimè. Sed consulendæ sunt aures. Vix enim assentio offendas vnquam apud M. Tullium quin offensionis declinandæ gratia arreptum sit. Et tamen vix crediderim a nemine apud Priscos vsurpatum *assentior*, cum vsitatissimum esset dissentio, consentio, persentio, & si quid huiusmodi: Vt omittam hoc verbū videri eiusdem ordinis cum impertior, muneror, reuertor, quæ habent impertio quoque, munero & reuerto; quibus item vtitur M. Tullius.

PARTICVLA CXXVII.

Quod vt illi proprium ac perpetuum sit, Quirites, cum communis salutis atque Imperii, tum ipsius hominis causa (sicuti facitis) velle & optare debetis.



Optat M. Tullius vt cum Imperij communisque salutis tum Pompeii ipsius gratia, id; Deorum scilicet studium ac beneficentia, ei proprium sit atque perpetuum: & vt hoc Populus Rom. vellet (quod faciebat) optarétque prout debebat. Vbi dum ait *proprium ac perpetuum*, proprium peculiarem quandam hîc vim habet, quemadmodum apud Latinum Poëtam

Hunc mihi da proprium Virgo sata nocte laborem: 278

significat enim ita proprium, vt propitium quoque esse velit. Neque rursus hîc proprium a Terentiano illi distat quo Deorum voluptates proprias esse dixit hoc est perpetuas. A qua sententia nihil abest alterum illud Virgilij

Connubio iungam stabili, propriámque dicabo;

quod est connubio & stabili, &, vt inter immortales decet, perpetuo, adiungam. Ita quidem optat Cicero vt Deorum immortalium erga Pompeium studium sit proprium, idest propitium, diuturnum atque adeo, si fieri possit, perpetuum: etsi in Pompeio perenne & proprium valere potest: sic enim loquitur alibi M. Tullius, perenne ac proprium id optans quod hîc proprium ac perpetuum optat Pompeio. Neque verò abnuerim in precationibus ac votis hasce voces fuisse vsitatas, quas etiam quasi vouens ac precans exprimit M. Tullius. Vt enim rebus agendis quod faustum, fœlix, fortunatúmque sit præfabantur, ita Deos propitios aut bonum aliquod perenne ac proprium precabantur.

PARTICVLA CXXVIII.

Quare cum & bellum ita necessarium sit, vt negligi non possit, ita magnum vt accuratissimè sit administrandum: & cum ei Imperatorem præficere possitis, in quo sit eximia belli sciētia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna: dubitabitis Quirites, quin hoc tātum boni, quod a Diis immortalibus oblatū & datū est, in Rempublicam conseruandā atque amplificandam conferatis?

Id



D quod ad extremum effecerat in singulis quæ de Pompeio demonstrauerat ac prædicauerat; dum scilicet siue de bellica eius scientia, siue de virtute, siue de authoritate, verba faceret, id facit hoc quoque in loco dum ea perorat quæ de fœlicitate disputabat; nimirum
279 vnum Pompeium statuendum esse Imperatorem. Quanquam accuratiùs id cõcludit in præsentia ac multò grauiore Oratione. Cum enim quadripartitam quam instituerat de Imperatore ac Pompeio, disputationem absoluat, par erat vt rem grauiùs etiam concluderet ac maius ei tribueret pondus. Ducit igitur & cogit argumentum non ex ijs solùm quæ quadripartitò disputauit de Imperatore deligendo, verùm etiam ex ijs quæ disseruerat antea rum de genere tum de magnitudine belli. Et ideo ait primò. *Quare cum bellum ita necessarium sit vt negligi non possit;* spectans ea quæ disputauerat & concluserat de genere belli: quibus effecerat esse non modò vtile & honestum, verùm etiam necessarium, ex hypothesi tamen vt docuimus, & ideo ait *vt negligi non possit*. Addit mox *ita magnum vt accuratissimè sit administrandum*, intuẽs in ea quæ disseruit & cõclusit de magnitudine illius belli: quod ait *accuratissimè administrandum*, vt significet nihil prætermittendũ, ac propterea summum Imperatorem esse deligendum. Atque idcirco pergit è vestigio. *Et cum ei imperatorem præficere possitis in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima authoritas, egregia fortuna* (quibus egregiè quadripartitam illam virtutum aut rerum perfectionem colligit quam in summo Imperatore requirebat & in Põpeio prædicabat) *dubitabitis Quirites, quin hoc tantum boni quod a Dijs immortalibus oblatum & datum est, in Rempublicam conseruandam atque amplificandam conferatis?* Vbi sic Pompeium deligendũ concludit, vt epilogum faciat eorum omnium quæ hactenus disputauit. Atque hîc etiam fortunam pro fœlicitate vsurpari inde constat, quod hîc pro fœlicitate repetit fortunam. vsurpat verò eas voces *dubitabitis Quirites* perinde ac supra semel atque iterum fecerat non quòd dubitare illos suspicaretur, aut certè videri vellet hoc de il-
280 lis suspicari, sed vt rem eam esse indicet de qua dubitari nullo modo possit: talẽ enim in eo loquendi genere vim esse indicauimus antea. Ac fortasse illud *dubitabitis Quirites, quin hoc tantum boni, quod a Dijs immortalibus oblatum & datum est, in rempublicam conseruandam, atque amplificandam conferatis?* ad Catulum refellendum spectat, qui cum fateretur ea omnia in Pompeio reperiri, eum tamen conseruandum reipublicæ, nec nouo discrimini obijciendum, affirmabat. Itaque clamabat M. Tullius hoc tantum boni potiùs ad rempublicam conseruandam atque amplificandam conferendum; ita vt sine vlla dubitatione, vnus Pompeius pro republica & communi salute aduersus Mithridatem mittendus sit.

PARTICVLA CXXIX.

Q*Vod si Romæ Cn. Pompeius priuatus esset hoc tempore: tamen ad tantum bellum is erat deligendus atque mittendus: nunc cum ad cæteras summas vtilitates hæc quoque opportunitas adiungatur, vt in his ipsis locis adsit, vt habeat exercitum, vt ab ijs qui habent, accipere statim possit: quid expectamus? aut cur non ducibus Dijs immortalibus, eidem cui cætera summa cum salute reipublicæ commissa sunt, hoc quoque bellum regium committimus?*



Minori ad maius ducit argumentum: quia scilicet cũ Pompeius fuisset mittendus in Asiam contra Mithridatem ẽtsi Romæ, hoc est ab Asia longissimè absens, fuisset; multò magis mittendus esset cũ in Pamphiliam peruenisset, parúmque a Mithridate abesset, ita vt illũ celeriter aggredi posset. Atque eandẽ planè vim habent cętera quæ cõmemorat. Nã si deligẽdus fuisset ad hoc bellũ priuatus licet interim degisset Romæ, ac sine exercitu fuisset, quãtò magis deligendus est cũ habeat exercitũ, & ab ijs ẽt
281 qui habent, accipere statim possit? Vbi ait *ab ijs qui habent accipere statim possit*, Glabrionẽ intelligẽs, cuius ẽt exercitũ Manilius decernebat Põpeio. Subdit ẽt *quid expectamus?* Vt intelligerẽt oẽs quantũ detrimenti afferre posset cunctatio: mirũ est.n. quantũ vel vnius horæ cũctatio interdũ officiat in bello. Denique dũ ait *cur nõ ducibus Dijs immortalibus, eidẽ cui cætera summa cũ salute reipublicæ cõmissa sunt, hoc quoq; bellũ regiũ cõmittimus?*

Id pronunciat quia cum talis ac tantus imperator missus esset aduersus prædones, hoc est contra ignominiosos hostes, æquum erat vt contra reges etiam toto Oriente celeberrimos mitteretur. Et eodem in primis spectat, quòd cum cætera bella Pompeio demandata sint summa cum reipublicæ salute, haud cunctandũ esset hoc quoque illi pro reipublicæ salute cõmittere. Atque hic sanè videtur mihi noster author id tacitè refellere, quod tacitè contra Pompeium obijciebat Catulus & Hortensius; cauendum scilicet ne Pompeius tali ac tanta potentia auctus, rempublicam occuparet. Si enim (inquit M. Tullius) hactenus Pompeio tot ac tanta commissa sunt bella atque omnia cum salute reipublicæ, cur verendum est ne eidem hoc quoque bellum cõmittamus? Et huc etiam spectat quod ait *ducibus dijs immortalibus*: ex anteacta enim fœlicitate ac Deorum immortalium optima voluntate coniecturã facit de futura; simúlque fausta ac fœlicia, non infausta & calamitosa, quemadmodum illi, ominatur.

Confirmationis præcepta. Iam verò postulat ratio, vt quoniam ea omnia declarauimus quibus Cicero suam confirmauit sententiam, Confirmationis præcepta breuiter afferamus, & quàm egregiè illa coluerit noster author, doceamus. Cum enim id & in Propositione & in Narratione præstiterim, certè in Confirmatione quæ potissima est pars orationis nõ sine crimine prætermittatur. Ergo quæ ad hanc pertinent, breuiter, sed accuratè, perstringamus. Etsi enim Refutatio quam nondum attigimus videri possit Confirmationis pars, ac propterea ad Refutationis finem referri poterat tota hæc præceptio, verumtamen opportuniùs, mea quidem sententia, & de Confirmatione & de Refutatione seorsim ac distinctè præcipietur ac disputabitur. 282

Definitur prius & declaratur. Sit igitur Confirmatio (sic enim Rhetores) nostrorum argumentorum cum asseueratione expositio; asseuerationem cum dico, vehementem comprobationem intelligo, qua explicatè satis & exaggeratè firmamenta nostræ opinionis proponuntur explicantúrque diligenter, vt in auditorum animis, quoad eius fieri possit, imprimãtur. Et sanè cum persuadendi ac vincendi spes tum in nostrorum argumentorum expositione, tum in aduersariorum depulsione, sit posita & collocata, videndum est primò vt nostra argumenta aptè exponantur, hoc est ad fidem faciendam accommodatè. Et quanquam affectus quoque & mores valent ad fidem ac victoriam, hi tamen sunt additamenta quædam, & cum causa non necessariò coniuncta: ita vt ab æquo auditore & cauto affectus & mores contemnantur. Denique affectus ipsi tum demũ facilem inueniunt aditum, cum auditor bonis rationibus in nostram sententiam adduci cœperit & inclinari. Ita vt Confirmatio sit germanum causæ firmamentum (vt Aristoteles loquitur) *τὸ σῶμα τῆς πίστεως, corpus fidei faciendæ*. Age dum igitur Confirmationis præcepta afferamus; & vt exponantur commodiùs, certo illa ordine & per capita subijciamus. Primùm illud sit; oportere Oratorem a Natura benè fictum

I. Præceptũ. esse & ingeniosum; vt scilicet ea celeriter excogitet ac peruestiget quæ in vnaquaque re idonea sunt ad fidem faciendam. Et ideo M. Tullius celeres quosdam animi motus requirit in Oratore, quibus quæ fidē gignere possint exploret animaduertátque. 283 Et quanquam ingenium quoque excoli possit, ac studio augeri & perfici; idque tum multarum artium ac rerum cognitione, tum vsu dicendi & exercitatione, nisi tamen Natura benigna sit, ægrè vsquam summus euadas. Cui enim Natura sit nouerca, is difficulter vnquam in Eloquentiæ curriculo magnopere proficiat. nihil enim inuita

II. Minerua. Alterum, quod præceptionis est magis proprium; illud sit; factum ipsum de quo oritur controuersia, diligenter examinandum & circumspiciendum, ac propterea causas, euentus, & quæ rem circumstant, personas, loca, tempora, conditionésque omnes explorandas. Neque enim fieri potest vt quis aptè causam tractet, nisi quæ illi insunt, quæue illam circumstant & comitantur, perspexerit diligenter. Et ob id Plato in Phædro iubebat vt Orator non antea ad dicendum veniret, quàm veritatem accuratissimè explorasset. non enim eò spectabat vt vellet Oratorem certis argumentis & exploratis vti more Mathematicorum, cum in coniecturis plerunque nitatur causa: sed vt, quoad eius fieri posset, facti totius cognitionem assequeretur; ne temerè deinde sed intelligenter de re ipsa loqueretur. alioquin vel flumine inanium verborum irrigetur vel arescat oratio. Tertium, verò sit huiusmodi locos

III. omnes esse tenendos, siue eos velis qui Oratori cum cæteris artibus & facultatibus communes sunt: siue illos qui sunt communes tribus tantùm generibus

284 tibus causarum: siue denique singulorum generum sunt proprij. Nam loci quidam argumentorum vt verbi gratia a maiore & minore, a causa, ab effectu, ab ethimologia & similibus, ij sunt quibus quisque artifex vti potest ac solet. nil enim prohibet quominus & Iurisconsultus & Physicus & Moralis & Dialecticus & Orator & quiuis alius a causa aut ab effectu ducat argumentum. quo fit vt hæc argumenta nullius facultatis sint propria: & ideo eorum sedes ac loci dicuntur

Ar. l.1. Rh. communes. atque hinc fit vt istorum cognitio locorum neminem (id quod obseruat Aristoteles) peritum faciat alicuius artis, cum nullam habeant propriam materiam subiectam. Alij verò loci sunt proprij quidem Oratoris, sed qui tamen conue-

Ar. li.2. cap.23. l.2.c.19. nianr in omnes causas, tam inquam deliberatiui quàm Iudicialis aut demonstratiui generis: vt propositiones quæ ducuntur ex iis quæ fieri aut non fieri possunt, de ijs quæ futura aur non furura, de facto aut non facto, de magno aur paruo: ac de his magnam nobis propositionem veluti syluam obijciunt Rhetores vnde in quolibet causæ genere argumentationem conficiamus. etsi enim ex locis istis aliqui certo alicui generi aptiores videri possint (nam locus de ijs quæ fieri aut non fieri possunt aut de facto aut non facto iudiciali, de iis quæ futura aut non futura deliberatiuo, de magno aut paruo demonstratiuo, videri solet magis accommodatus) omnibus tamen seruiunt si Aristoteli credas. Sed & alii denique sunt proprii singulorum generum loci:

285 sunt enim qui propositiones suppeditent atque argumenta deliberatiuo tantùm generi, quiue demonstratiuo aur iudiciali; nimirum pro finis varietate. cum enim deliberatiuo proposita sit vtilitas, iudiciali æquitas, demonstratiuo honestas, debet Orator in promptu habere certas propositiones quibus suadeat id quod est vtile, alias quibus æquitatem, alias quibus honestatem: atque has propositiones, hæc argumenta, profert Aristoteles in libro primo Rhetoricorum. aliæ enim sunt propositiones quæ ducuntur ex beatitudine & conueniunt deliberatiuo generi; aliæ quæ ducuntur aliunde, & conueniunt demonstratiuo aut iudiciali: & ideo longè ac latè disputauit Aristoteles de beata vita déque illius partibus omnibus, cuiusmodi est nobilitas, polyphilia, christophilia, diuitiæ, bona aut multa proles, sanitas, gloria, bona fortuna, prudentia & si quid huiusmodi. Sic de bonis confessis, déque huius generis aliis: sic de virtutibus, quarum propositiones nobis offert propter genus tam deliberatiuũ quàm demonstratiuum: sic de iustis & iniustis, vt argumenta conflemus quibus in genere iudiciali versemur pro dignitate. Quartum sit illud; vt si narraueris, eo quo narraueris ordine, argumenta inde, quoad tamen fieri possit, depromas: sic enim cũ tuæ tum auditorum memoriæ consules & intelligentiæ. Dixi *si narraueris*, quia si narratio, quod sæpè fit, fuerit prætermissa, hoc fœnore solutus eris ac labore. Contra verò si ea vsus fueris, eius ordo non facilè erit contemnendus. cùm enim Narratio sit sedes argumentorum, par est quidem, vt quo hæc in Narratione disposueris ordine, IV.

286 eodem in illis explicandis, perpoliendis, amplificandi vtaris. Addidi *quoad eius fieri possit*, quia Physici & Mathematici, antequam suas confirment conclusiones, seu probent decreta & theoremata, solent quædam vel axiomata vel postulata siue sumptiones & propositiones præmittere, vt ex ordine deinde liceat iis vti ad conclusiones & problemata comprobanda: ex quo fit vt bellè sibi respondeant. At Orator, cui in Narratione habenda est loci, temporis atque aliarum rerum multarum ratio aliqua, in primis verò rerum gestarum quas narrat, sequendus ordo, non facilè potest sic Narrationem pertexere, vt singulæ Narrationis partes singulis Confirmationis partibus ordine planè respondeant. Et ideo eatenus tueatur Narrationis seriem, quatenus instituta ferat Confirmatio atque suasio. Iam verò Quintum illud sit. Qui vel in Exordio vel post Exordium res dicendas distribuerit; huic res illas seu partes ex ordine omnino tractandas esse in Confirmatione. Tametsi id par est de summis seu generalibus partibus intelligere, quásque ita distribuerit, vt ordinem tibi ipse præfixisse visus sis. Nam in minoribus quibusdam partibus ordo non est mordicus aut minutè retinẽdus. Sextum sit tale: Rationes plausibiles omnino ac firmas ab initio esse afferendas. plurimum enim refert primo quoque tempore Auditorum occupare ani- V. VI.

287 mos, & fidem sibi conciliare. Contra verò vbi ab initio minus firmis vtaris argumentis, verendum est ne simulare cœperit auditorum fides, ægrè amplius illam recuperes. Postremum tamen argumentum sit validissimum, vt quasi robustissimus aries au-

ditorum animos expugnet atque peruadat, quæ enim postremò afferuntur, si magnā
habeant probabilitatem ac vim, ea fidem gignunt maximè. Ita sanè minùs firmas in
mediam veluti aciem coniicere licebit. vbi enim primis assensionem tibi paraueris, &
verò auditor nonnihil defessus sit, non facilè discernentur. Denique bonū Imperato-
rem imitetur oportet bonus Orator: vt enim ille fortes milites in prima collocat acie,
vt ad victoriam quamprimùm sibi aperiat aditum, tyrones in mediam coniicit, tria-
rios, in quibus summa spes, ad extremam; sic argumenta diligens ac nauus disponit
VII. Orator. Quanquam vbi non vndique firmæ ac probabiles (atque hoc sit præceptum
Septimum) se se offerant rationes, aut etiā infirmæ, satius sit paucas ac formas arripe-
re, quàm multitudine certare. Itaque dabis operam vt in paucis illis insistas, has expo-
lies, exaggeres, vrgeas in aduersariū; atque id, quātumuis paulò breuior euaderet ora-
tio: breuitas.n. vix vnquam ingrata esse solet. Tametsi bonus Orator, vt tēpus fallat,
& digredi nonnihil possit, & facetum aliquid interponere, quo & orationem simul
producat, & fessas delectet aures ac recreet. Ex quo etiam fiet, vt cum auditorū au-
res recreaueris, eum postremum argumentum, quod diximus robustissimū esse de-
bere, auditorum animis tum expugnandis pondus habeat maximum, tum iisdē sub-
VIII. inde inflammandis aditū aperiat opportunū. Sed & prouidendum erit (hinc verò tibi 288
Octauū extet præceptum) vt ne argumenta, quantumuis firma aut probabilia, spissa
sint & inculcata nimis: fatigant enim Auditorū animos, ac memoriā impediunt &
intelligentiā, simúlque fastidium gignunt facilè. Et hac ēt de causa præstat in mediis
veluti spatiis contentionem relaxare, atque aliquid appositè ingenioséque interpone-
re, quod auditores delectet: tum rursus alacres animos (vt dicebam) argumētorum
IX. momentis breuiter rursus impellere. Neque verò (vt alterū præceptum depromam)
cōmittendum est vt Confirmationem sic instruas ratiocinationibus, vt prætermittas
exēpla. quin apud multitudinem, præsertim in Deliberatiuo genere, exēplis maximè
erit agendum. Etsi enim rationes vrgent vehementiùs, ac rem magis euincunt, exem
pla tamen intelliguntur cōmodiùs, delectant, alliciúntque aures & capiunt. Et idcirco
quemadmodū iubebat Aristoteles vt nō modò enthymematicus verū ēt paradigma-
ticus esset Orator; ita præcipiebat vt historiarū monumenta & antiquitates diligēter
exploraret, ex quib. sibi exemplorum veluti syluam pararet. Ac M. Tullius cum anti-
quitatem omnem Oratori perdiscendam monuit, tum maximè Romanam antiqui-
tatem vniuersam. Denique vt rationibus instruas orationem, moralis ciuilísque scien
tia tenenda est, qua quicquid ad mores ac virtutes Politicámue gubernationem per-
tinet, continetur: vt exēplis agas, rerum gestarum exēpla sunt exploranda. ita quidem
X. egregiè instructa & luculenta erit Confirmatio. Quanquam (atque ita ad postremū 289
præceptū mea dilabetur oratio) erit adhuc summo studio elaborandū, vt quæ inue-
neris & disposueris, exornes illustrésque orationis luminibus & ornamētis. vt nimirū
nō modò purè & emendatè dicas & perspicuè, verùm ēt ornatè ac splendidè. Itaque
verborū ac sententiarū figuræ obseruandæ sunt, quibus orationē nō dico cōpleas, sed
moderatè respergas tuā. etsi.n. nō passim tropis vtendum ac figuris, vbi tn̄ non studio
quæsitæ fuerint, sed vltro quodāmodo se se offerant (pleræque.n. naturaliter quodā-
modo ac nè cogitātib. nobis occurrunt; ita vt ars illas notauerit in Naturā intuens)
excipiendæ sunt. Quapropter quēadmodū argumentorū gratia topici loci oēs ac pro-
positionū sedes cognoscendæ sunt, ita sanè vt eādē argumēta quasi purpura quadā cō
uestias quicquid ad Elocutionem pertinet siue propriam siue peregrinā (receptā tn̄)
aut trāslatā, cognoscas oportet. Tametsi multa ex Grāmaticis spatijs colligenda sunt
antea, ne in Eloquentiæ Schola de pura & emendata aut propria locutione quasi tyro
sis solicitus. Atque in ijsdem spatiis, quoniā ibi Poëtas & Historicos tractasse oportet;
orationis numerū eiúsque varietatē, decorū ēt agnoueris. denique authores qui tibi
in Grāmaticæ ludo tractandi sunt, si non negligenter euoluantur, hi sanè viā tibi mu
niant ad eloquentiā, quam deinde in Rhetorum officina fœliciter peragres ac teras.

Eadē præcepta in Maniliana obseruantur.

Nunc proposita Confirmationis præcepta in Mamliana breuiter agnoscamus: Etsi
.n. certū est nō omnia Confirmationis præcepta in vna eâdēque oratione esse requi- 290
renda, quēadmodū nō oēs tropi & figuræ in vnā eādémque orationē facilè aut oppor
tunè cadunt, nec omnib. aut Narratio aut Distributio adhibetur, aut sales digressio-
nésue miscētur & interponūtur, ita vt Cōfirmationis præcepta ad vniuersū genus sint
referenda;

referēda; plérãq; tñ in Cõfirmationes cõueniunt singulas: in Maniliana verò se se offe-
rũt plurima. Sed dicamus de singulis. Ac primò dũ præcíperã in Cõfirmatione maxi- I.
mè ingenium a Natura exoptandũ quo celeriter excogitemus ea quæ in re proposita
valent ad persuadendum, id ex Maniliana quoque intelligere licet. quorsum enim
in ea Hortensium ingenij laude tantopere extollit Cicero (id quod in Refutatione
audiemus) nisi quia Eloquentia, in qua per idem tempus principem obtinebat lo-
cum, ab ingenio maximè proficiscitur? Et huc etiam pertinet quòd dum Cn. Pom-
peium ingenij nomine ac virtute celebraret, id ea ratione confirmabat, quòd Populo
Rom. eius & consilium & dicendi grauitas & copia perspecta esset. Sed mitto isthæc,
atque illud affirmo, quæ ad Manilianam pertinent legem, multis ab Appiano, Plu-
291 tarcho, Dione, Floro, Iustino atque alijs commemorari, quos ego omnes non dili-
genter modò sed curiosiùs peruolutaui: & tamen vix ac ne vix quidem quicquã de-
prehendi vnde ad Manilianam hanc Confirmationem vlla fieri posset accessio; vsque
adeo optimis argumentis, quod pertinet ad Confirmationem ac persuasionem, in-
structa est. Vt propterea Oratoris nostri ingenium in ea mirificè eluceat. Atque hinc
licet animaduertere factum Ciceroni vsque adeò fuisse perspectum, vt nemo ad eam II.
causam orandam accedere posset instructior. Nam si quæ sunt quæ in hac causa ex
historijs proferas quæ reticuerit M. Tullius, ea sanè consultò reticuisse animaduertas:
neque enim historiam texebat in qua nihil prætermittendum, sed quæ ad persuaden-
dum idonea videri poterant, afferebat: ita vt rerum tam reticendarum quàm dicen-
dàrum delectus esset habendus. Locos verò siue topicos siue Oratorios Ciceroni III.
longè antea fuisse perspectos quàm hanc orationem haberet, ex oratorijs quæ edide-
rat monumentis clariùs est quàm vt in præsens commemorandum sit. Tantùm di-
cam M. Tullium ad eos non modò adolescentem verùm etiam matura iam ætate
mentem ac studium retulisse, ita vt topicas sedes atque adeò Eloquentiæ fontes non
solùm egregiè perspexerit, verùm etiam suis Ciuibus commonstrarit luculentè: id-
que Aristoteleis documentis retentis, & in suos libros deriuatis. quod sanè tum nos
sæpè obseruauimus in hac Maniliana, tum suo quisque studio dignoscat qui triparti-
292 tam illam locorum varietatem in ea reputet diligenter. Iam verò in eâdem Confir-
matione Narrationis ordinem quoad eius fieri posset conseruasse, inde constat, quia IV.
cum tripartita futura esset confirmatio, ac de genere belli, de magnitudine belli, de
imperatore deligendo, esset disputandum, quicquid in Narratione habetur, huc per-
tinet totum. Itaque vt ostenderet quale, hoc est quàm honestum est necessarium es-
set bellum illud, quàm graue item ac periculosum, exposuit bellum illud vectigalibus
inferri ac socijs Populi Rom. atque a duobus potentissimis Regibus inferri, qui Asiã
occupare niterentur. atque hinc sibi viam sternit vnde totum hoc de belli & genere
& magnitudine argumentum tractet copiosissimè. Mox etiam quemadmodum eò
rem in Narratione traduxerat vt diceret vnum ab omnibus sociis imperatorem de-
posci, vnum ab hostibus metui (Pompeium scilicet) præterea neminem, hinc sibi
campum aperit vnde Pompeium mirificè extollat, eundémque vnum tali ac tanto
bello idoneum esse ostendat, ac propterea efficiat vnum Pompeium in hoc bello gra-
uissimo Imperatorem esse deligendum. De qua re, quoniam diximus etiam ab ini-
tio, non faciam longiùs. De quinto autem nihil attinet dicere: nam quæ tripartita V.
293 diuisione proposuit, ea tripartita disputatione & ex ordine prosecutus est. Quod si
Luculli interposuit laudationem, dum secundam partem, magnitudinem inquã bel-
li, explicaret; iam ostendimus eiusmodi laudationem consultò ac scitè fuisse interpo-
sitam: ne scilicet Lucullo inuidia crearetur. Et idcirco vel quia Lucullum etiam sibi
iam antea opportuniore loco laudandum receperat, vel quia eo laudato, appositè sta-
tim redit ad propositam belli magnitudinem, eámque prosequitur & absoluit, res
est planè integra. Ita vt Confirmatio Narrationi bellè respondeat ac Distributioni. Id
quod obseruare quoque licet dum ad postremam partem descendit, ac differit de Im-
peratore deligendo, quadripartitam huius gratia disputationem proponẽs: has enim
partes singulas ex ordine prosequitur; de militari scientia, de virtute, de authoritate,
de fœlicitate, prout proposuerat, verba faciens. quem ordinem in Epilogo etiam con-
seruat. Quod si de Virtute sic differit, vt eam rursus in multas partes seu virtutes di-
uidat, nec de omnibus eo planè ordine dicat quo enumeratæ sunt, iam docui in mi-

noribus partibus nihil interesse si tantisper commutes ordinem. quid enim refert obsecro si de Pompeij facilitate priùs egerit quàm de fide, quamuis fidem enumerasset priùs? Denique minutis in rebus seu partibus artificium dissimulandũ potiùs
VI. quàm ostentandum. Jam verò rationes sine dubio graues sunt omnes ac probabilitate plenissimæ; ita vt nullæ fuerint minùs probabiles quæ consultò in mediam veluti 294
aciem conijcerentur. Sed tamen interim nobilitatis habita est ratio: nam primò argumentum duxit a gloria, postremum a salute ciuium Romanorum, medio eas collocans loco quæ a vectigalibus ac socijs ducebantur: hæ enim, quantumuis momenti maximi, parem splendorem ac dignitatem cum illis haud referunt. Nec dissimili industria disposuit rationes reliquas dum de cæteris verba faceret. Sed & septimum
VII. & VIII. octauúmque præceptum in Maniliana enitet dum non tam certat rationum multitudine quàm pondere & grauitate, nec spissiores inculcat rationes ac frequentiores; ex quo fit vt ei licuerit illas exaggerare, illustrare, amplificare, aliquid etiam interponere quo & fessas recrearet aures (atque huc in primis pertinet nobilis Medeæ fabula & in vniuersum elegans Luculli laudatio) ac ne auditorum memoriam & intelligentiam obrueret prouidere.
IX. De exemplis verò superuacaneum est dicere: mirum est enim quàm præclaris Romanæ antiquitatis exemplis instruxerit orationem. itaque verissimè affirmari potest Manilianam non minùs paradigmaticam quàm enthymematicam esse, atque exẽplorum splendorem cum rationum grauitate certare. Denique de ornamentis ac luminibus orationis quibus illustrauit disputationẽ, déque verborum sententiarúmque delectu, longum esset dicere: passim enim orationis candor elucet ac perspicuitas; passim pigmenta Rhetorum apparent & ornamenta: præsertim verò in Pompeij laudatione quæ illis maximè omnium gaudet. 295
ita vt iure ac meritò apud Atticum glorietur noster Orator se in Maniliana pigmentis omnibus atque luminibus Pompeium expressisse & illustrasse. Ita sanè quæ proposuimus Confirmationis præcepta, se se omnia ferè in Maniliana offerunt eleganter. Venio ad Refutationem.

PARTICVLA CXXX.

REFVTATIO. *AT enim vir clarissimus, Reipublicæ & vestris beneficijs amplissimis affectus, Q. Catulus; itémque summis ornamentis honoris, fortunæ, virtutis, ingenij, praditus Q. Hortensius, ab hac ratione dissentiunt.*



AD refutationem descendit. vt enim in iudiciali genere, ita in deliberatiuo, par est aduersaria, si quæ occurrunt (occurrunt verò sæpè) refellere argumenta. Is enim sibi fidem conciliat facilè qui non solùm bonis rationibus sententiam confirmat suam, verum etiam coarguit aduersarias. Huc igitur se se refert M. Tullius, atque ita refert, vt admirabilem quandam solertiam atque industriam animaduertere liceat. Sic enim Manilianæ legis obtrectatoribus aduersarijsque resistit, vt sine criminatione ferè vlla & offensione, quin etiam cum laude, illos refellat. Quæ sanè confutandi ratio, vbi id res patiatur, tam in Iudiciali genere quàm in Deliberatiuo colenda est diligenter: nam & dicentis humanitatem ac probitatem declarat, vnde apud Auditores conciliatur augeturque fides: & verò inuidiam minuit apud aduersariòs ipsos, interdum etiam eam depellit omnem; præsertim verò quia interim Hortensio & Catulo gratius esse potuit & verò debuit a tam laudato viro laudari, quàm molestum eidem sententiam illam non probari. Adde quod Patres isti Populo Rom. a quo tot honoribus affecti fuerant, non poterant non esse carissimi: ac propterea videndũ erat M. Tullio vt Pompeio ac Populi Rom. voluntati sic faueret, vt ne illis Patribus contumeliosus esset: malè enim sapit, qui alijs non sibi consulit ac sapit. Hac igitur de causa Catulum & Hortensium sic pro Manilianæ legis aduersarijs cognoscit ac promulgat vt eos eodẽ tempore summis efferat laudibus. A Catulo verò incipit, quippe qui tum ætate, tum facilè authoritate, antecibat: erat enim vir Consularis, & consularem 296

rem auum habuerat, ac Patrem triumphalem: denique tum nobilitate tum dignitate ac virtute clarus videri poterat. Iurè igitur clarissimus (qua sanè appellatione vix vlla maior fuit apud Romanos) appellatur, simúlque Reipublicæ ac Populi Rom. beneficijs amplissimis affectus dicitur; quòd nimirum ab ijs ad summam illam dignitatem euectus fuerat. cum enim Sylla se Dictatura abdicasset, & Consularia
297 Comitia in pristinum restituisset, Q. Catulus statim vnà cum M. Aemilio Lepido Consul renunciatus est. Pergens verò M. Tullius ad Q. Hortensium, hunc summis ornamentis honoris, fortunæ, virtutis, ingenij præditum appellat. Vbi fortasse ornamenta honoris refert primò, in magistratus intuens quos gesserat; & in consulatum in primis: nam trienio ante vnà cum Q. Metello Cretico Consul fuerat. Tametsi, quoniā in foro & curia propter eloquentiam mirificè floruit, atque hinc magnus illi honor habitus est, nihil prohibet quominus eloquentiæ famam ac laudem quoquo modo honoris intelligat nomine. Addit *fortunæ* propter opes, fortasse etiam propter nobilitatem. Cum enim Naturæ mentionem faciat nullam, verisimile est nobilitatem ad fortunæ bona quibúscum sine dubio coniuncta est, retulisse. Certè Aristoteles in libro primo Rhetoricorum nobilitatem cum diuitijs inter fortunæ bona enumerauit. Subdit *virtutis* propter probitatem atque optimos mores, *ingenij* propter consiliū, aut doctrinam fortasse ac sapientiam: nam hæ sunt mentis ingenijque virtutes: quamuis prudentiam sigillatim intelligit, ac (si placet) eloquentiam: nam paulò antè ob consilium planè & eloquentiam Pompeio ingenij tribuerat laudem. Denique quicquid sit, Naturæ, animi, fortunæ bona in eo agnoscere licet: Naturæ, propter ingenium, ac fortasse propter nobilitatem: nam ad naturam, eodem etiam Aristotele authore, non temerè referatur. Animi, propter prudentiam ac cæteras virtutes studio & exercitatione comparatas: fortunæ, propter opes atque honores. Et huc recidit res, si bona in externa diuidas & insita: illis enim honores ac bona fortunæ, his bona corporis atque animi continentur. Quo in loco, dum summis ornamentis honoris Hortensium celebrat, fortasse non temerè suspiceris ad eius nomen
298 quoquo modo allusisse: voces enim illæ *ornamentis, honoris* cum Hortensij nomine aliquid consentiunt. Hos igitur quos refellere decreuerat, laudat priùs noster Cicero, continentérque *ab hac ratione*, Manilianæ scilicet legis & Pompeii deligendi consilio, eos dissentire affirmat.

PARTICVLA CXXXI.

Quorum ego authoritatem apud vos multis locis plurimùm valuisse & valere oportere confiteor.



Pergit in laudatione, illorum commendans authoritatem: præsertim cum satis perspectum haberet eam apud Populum Rom. valuisse & valere oportere multis locis, in curia scilicet ac foro, seu domi forísque, vel potiùs sæpè ac varijs temporibus: nam locus interdum significat tempus ac rei gerendæ opportunitatem. Itaque Terentius *in loco*, pro tempestiuè seu opportunè, dixit: & Horatius, *Dulce est desipere in loco*, idest opportunè: & Cicero, *Amicato nullo loco defui* & rursus *Bruto certè nullo loco diero*: & alibi, *Nullo loco mihi deesse vis* vbi nullo significat nunquam, vbi opus sit; siue vbi se se offerat opportunitas.

PARTICVLA CXXXII.

Sed in hac causa, tametsi cognoscitis authoritates contrarias fortissimorum & clarissimorum; tamen omissis authoritatibus, ipsa re & ratione exquirere possumus veritatem. atque hoc faciliùs, quòd ea omnia, quæ adhuc a me dicta sunt, ijdem isti vera esse concedunt, & necessarium bellum esse & magnum, & in vno Pompeio summa esse omnia.

Sensim


Ensim conuertit velum noster Orator, ac postulat vt sibi liceat in ea causa rationibus agere atque authoritates mittere. etsi enim vbi authoritate certandum, haud superior discederet Hortensius & Catulus, cum contrariæ fortissimorum & clarissimorum virorum authoritates essent in promptu, quas etiam animaduerteret & cognosceret Populus Rom. (has Cicero attinget infra) nunc authoritates iuuat prætermittere, ac re ipsa rationúmque momentis veritatem exquirere & examinare. ac iure. nam tum demum ad humanam authoritatem confugiendum cum non occurrit ratio: vel certè sic vsurpanda vt rationi longo cedat interuallo. authoritas enim, quippe quę non a re ipsa, sed extrinsecus arripitur, infirma est, aut saltem minus habet roboris ac firmitatis: ratio, quoniam ex re ipsa duci solet, solida est, momentúmque habet magnum: & ideo monet ex re ipsa non extrinsecus arripi. Quod tamen postulat, non quia non rationibus etiam certarent illi (id quod paulo post cōstabit satis) sed quia rationibus interim agi oportebat, posthabita tantisper (vt par erat) authoritate, & ideo authoritatibus etiam certabit ad extremum ne non his quoque abundare ac fortasse aduersarios superare videatur. Et sanè rationibus eò magis rem peragere molitur Cicero, quòd quæ suæ ratiocinationi conflandæ adhibuerat, ea aduersarij omnino faterentur; nimirum bellum esse necessarium, magnum, & in vno Pompeio summa esse omnia. ex quo fiebat vt si bellum erat necessarium, omnino gerendum esset, ac propterea Imperator instituendus: si magnum, magnus etiam imperator deligendus. Ita vt cum in vno Pompeio summa essent omnia, ac propterea nullus cum eo conferri posset, ipse deligendus esset. Sed audiamus quid aduersarij obijcerent. neque enim credi potest hos in authoritate sic niti vt pro sententia nil afferant sua. 299

PARTICVLA CXXXIII.

QVid igitur ait Hortensius? si vni omnia tribuenda sint, vnum dignissimum esse Pompeium. Sed ad vnum tamen omnia deferri non oportere.


Efert primò Q. Hortensij rationem: nam vt dicere cœperam, rationibus agebant etiam aduersarij, non authoritate solùm: Ea igitur ratione oppugnabat Hortensius Manilianam legem, vt diceret si vni sint tribuenda omnia, vnum Pompeium esse dignum cui tribuantur: sed tamen non ad vnum omnia deferri oportere. Id quod affirmabat Hortēsius, quia Manilius lege illa Pompeio multò plures adhuc Prouincias decernebat ac plus authoritatis tribuebat quàm fecisset Gabinius. ita vt omnia ferè Pompeij potestati subijcerentur. Negabat igitur omnia vni esse deferēda. Hæc verò Hortensij ratio multò plura indicabat quàm exprimeret. Verebatur enim Senator iste optimus ac Reipublicæ studiosissimus ne Pompeius tali ac tanta auctus potentia, rempublicam occuparet; præsertim verò quòd Syllam haberet ante oculos, cuius partes secutus fuerat. Et sanè prudentis est libertatem nullius committere potestati: nam dominandi libido facilè incendit animos, ita vt ne iusiurandi sacramento muniatur satis. quod enim apud Tragicos legimus, si violandum est ius, regnandi causa violandum, id sanè frequenter contigisse compertum est: ac multò magis de illo timendum cui se se Terrarum Orbis offerat dominatus. Denique Regnum res est inter Deos (vt cum Liuio loquar) hominésque pulcherrima, ita vt vbi se se offerat occasio, mortales allicere possit & ad tyrannidem impellere. Id igitur verebatur Hortensius: quàuis inuidiæ declinandæ causa illud vnum proferre audebat, non vni omnia esse concedenda. tametsi ei qui rem æstimaret diligenter, indicaret satis quid pertimesceret & quò spectaret dum huic legi his verbis repugnaret: ita vt sine dubio multò plura indicaret quàm proferret, in primisque documēto hoc prudentissimo cum modestiæ seruiret, tum inuidiæ periculo Patriæque consuleret. Sed iam huiusce refutationem rationis audiamus. 300

PAR-

PARTICVLA CXXXIV.

OBsoleuit iam ista oratio, re multò magis quàm verbis refutata.



HAnc ipsam rationem vsurpauerat Hortensius cum de Imperatore aduersus Piratas deligendo legem rogaret Gabinius. Vt enim tunc etiam illud propugnabat Hortensius, ne talis tántaque authoritas vni tribueretur, qualem & quantam Pompeio seu Imperatori deligendo attribueret Gabinius, sic in præsens, dum Manilius Gabinij exemplo tam ingentem Pompeio tribuit authoritatem, vni omnia concedenda negat Hortensius. Itaque iam obsoleuit (inquit M. Tullius) ista oratio. Et sanè cum verus esset atque aliàs decantata, & agitata obsoleta quodammodo videri poterat. Ait verò *re multò magis quàm verbis*, ea fortasse de causa quòd Populus
301 Rom. vehementer exarsit contra Senatum qui Gabinio minitatus esset dum hanc ferret legem: quin arma sumpsit contra Patres, ita vt ij fuga sibi consuluerint. Quanquam L. Piso Consul interim a Populo captus est, interfectúsque fuisset, nisi Gabinius ipse precibus intercessisset. Vt propterea iurè dicat re ipsa potiùs quàm verbis istam Hortensii orationem esse refutatam: nam Senatus hac in re Hortensii sententiam amplexus erat. Tametsi nihil obstat quominus dicat *re multò magis quàm verbis refutata*, intuens in præclara Pompeij facta, qui Hortensii dubitationem ac suspicionem præclaris factis reiecisset. Itaque clam etiam refelleret M. Tullius tacitam Hortensii vel querelam vel dubitationem. Sed de hac re paulò post. Nunc eundem M. Tullium audiamus qui cum dixisset Hortensii orationem obsoleuisse, statim, ne hoc vno dicto niti videretur, quod fortasse facetum magis & argutum quàm graue ac solidum haberi poterat, robustiorem arripit machinam. etsi priùs docet cur dixerit eam orationem obsoleuisse: & ideo pergit,

PARTICVLA LXXXV.

NAm tu idem Quinte Hortensi multa pro tua summa copia ac singulari facultate dicendi, & in senatu contra virum fortem A. Gabinium grauiter, ornatéque dixisti: cum is de vno Imperatore contra prædones constituendo legem promulgasset: & ex hoc ipso loco permulta idem contra legem verba fecisti.



EX quibus intelligitur quandónam & quo nomine eam Hortensius orationem ac sententiam pronuntiarit, & cur proinde M. Tullius eam obsoleuisse dixerit. Itaque non possum non mirari totam hanc Hortensii in Gabinium ac Pompeium contentionem fuisse a Plutarcho in Pompeio prætermissam, cum & Catuli & Roscii contentionem Gabinii legem dissuadentium referat copiosè: de Hortensio ne verbum quidem. Id quod multò magis mirandum est in Dione qui rem hanc vniuersam prosequitur adhuc longiùs: etenim non solùm hanc & narrat & Catulo ascribit sententiam, verũ
302 etiam eius describit concionem, in qua illud pronunciat inter cætera, *Primum hoc est præcipuum dico, Non debere vni alicui viro tot imperia vnum ex alio commiti:* Et hoc est quod pugnat tota concione illa, indicans hinc olim orta reipublicæ pericula, ac nunc iterum imminere, vbi tali ac tanta potentia augeatur Pompeius. Sed quoniã M. Tullius his rebus interfuerat, & eos alloquebatur qui item non modò interfuerant sed præfuerant, ac rem narrat quæ per idem ferè tempus contigerat, omnino existimandum est vel Plutarchum & Dionem quippe qui posterioribus seculis floruerunt ac rem peruetustam scripserunt, lapsos esse, Catulo id tribuentes quod Hortensio acceptum erat referendum; vel certè quoniam magna ac multa probabilitatis ac veritatis indicia præfesert horum oratio ac testificatio; fatendum est hoc idem argumentum copiosè ab Hortensio quoque tractatum esse, dum dissuaderet Gabinii legem,

Fuit

Fuit enim in more positum vt in re graui multi continenter dicerent: id quod ex Plutarcho & Dione ipso hac in re contigisse intelligitur, cum Roscium etiam rostra scribant conscendisse Gabiniam legem dissuasuri. Imò Cicero ipse infrà scribit *Bono te animo Quinte Hortensi Populus Rom. & cæteros qui erant in eadem sententia, dicere existimauit ea quæ sentiebatis*. ex quo fit vt verisimile sit primò dixisse Catulum: sed cū ætate grauis esset, paucis: tum Hortensium quippe qui & viribus erat firmior & præstabat eloquentia, eandem Catuli sententiam secutum copiosè dissuasisse Gabinianam legem. Quod si obiicias ex Dione multò verò magis ex Plutarcho satis coniici neminem, cum Populus Catulo repugnasset, & Roscio obstrepuisset, ausum esse quidquā addere; iam quicquid sit, Ciceronis authoritas nobis instar omnium esse debet: cum præsertim hac de re Hortensium obiurget: quod vbi nil tale in rostris & ad populum pronunciasset, turpiter faceret nec sine mendacio. & hinc etiam fit, vt cum Hortensius non in curia & in senatu tantùm verùm etiam (Cicerone teste) in rostris contra dictam legem verba fecerit, non liceat affirmare Hortensium in curia, Catulum in 303
rostris, eam dissuasisse, atque ita Dionem cum M. Tullio conciliari posse: verba enim Ciceronis id non patiuntur.

PARTICVLA CXXXVI.

QVid tum per Deos immortales, si plus apud Populum Rom. authoritas tua, quàm ipsius Populi Romani salus & vera causa valuisset hodie hanc gloriā, atque hoc orbis terræ imperium teneremus?



PLura his verbis indicat quàm exprimat noster Author. quod enim tacitè Hortensius reipublicæ periculum indicauerat dum Gabinio resistens, vni omnia negaret concedenda, id verò vanum fuisse indicat, cū Pompeius quantumuis ea auctus potentia, rempublicam non modò non occupasset, sed in pristinum decus reuocasset, eius saluti mirificè prospiciens. Tametsi enim non tam affirmat Pompeium non eam occupasse (id enim fuisset dictu inuidiosum, præsertim cum Hortensius tanta moderatione locutus esset) sed futurum fuisse vt si Populus Rom. ipsius Hortensij sententiam amplexus esset, haud teneret imperium. ita quidem reipsa Hortensij orationem ostendit refutatam, cum hæc Populus Rom. illi assenserit quin exarserit contra senatum, nec nisi magno cum reipublicæ bono factum sit vt ad vnum omnia delata fuerint. & huc etiam pertinet quod ait apud Populum Rom. plus valuisse Reipublicæ salutem quàm ipsius Hortensij authoritatem, plus veram causam quod est causam & legem quam Gabinius tuebatur, quàm Hortensii orationem: nam hæc quoque re ipsa sententiam illam reiectam, & magno cum reipublicæ bono reiectam, indicat. Atque hic sanè discamus quando apposite exclamet aut cœlestes appellet, vel Orator, vel Poëta: in re enim graui ac testata non in re leui ac dubia exclamādum aut numen compellandum obtestandúmque est. Iam verò, quoniam interim indicat vel potiùs profitetur reipublicæ salutem, gloriam, imperium a Pompeio restitutum esse, quo efficitur vt ijs caruisse videatur, huic rei, ne Hortensio & aduersarijs audacter loqui liceret, ostendendæ ac veluti ante oculos proponendæ, se refert M. Tullius. 304

PARTICVLA CXXXVII.

AN tibi imperium esse hoc videbatur, cum Populi Rom. legati, prætores quæstorésque capiebantur? cum ex omnibus prouincijs commeatu & priuato & publico prohibebamur? cum ita clausa erant nobis omnia maria, vt neque priuatam rem maritimam, neque publicam, iam obire possemus?

Quæ



Væ supra de piratis commemorauit vt Pompeij virtutem declararet, ea fermè atque alia quædam hîc summatim vrget in Hortensium, vt ostendat reuera Populum Romanum per eos annos quibus infestos habuit piratas, Terrarum orbis imperium non tenuisse. Ad quã rem probandam argumentũ ducit ab ijs quæ domi ferè aut non longè ab Vrbe Populo Rom. contigissent. dum enim domi opprimeretur atque imperio ferè spoliaretur, satis intelligere licebat in longinquis regionibus multò minùs suam authoritatem conseruasse. quanquam a longinquis etiam regionibus imperium labefactatum videri potuisse atque prostratum, aliquo modo indicat interim dum clausa commemorat maria omnia ac rem maritimam impeditam. Ergo Legatos, prætores, quæstores, captos memorat primùm: vbi prætorũ & quæstorum mentionem facit de quibus suprà mentio, aperta saltem, nulla; tametsi dum diceret duodecim secures in prædonum potestate peruenisse, saltem Prætores duos tacitè indicauit: siquidem extra Vrbem prætor cum senis securibus mittebatur, dignitatis causa: cum in Vrbe ipsa binæ tantum attribuerentur singulis. denique Prætores Sextilius & Bellinus cum senis securibus singuli capti fuerant: quod Plutarchus etiam testatur, qui prætores istos cum accensis & Lictoribus captiuos abductos scribit. Quod verò subiicit M. Tullius de commeatu & publico & priuato, non expressetat suprà: sed tamen dum diceret mercatoribus mare non fuisse tutum, & id genus alia, coniectare illud satis licuit quemadmodum quæ item recenset de re maritima, ex dictis intelligere licet multò magis. denique ob commeatus inopiam ac rem fru-
305 mentariam interclusam & maria clausa bellum in primis susceptum constabat satis: quod etiam Plutarchus inter cæteros literis prodidit. Interim multa de more proferri amplificandi causa, nihil est quod dubitemus: nam *ex omnibus prouinciis* (inquit) *commeatu prohibebamur*; cum tamen mediteraneæ prouinciæ aliquæ vix ac ne vix quidem obnoxiæ essent piratis: eodémque modo clausa fuisse dicit omnia maria, cum inferum & superum tantùm esset clausum: si tamen vbique erat clausum. Nam neque extra Herculeum fretum quod Atlanticum mare siue magnum dicitur, neque intra columnas Caspium, quæque mediteraneo non iunguntur maria, quicquam detrimenti a piratis istis capiebant.

PARTICVLA CXXXVIII.

QVæ ciuitas antea vnquam fuit, non dico Atheniensium, quæ satis latè quondam mare tenuiße dicitur: non Carthaginensium, qui permultum classe maritimisque rebus valuerunt: non Rhodiorum quorum vsque ad nostram memoriam disciplina naualis & gloria permansit; quæ ciuitas antè vnquam tam tenuis, tam parua insula fuit quæ non portus suos & agros & aliquam partem regionis atque oræ maritimæ per se ipsa defenderet?



T Romanum Imperium prostratum fuisse magis adhuc ac magis ostendat, adhuc in re maritima confert Romanam Vrbem cũ aliis nõ quidem præcipuis, sed exiguis vrbibus atque insulis, quas ait olim, suos portus & agros, aliquam etiam regionis atque oræ maritimæ partem, per se ipsas defendisse: quod tamen Romana Vrbs haud poterat. Acutè verò monet se non de Atheniensibus loqui, qui mare latè imperasse dicerentur: non de Carthaginensibus qui re maritima & classe egre-
306 giè floruerant: non de Rhodiis qui adhuc nauali disciplina gloriáque valerent: sed de exiguis vrbibus, vt hinc etiam atque etiam depressum Vrbis imperium appareret, cum ne id quidem potuisset quod exiguæ ciuitates præstitissent. An verò exiguis ciuitatibus atque insulis id olim contigerit passim vt se se suásque oras per se defenderint, non disputo. tantum dico aliquas saltem ex historiarum monumentis proferri posse quæ sæpè ac diu suos agros suásque regiones defenderint; omnes certè nõ posse. quin Athenas ipsas, ipsam Carthaginem, quibus multò magis id concessisse visus est M. Tullius,

M.Tullius, expugnatas direptásque satis constat; tantum abest vt affirmare liceat nullam ciuitatem aut insulam, quantumuis tenuem & exiguam, fuisse quæ nō potius suos & agros & aliquam partem regionis atque oræ maritimæ per se ipsa defenderet. quin ne id quidem Tyro contigerat quæ Orbus inter maritimas visa semper est munitissima, neque Rhodo quam classe item potentissimam fuisse constat, neque Cyzico, nec (vt de insulis etiam dicamus) Cretæ: cum Tyrus ab Alexandro, Rhodos ab Alexandro primùm, tum a Romanis deuicto Antiocho, Cizicus a Mithridate, fuerint expugnatæ, Creta vero insula paulò ante a Metello, qui inde etiam Creticus dictus est; direpta & Romano Imperio submissa esset. Vt nisi Ciceronem commodè explices, & non ab omnibus sed a piratis suas regiones defendisse, vel saltem defendere contendisse velis, ægrè, mea quidem sententia, ab hyperbolica amplificatione possit vindicari. Atque hic sanè de nauali seu maritima Atheniensium Carthaginensiúmque potentia, aut etiam Rhodiorum, quoniam veluti per transenam id attingit M.Tullius, nihil dicam: præsertim cum res apud historicos sit in promptu. illud tamen de Rhodijs commemorabo; verè iam tum nauali gloria floruisse: nam per idē ferè tempus Romanis opem tulerant contra Antiochum etsi paulò ante Romanis infesti fuerant, nec non contra Philippum Persis patrem in primo bello Macedonico; 307
paulò post etiam contra Mithridatem, & denique Pompeio contra piratas ipsos. & ideo iure horum gloriam naualémque disciplinam memorat ac testatur: præsertim verò qui vbi semel Rhodij ab Antiocho ad Romanos desciuêre, amicitiam ac fidem mirificè coluere. Atque hic non ab re fuerit obseruasse, M.Tullium dum ait, *quæ ciuitas vnquam fuit non dico Atheniensium* & quæ sequuntur, ac pergens repetit, *quæ ciuitas*, videri contempsisse vel, nescio quo pacto, prætermisisse vsitatum verbum, *inquam*: & cum dicere debuisset *quæ ciuitas inquam*, dixisse *quæ ciuitas*: qui loquendi modus videri possit inusitatus, quemadmodum è contrario si dixisset *quæ ciuitas* ac tandem ad rem rediens subiecisset *quæ ciuitas inquam*, vsitatissima loquendi formula vsus esset. quanquam qui fortè prætermiserit, habet authorem optimum ad quem confugiat. Illud verò *quæ non per se ipsa defenderet* vsitato more dicitur & eleganter, etsi per se ipsam quoque dicere potuisset. quemadmodum ait *nihil interest siue per procuratorem agas siue per te ipsum*. Quanquam *per se ipse fecit* aut quid simile elegantiùs dicitur quàm *per se ipsum*, & verò a Cicerone frequentiùs, qui *me* (inquit) *non pœnitebit quòd a me ipse non desciuerim*. & rursus, *méque ipse deficerem*; Denique *per se ipsa splendet virtus* inquit alicubi, & alibi, *per se ipse ardor mouetur* & similia.

PARTICVLA CXXXIX.

AT hercle aliquot annos continuos ante legem Gabiniam ille Populus Rom. eius vsque ad nostram memoriam nomen inuictum in naualibus pugnis permanserat; magna ac multò maxima parte non modò vtilitatis, sed dignitatis atque imperij caruit.



Vm aliarum vrbium virtutem commendauerit quam præsetulerūt in agro maritimáque regione tuenda; profert è contrario Romanæ Vrbis imbecillitatem, atque adeò infœlicitatem ne dicam ignominiam qua per aliquot annos ante Gabiniam legem laborauerat: quę ignominia eò maior videri potuit quòd in maritimis prælijs ante piratas inuictum semper manserat Romanum nomen: quo factū erat 308
vt postea magna ac multò maxima parte non modò vtilitatis sed dignitatis atque imperii caruisset Populus Romanus. ait verò *maxima ex parte* non omnino, quia interim Romani imperij continentem ad quem piratis non patuisset accessus, conseruasset respublica. Atque hîc etiam ait *multò maximè*, quemadmodum ab initio dixit *multò iucundissimus*: de quo loquendi genere vide quæ ibi obseruauimus. interim si quis obiiciat M.Tullio fuisse probandum Romanum imperium dum piratas infestos haberet, fuisse nullum (nullum enim fuisse statuere visus est) non magna aut maxima

maxima ex parte imminutum; illud monuerim, supra non tam negasse tunc nullam partem vtilitatis ac dignitatis aut etiam imperij aliquo modo retẽtam, quàm Romanum imperium videri potuisse tunc haud fuisse, cum Populi Rom. legati, prætores, quæstores caperentur: aut commeatu publicè priuatímque prohiberentur: quod affirmauit, quia licet aliquæ adhuc prouinciæ ac regiones piratarum arma aut rapinas non sensissent, Romani tamen ipsi earum vtilitate regionum priuabantur, cum nec inde commeatum excipere neque illuc nauigare possent. Denique cum penitus essent interclusi piratarum classe, & ad summam rei frumentariæ inopiam adducti; eorũ potentia vel authoritas imperij nomen mereri haud debuit: ita vt iurè pronunciarit, *an tibi tum imperium esse hoc uidebatur?* Hîc verò nemo expectet vt doceam quî Populus Rom. nauualibus pugnis ante legem Gabiniam vel potiùs ante piratarũ incursiones fuisset inuictus: id enim ipse M. Tullius iam iam per se ipse indicabit, maritima bella partásque victorias referens. Tantum dicam Romanos quingentis primis annis maritimum bellum ignorasse. etsi enim paulò post exactos reges Antia-
309 tum classem obtinuit, & ob longas seu rostratas eorum naues aliquot Romam adduxit, non tamen nauali, multò minùs maritimo, decertauit bello: sed cum terrestri prælio eos superasset, classe illos spoliare placuit, dum ij quippe littorales, maritimam etiam exercerent. Ingressi sunt itaque Romani mare extremo quinto sæculo, ac secundis prælijs vsi sunt ferè semper, ita vt Carthaginenses sæpè, Antiochum item ac Persen, mari superauerint. & ideo pergit.

PARTICVLA CXL.

Nos quorum maiores Antiochum regem classe, Persénque superarunt; omnibúsque naualibus pugnis Carthaginenses homines in maritimis rebus exercitatissimos, paratissimósque vicerunt; ij nullo in loco iam prædonibus pares esse poteramus.



Opulus Rom. reuerá cum Carthaginensibus priùs quàm cum Antiocho vel Perse nauali pugna dimicauit: sed tamen noster author vt robustius conficit argumentum, docens eos qui non modò Antiochum & Persen, verùm etiam Carthaginenses mari exercitatissimos ac potentissimos nauali pugna profligassent, tandem piratis pares esse non potuisse, Carthaginenses memorat ad extremum augendæ orationis gratia. Et cum Antiocho quidem (iubet enim Tullianum seruare
Flo. de ordinem) decertauit Aemilius Regillus in Syria, qui regiam classem, quæ Annibali
gest.Rhe. apud regem exulanti Polixenidíque commissa fuerat, lacerauit ac profligauit. quo
lib.2.c.8 tempore Antiochus ne præsentiam quidem Romanorum sustinens, secesserat longiùs: ita vt a Scipionibus deinde, cum toto cessisset mari, terra penitus superatus sit.
Flo.li.3. Perses verò bello Macedonico secundo terra a Martio Philippo priùs tum ab Aemi-
c.2. lio Paulo profligatus, tandem cum mari fugeret, Paulo se dedit, a quo in triumphum etiam diutus est. De Carthaginensibus, denique non semel victoriam retulerunt: pri-
Flo. l.2. mò apud Liparas Ca. Duilius, mox etiam L. Cornelius Scipio in Africam nauigans;
c.2. inde Attilius Regulus, si non mari certans sed terra, mari tamen adoriens hostẽ, clas-
310 sem ingenti præda onustam & triumpho grauem, quasi maris dominus, ad Vrbem misit. Sed & victor fuit Populus Rom. apud Eginuram hostium classe in Italiam nauigante oppressa. Denique a Q. Luctatio Catulo (fuit hic Catuli de quo in hac Maniliana, auus aut pater) Carthaginensium classis quæ sexcentarum erat nauium, penè funditus deleta est. Iurè igitur ait ita diu inuictos permansisse Romanos in naualibus pugnis. Nam quod in primo bello Punico, P. Claudio Consule, classem amiserit Populus Rom. id verò tempestati non hostium virtuti acceptum est referendũ. Quod item Philippum Persis patrem mari item magna cum gloria classe deuicerit (quod tamen a Cicerone prætermittitur interim) nihil refert in præsentia: quanquam enim Leuinus Consul ingenti classe Ionium ingressus, è Prætoria laurum extulerit victo-

riæ indicem, attamen reuera a T. Flaminio nō mari sed terra deuictus cessit Philippus. Denique fateor post Persen deuictum nō semel adhuc mari pugnasse Populū Rom. & victoriam retulisse (nam & Seruilius Isauricus, Isodoron, & Lucullus Mithridatem, deuicerat) sed cum Isauricus piratas ipsos cecidisset, Lucullus recens Mithridatem deuicisset & post legem Gabiniam, nihil erat cur M. Tullius istorum rationem haberet ac mentionem iniiceret; præsertim cum significasset se de ijs verba facere quæ aliquot annos continuos ante legem Gabiniam euenissent. Iure igitur nauali pugna Populi Rom. gloria celebratur, atque eius nomen inuictum dicitur.

PARTICVLA CXLI.

Nos quoque qui antea non modò Italiam tutam habebamus, sed socios omnes in vltimis oris authoritate nostri imperij saluos præstare poteramus, tum cum insula Delos tam procul nobis in Aegeo mari posita, quò omnes vndique cum mercibus atque oneribus commeabant, referta diuitijs, parua sine muro, nihil timebant; ijdem non modò prouincijs atque oris Italiæ maritimis ac portubus nostris, sed etiam Appia iam via carebamus.



Agnam emphasim habent ea quæ paulò ante pronunciauit verba, 311
Nos quorum maiores Antiochum & quæ sequuntur: inde enim veterum
Romanorum virtutem ac dignitatem sic olim enituisse docuit, vt
nunc in squalore iacère ostendat. Sed maiore adhuc verborum em-
phasi atque orationis pondere, *Nos quoque* repetit, & quæ proximè
subiungit. Sic enim demonstrat veterem Populi Rom. dignitatem
& authoritatem Italia tota atque adeò toto terrarum orbe claruisse, vt nunc afflictā
item atque prostratam esse confirmet. Ita quidem superiorem temporum amplifi-
cat authoritatem, præsentis extenuat, vt sub piratico bello imperium nullum fuisse
ostendat. Quam rem, quod pertinet ad longinquas regiones, eorum confirmat exem
plo quæ ante bellum piraticum in Delo insula euenirent: in ea enim, etsi maximè ab
Vrbe dissita, & verò parua & sine muro at diuitijs referta, omnia erant tuta; ita vt eò
cum mercibus atque oneribus gentes vndique commearent: vsque adeò Populus
Romanus in longinquis etiam regionibus valebat authoritate. Et tamen in præsens
(inquit) non solùm tueri nequit longinquas regiones ac longè positos socios, sed ne
maritimæ quidem Italiæ oras, sed quid dico Italiæ oras? imo nec vicinos portus vnde
quotidie conscendebamus. quid plura? Appia iam via, quæ a nobis in Græciam aut
Asiam proficiscentibus quasi porticus terebatur, caremus hoc tempore. Ait verò De-
lum insulam in Aegeo mari positam esse hoc est in eo maris tractu qui funditur in-
ter Tenedon insulam & Hellespontum. Procul verò posita dicitur Delos, quòd apud
priscos illos nauigatio nec vetustissima esset, nec dum illi longè posita maria pene-
trassent, tantum abest vt Oceanum, quemadmodum deinde factum est, peruasissent: 312
tametsi aliqua etiam ex parte amplificandi gratia sic loqui potest: alioquin hoc tem-
pore breuis in Aegeum censetur cursus Brundusio aut Adriatici littore soluentibus.
Aegeum verò multis insulis refertum est, quas Sporades alias, alias Cycladas, vocant;
quod scilicet illæ veluti disseminatæ ac sparsæ, hæ in gyrum positæ & collocatæ, vi-
deantur: inter Cycladas verò Delos obtinebat principatum, erátque in primis tum
ob Apollinis & Dianæ ortum ac templum, tum ob celebrem mercatum ac preciosa
vasa aliáque id genus multa, nobilis. Inde verò nomen inuenit, quòd cum diù ali-
quando latuisset, repentè apparuisset: Δῆλον enim quasi apparentem dixeris: Et verè
Cyclades vel quia radices non egissent solo, vel quia crescente & decrescente vnda &
fluctu, oculos fallerent, natare ac mergi dicebantur; ita vt minimè mirum videri de-
beat Delon, cum diu latuisset, tandem apparuisse. tametsi ei tandem vt immobilis
esset concessum ferunt Poëtæ Apollinis beneficio, quòd illum ibi Latona enixa esset.
Atque hinc occasione arrepta suam Patauini Academiā Deliam appellauere, Deliam
insulam explicātes, atque emblemate illo exornātes, NVNC IMMOTA MANET.

cum

cum enim diu nutasset eorum Academia, ita vt ægrè consistere ac tanquam mergi & delitescere videretur, randem Principis serenissimi beneficio censu & honoribus aucta, sperare cœpit constantiam & perennitatem. Appia verò via ab vrbe Brundusium vsque ducebatur, erátque percommoda tutóque terebatur ante piratas; ita vt mirificè frequentaretur, præsertim ab ijs qui in Græciam aut Asiam tenderent, vel inde Romam remearent.

PARTICVLA CXLII.

313 *ET his temporibus non pudebat magistratus Populi Rom. in hunc ipsum locum ascendere, cum eum nobis maiores vestri exuuiis nauticis & classium spoliis ornatum reliquissent.*



Cutè sanè & appositè, quasi exclamans, Magistratus increpat, atque a deò quotquot per idem tempus (dum scilicet Romanum imperiū a piratis tantopere affligaretur vt prostratum videri posset) non puduisset in eum ipsum locum, hoc est in Rostra, conscendere, cum is locus a maioribus nauticis exuuijs & classium spoliis ac proinde victoriæ imperiíque monumentis ornatus relictus esset. Neque enim poterat sine rubore ac dedecore Magistratus Populi Rom. ea Rostra tenere quæ essent gloriæ & victoriæ monumentum. Nauticas verò exuuias & classium spolia vocat ea ipsa rostra quæ ex Antiatum de quibus victoriam retulissent, nauibus eò contulissent. Fuit Antium (Neptunus nunc dicitur) Vrbs Latij quæ Romam ad Orientem spectabat, c c c circiter stadijs ab ea distans: quæ sanè Vrbs, quippe maritima aut littoralis, rostratis nauigijs vtebatur. Cum igitur non semel aduersus Romanos cum cæteris Latinis conspirasset ac pugnasset, tandem deuicta, rostratis nauibus spoliata est: hinc rostra a nauibus diuulsa, vt victoriæ monumenta, templo quod Hostiliæ Curiæ adiacebat, extrinsecus affixa sunt, ita vt è templo eminerent foro perinde ac pulpita quædam: atque inde Magistratus Populum alloquebatur qui in Foro conuenisset.
314 Nam Populum in Foro & sub dio audisse concionantes, tum ex Plutarcho demonstrauimus, dum è Rostris ad Populum dicente Roscio, coruus ob Populum succlamantem & obstrepentem in forum cecidit: tum inde confirmari potest, quòd cum è Rostris Censores Pompeium atque equites alloquerentur, Pompeius frenatum equum adducebat; atque idem per turmas cæteri faciebant. Hæc igitur rostra vel potiùs locum in quo fixa erant, appellat locum exuuiis nauticis & classium spolijs ornatum. Quæ tamen Ciceronis verba amplificatione haud carent si Florum audiamus, qui scribit sex tantùm oblongas naues abductas ex Antio. verba hæc sunt. *Extant & de Antio spolia quæ manibus in suggestu foris, capta hostium classe, suffixit: si tamen illa classis: nam sex fuere rostratæ. Sed hic numerus illis initijs nauale bellum fuit.* Ex quo loco licet confirmare altiùs id quod de rostrorū situ diximus. cum alioquin ij qui scribunt Rostra dictum esse templum seu forum ante Curiam Hostiliam, rem non expediant, quin dubitari potuisset num rostra ipsa pro pulpitis seu suggestis essent an mera suggestorum ornamenta: præsertim verò quia hic Ciceronis locus ijs, omnino fauere videtur qui ornamenta solùm fuisse dictitant. Id quod Liuii nōnihil confirmant ver-
l.8.pag. ba. cum enim dixisset, *Antium noua Colonia missa, cum eo vt Antiatibus permitteretur, si*
87.c.d. *& ipsi adscribi Coloni vellent. naues inde longæ abactæ, interdictúmque mari Antiati Populo est & ciuitas data,* post paulò subiecit, *Naues Antiatium partim in naualia Romæ subductæ, partim incensæ; rostrisque earum suggestum in foro extructum adornari placuit, rostráque id*
315 *templum appellatum.* Sed vbi concessero vetus suggestum rostris adornatum, illud etiam pugnabo, ita fuisse rostra suggesto adiuncta, vt ex illis etiam commodè liceret verba facere: alioquin illud ascendere in rostra, descendere de rostris, de rostris verba facere; quæ omnia apud Ciceronem atque alios vel res legimus, minùs commodè pronunciarentur. Denique omnes planè rostris ad populum verba facere consueuisse Magistratus ac patres affirmant. Sed & ex Liuij verbis intelligitur Floro non facilè

assentiendum quà classem illam sex tantùm nauibus constitisse affirmat: ait enim præter eas quæ Romam deductæ sunt, alias fuisse incensas. ita vt Ciceroni Liuius mirificè faueat. addo Florum verbis illis, *hic numerus illis initus naualis bellum fuit*: videri perperam nauale bellum introducere: siquidem mulctati quidem sunt Antiates nauibus a Romanis, sed nauale bellum cum Romanis gesserunt nullum.

PARTICVLA CXLIII.

Bono te animo Q. Hortensi Populus Rom. & cæteros, qui erant in eadem sententia, dicere existimauit ea, quæ sentiebatis: sed tamen in salute communi idem Populus Romanus dolori suo maluit quàm authoritati vestræ obtemperare.



Conuicium quoquomodo fecisse Hortensio atque inuidiam creasse videri poterat M. Tullius, cum clamasset, *& his temporibus non pudebat in hunc locum ascendere?* quin videri poterat non Hortensio tantùm verùm etiam aliis obtrectasse omnibus qui per idem tẽpus e rostris dixissent: nam vt Gabinio obsisterent, eò ascendebant multi. Ergo M. Tullius vt causæ sic seruiat aduersariósque refellat, vt non eos suffundat pudore, *Bono te animo* (inquit) *Q. Hortensi Populus Rom. & cæteros qui erant in eâdem sententia, dicere existimauit ea, quæ sentiebatis*: quibus verbis eos perhumaniter excusat atque indignationem Populi Rom. ab eis depellit, simúlque Populum Romanum vicissim apud eos purgat, si minùs illis assensus esset. & ideo subdit, *Sed tamen in salute communi idem Populus Romanus dolori suo maluit quàm authoritati vestræ obtemperare*: vbi rursus saluti communi seruisse Populum Rom. affirmans, eius prudẽtiam tacitè commendat perinde ac dum ait dolori suo obtemperare voluisse eius significat studium ac beneuolentiam erga patriam pro qua, dum affligaretur, dolorem caperet. 316

PARTICVLA CXLIV.

Itaque vna lex, vnus vir, vnus annus, non modò nos illa miseria ac turpitudine liberauit: sed etiam effecit vt aliquando verè videremur omnibus gentibus ac nationibus terra marique imperare.



Egregiè sanè & acutè in eos inuehitur qui non vni omnia dictitarent concedenda. nam *vna lex* (inquit) *vnus vir, vnus annus* (quibus scilicet vni omnia tributa sunt) populum Rom. ingenti illa calamitate ac turpitudine liberauit. quin etiam hic idem vir cui vni omnia tributa sunt, effecit tandem vt Populus Rom. verè aliquando videretur omnib. gentibus terra maríque imperare. vbi tacitè refellit Catuli aliorúmque eius ordinis suspicionem, dum vererẽtur ne Pompeius tali ac tanta potestate Romanum imperium occuparet. tantum enim abest vt illud occuparit sibique subiecerit, vt eius opera nunc verè cæteris gentibus ac nationibus Romana respublica imperare videretur. igitur Catuli suspicioni aut querelæ tacitè sed vehementer tamen, respondisse ac satisfecisse dicendus est. Neque tamen hæc verba carent amplificatione atque adeo hyperbole; etenim ne nunc quidem omnibus gentibus imperabat Populus Rom. id quod vel ex eo constare satis potest, quòd triennio post idem Pompeius innumeras Asiæ Orientísque nationes Romano imperio addiderit, quæéque facilè (rem incredibilem fortasse dicam sed verissimam) latiùs parerent quàm quæ septingentis propè iam annis, hoc est ab Vrbe condita, subegisset: ita vt summa istiusmodi hyperboles nequeat dissimulari. ait verò *vnus annus*, non quòd integrum annum in piratis insumpserit profligandis, sed quia vno eodémque anno cum piratis esset debellatum. quanquam si apparatus quoque tempus ac non modò belli sed quæ consecuta sunt pacis officia spectentur, annus ferme consumptus est, præsertim quia de- 317

inde

inde in Cilicia & Pamphilia perlustranda & cōponenda moratus est. Iam verò cum tacitè suspicionem eluerit de qua dicebam, ex qua etiam factum erat vt Gabinium Pōpeio denegassent, appositè M. Tullius & opportunè de Gabinio expostulat quemadmodum iam iam constabit.

PARTICVLA CXLV.

QVo mihi etiam indignius videtur obtrectatum esse adhuc, Gabinio dicam? an ne Pompeio? an vtrique? id quod est verius, ne legaretur A. Gabinius Cn. Pompeio expetenti ac postulanti.



SVspectus quoque fuerat Gabinius dum faueret Pompeio: videbant enim legatum deposci a Pompeio, eidémque a Pompeianis decerni: itaque Gabinio etiam obtrectauerant. Quam rem Plutarchus etiā magna ex parte indicat: cum enim scripsisset *Legem Gabinius Pompeij familiaris rogauit, quæ non classis, sed planè in omnes mortales imperium & arbitrium, concedebat liberum*, atque alia multa subiecisset de ingēti potestate quæ illi concederetur, qui contra piratas decerneretur Imperator, subiciebat *Eam legem vbi recitata est, Populus magno studio comprobauit; princip. bus senatus & potentissimis supra inuidiam quidem visa est, sed formidolosa illa immensa & infinita potestas*. Sic Plutarchus. quanquam hæc reuera in Gabinij conueniunt tribunatum, dum suam ille rogaret legem: cum tamen Cicero rem spectet quæ deinde contigit cum Gabinius, tribunatu absoluto, legatus a Pompeio postulatus est. Acutè verò non minùs quàm eleganter dubitat Gabinióne an Pompeio an vtrique sit obtrectatum, vt scilicet respondens ac statuens vtrique obtrectatum, Gabinij in-
818 iuriam cum Pompeij iniuria coniungat, ac proinde illam augeat. & ideo subdit *an vtrique? id quod est verius*. Atque hunc quidem locum ac dicendi modum, vt est elegantissimus, imitatus est, ni fallor, nec semel, Magnus Gregorius. dum enim de An-
Greg. ho. 12. in E-uāg. & hom. 33. gelo qui veste candida mulieribus apparuerat, loquitur, *Candor (inquit) vestis, splendorem nostræ denunciat solemnitatis. nostra dicamus, an sua? sed, vt fateamur veriùs, & sua dicamus & nostra*. & alibi, dum de Magdalena verba facit quæ Publicani domum ingressa erat, *Quid igitur miramur*, inquit, *Mariam venientem, an Dominum suscipientem? suscipientem dicam an trahentem? sed meliùs dicam, trahentem & suscipientem*. Quo dicendi genere Augustinum quoque vel Ambrosium alicubi vsum meminit ersi certus author, multò verò minùs locus, in præsens haud recurrit in mentem. Sed redeo ad M. Tullium: qui dum vtrique, Pompeio scilicet & Gabinio, ait obtrectatum, fortasse Pisoni hinc inuidiam conflat, qui cum esset consul & Gabinio Pompeióque aduersaretur, illud
Plut. in Pomp. pronunciauit; Pompeium Romuli vestigia sectantem, non declinaturum illius exitum. dum verò eo loquendi genere vtitur Cicero, *Quo mihi etiam indignius videtur obtrectatum esse adhuc*, sunt qui illud *quo* pro *quare* exponant seu *quare* valere dicant. quibus non repugno, dummodo *quo* idem esse concedant quod ex quo, vt sit sententia, Ex quo mihi indigniùs videtur obtrectatum. Denique dummodo non aduerbij sed relatiui habere vim fateamur, de loci sententia non diffideo. Consimilis verò se se in Marcelliana offert locus, dum diceret M. Tullius, *Quo gratior tua liberalitas Cæsar nobis debet esse*: vbi non desunt qui item *quo* pro quare vsurpatum sentiunt: tametsi fortasse pro ex quo commodiùs. Sed vt vt sit, Terentius etiam, *Illuc redi (inquit) quo cœpisti*: vbi non facilè statuas num *quo* significet *vnde* an relatiuum: seu an sit sententia, *Redi vnde cœpisti*, vel *redi a quo cœpisti*. Iam verò quoniam expostulauerat eorum factum qui repugnabant quominus Gabinius Pompeio expetenti ac postulanti concederetur, causam affert cur id expostulet, atque indignum esse affirmet.

PARTICVLA CXLVI.

VTrum ille qui postulat legatum ad tantum bellum quem velit, idoneus non est, qui impetret? cum cæteri ad expilandos socios, diripiendásque prouincias quos voluerunt legatos eduxerint? an ipse cuius lege salus ac dignitas Populo Rom. atque omnibus gentibus constituta est; expers esse debet gloriæ eius imperatoris atque eius exercitus qui consilio ipsius atque periculo est constitutus?



Ppositè & Pompeio & Gabinio illatam iniuriam reprehendit. cum enim iam euentus declarasset Pompeij fidem, vel certè talis esset euentus vt magnopere credi posset Pompeium optimè affectum esse erga rempublicam, habebat Marcus Tullius cur vehementiùs obiurgaret illos qui Pompeio restitissent. Huic igitur iniuriam illatam ostendit quòd maxima sit officiorum perturbatio, si is qui in magno bello Imperator deligatur, quem postulet legatum non impetret; cum tamen cæteri impetrent qui non ad tutandas sed ad diripiendas prouincias, postularunt & quos voluerunt legatos eduxerunt. Id quod appositè (vt dicebam) obtenditur a M. Tullio, cum euentus indicauerit bona fide postulatum: alioquin nisi talis euentus in promptu esset, inficiari potuissent aduersarij legatum a Pompeio bona fide postulatum. Hic verò facilè Glabrionem huiúsque similes perstringit dum ad expilandos socios diripiendásque prouincias quasdam eduxisse legatos dicit. Iam verò quoniam affirmauerat cum Gabinio etiam iniquè factum esse, idem ostendit de Gabinio. cum enim hic tantopere laborasset, simúlque caput extremo discrimini obiecisset, in ea lege ferenda ex qua dignitas & salus Populi Rom. est consecuta, nec Populi Rom. solum, sed omnium gentium; cur expers esse debuit gloriæ illius vel imperatoris vel exercitus, quod est non sub eo imperatore & in eo exercitu militare; qui eius consilio & periculo constitutus est? atque id etiam appositè dicitur cum euentus declarauerit quantopere ea lex ad reipublicæ salutem pertineret. nam alioquin Gabinius non optimè audiebat; ita vt Dio scribat non Patriæ amore, sed vt Pompeio morem gereret, legem illam tulisse: denique flagitiosum hominem fuisse indicat non obscurè. Sed quoniam illud obijcere potuisset quispiam M. Tullio, legati munus iustè fuisse Gabinio denegatum, quod cum superiore anno tribunus fuisset, non liceret ei continenter legatum agere: ecce tibi noster Cicero huiusmodi quoque cauillum reijcit pergens.

319

320



PARTICVLA CXLVII.

AN C. Falcidius, Q. Metellus, Q. Calius Latiniensis, C. Lentulus, quos omnes honoris causa nomino; cum tribuni plebis fuissent, anno proximo legati esse potuerunt? in hoc vno Gabinio sunt tam diligentes, qui in hoc bello quod lege Gabinia geritur, in hoc imperatore atque exercitu, quem per se ipse constituit, etiam pracipuo iure esse deberet?



Xemplis agit: quibus, quoniam sunt Gabiniano quàm simillima, tanquam præiudicijs euertit aduersariorum fundamentum: satis enim intelligitur ideo repugnasse istos aut videri voluisse repugnare, quòd Gabinius iam tum administrauerat tribunatum. Agit igitur exemplis Cicero: quæ quoniam multa sunt, ita vt inductionis quandam referant speciem, plurimum valent: præsertim verò quia Gabinius præcipua quadam de causa videri poterat eo dignus honore, quòd eius Imperatoris constituendi, exercitus conficiendi, belli gerendi, fuisset author. Vt propterea cum illi interim Gabinio minùs quàm in cæteris diligentes esse debuissent, per iniuriam se inter diligentissimos ostendissent. Hic verò dum ait M. Tullius se istos honoris causa nominare, videtur cautionis gratia sic loqui, ne quis existimaret obtrectare illis voluisse dum expostularet, Gabinio denegatum quod ijs licuisset. Quanquam vbi de mortuorum fit mentio, videtur hoc loquendi genus fuisse vsitatum apud antiquos.
321 Sic enim de Sylla loquitur in oratione pro Sextio, sic in secunda Philippica. atque ab hac orationis formula non longè admodum illæ absunt, honos sit auribus, aut honor præfendus est. Neque verò prætermittendum diligentes appellari Gabinii aduersarios non tam ex animo quàm ironicè & vt indicaretur importunam fuisse eam diligentiam & inuidiosam.

PARTICVLA CXLVIII.

DE quo legando spero Consules ad Senatum relaturos: qui si dubitabunt aut grauabuntur, ego me profiteor relaturum, neque me impediet, Quirites, inimicum edictum, quominus fretus vobis vestrum ius beneficiúmque defendam.



Vod minùs è sententia Gabinio successerat in Piratico, id vt in Mithridatico fœliciter succedat, molitur Cicero: vel certè quoniam Mithridatico nondum præfectus fuerat Pompeius, Piraticum adhuc spectat, quòd nimirum Pompeius quem sibi legatum aduersus piratas flagitasset Gabinium, hunc rursus postularet. Sed de hac re, cui scilicet bello deposceretur, opportuniùs infra. Consules verò intelligit Lepidum & Volcatium: quo enim anno præturam gessit Cicero (fuit hic sexcentesimus octogesimus nonus ab Vrbe condita) atque hanc habuit ad Populum orationem, consulatum isti administrarunt. Se igitur sperare ait vt Consules de Gabinio legato mittendo referant, vt scilicet Senatus assentiat, vel certè non resistat: nam deliberationem Senatus, confirmationem Populus sibi vindicabat. Quod si Consules (subdit Cicero) referre grauabuntur, verebuntúrque id facere (hæc verò fortasse ait quod non satis illis fideret, vereretúrque ne detrectarent de Gabinio mittendo verba facere) Cicero, vel vt eos stimulet, vel vt eorum tarditatem compenset, in primis verò vt Populi ius tueatur eiusdémque gratiam ac beneuolentiam aucupetur, se relaturum pollicetur, etiamsi edicto cautum videretur ne quis præter Consules de le-
322 gato referret ad Senatum, appellat verò edictum illud inimicum, quòd ab Pompeii Gabiniique aduersarijs curatum promulgatúmue esset. dum enim Patres fermè omnes Gabinii legi infensi essent, tribuni etiam fermè omnes eidem repugnarent, facilè contin-

cōtingere potuit, vt edictum etiam prodierit quo caueretur ne quis præter Consules de Gabinio mittendo referret. Cicero tamen profitetur se de Gabinio relaturum, vt Populi Rom. ius beneficiúmque defendat: quia in Gabiniana de legatorum delectu Pompeio concedendo ad Populi Rom. siue ius siue beneficium pertinebant. etenim reuera eò rem adduxerat Sylla cum Rempublicam in pristinam libertatem restitueret, vt tota belli ac pacis potestas Patribus committeretur: sed tamen ob tribunitiam potestatem ac Populi licentiam ægrè Senatus talem ac tantam authoritatem retinere potuit; præsertim cum non deessent ex patribus qui populi fouerent audaciam. Ob id igitur M. Tullius Populo interim conniuens, hanc quam arriperet potestatem ius ac beneficium appellat. vbi tamen videri possit moderationem quandam adhibere, ne non Senatus vtcunque rationem habere videretur: & idcirco ius id ac beneficium appellat, quasi non satis compertum esset iúsne an beneficium censendū esset. Nisi tamen dicas ius omnino attribuere Populo, ac non id appellare beneficium, sed quod Pompeio ille concesserat: ita vt sit sententia, vobis fretus, vestrum de Imperatore deligendo ius (atque ita Senatui ne conniueret quidem) vestrúmque in Pompeium quem delegistis, collatum beneficium, defendam, Gabinium simul illi mittendum referens ac suadens, & hæc sine dubio magis germana videri debet sentētia; tum quia non ait M. Tullius ius beneficiúmue sed ius beneficiúmque defendam: tum quia oratione hac tota imperatoris ac legati deligendi aut confirmandi Populo Rom. tribuit authoritatem.

PARTICVLA CXLIX.

NEque præter intercessionem quicquam audiam: de qua, vt arbitror, isti ipsi qui minantur, etiam atque etiam quid id liceat, considerabunt. 323



CVm tribunorum esset intercedere, & ne referretur impedire, edicit M. Tullius se nihil æstimaturum aduersariorum conatus, nec quicquam auditurum, præter intercessionem: nam vbi Populus Rom. seu Tribunus eius nomine intercessisset, se obtemperaturū indicat. Ita quidem quemadmodum paulò ante, vt suum consilium suósque conatus muniret Populi Rom. authoritate, atque adeò illum ad se tuendum alliceret, dixerat *vobis fretus vestrum ius beneficiúmque defendam*, ita hîc, vt Populi voluntatem vereri ac iudicium colere videatur, intercessioni se cessurum pollicetur. Quanquam quoniam decem erant tribuni, atque omnes ferè in præsens, Gabinio excepto, huic legi repugnabant, cui tamen fauebat Populus; idcirco M. Tullius ea verba interponit; *de qua, vt arbitror, isti ipsi qui minantur, etiam atque etiam quid id liceat considerabunt*. quod dicit quia reuera istis videndum esset ne Populum irritarent, Populi iniussū intercedentes: id quod, Dione teste, fecerunt illi quidem, sed suo malo aut periculo: nam cum Trebellius intercessisset (erat hic Tribunus) & Gabinio periculum creasset, Populus & contra Trebellium & contra Senatum ipsum, cui Trebellius ac Roscius fauebant, exarsit non sine illorum periculo: ita vt verendum sit ne Cicero verbis istis, *isti ipsi qui minantur etiam atque etiam quid id liceat considerabunt*, vel Tribunos illos deterrere ne intercederent, vel Populum instigare, vt illis resisteret, ac vim etiam, si opus esset, inferret (id quod euenit) molitus sit. Atque hac de causa vt Populi Rom. animos multò magis aduersus intercessores incendat, suam illis de Gabinio mittendo, seu petenti Pompeio concedendo, profert sententiam: 324 quam sanè, quoniam a Populo amplectendam optaret & speraret, tacitè etiam interim rogaret, exaggeratè satis ac perspicuè profert: & ideo pergit.

PAR-

PARTICVLA CL.

MEa quidem sententia, Quirites, vnus A. Gabinius belli maritimi rerúmque gestarum author, comes Cn. Pompeio ascribitur: propterea quod alter vni id bellum suscipiendum vestris suffragiis detulit: alter delatum susceptúmque confecit.



HAec est Ciceronis sententia, éaque perdiserta ac plana, qua suam de Gabinio expostulationem atque interpositam digressionem conclu dit: vbi, & cur Gabinio & cur Pompeio fauendum sit, satis docet: in primísque Populi Rom. authoritatem ac dignitatem indicat, dum ipsius Populi Rom. suffragiis vni Pompeio bellum dclatum ait: quod est vnum Pompeium piratico bello suffragiis Pop. Romani, qui per tribus suffragium pro Pompeio tulisset, præpositum esse. Hæc in proposita digressione. In qua tamen magnopere dubitari potest quorsum Cicero referre de Gabinio decreuisset: si quidem piraticum bellum iam planè confectum & absolutum erat, quēadmodū interim ipsemet M. Tullius fatetur; ita vt in piratico temerè legatus decerni posset Gabinius: Mithridatico verò turpe ac præposterum fuisset a Pompeio postulari, vel a Senatu destinari, cum nondum Pompeius esset declaratus Imperator, Sed tamen omnino crediderim in piratico adhuc requiri a Pompeio: nam quemadmodū scribit Dio, ad triennium fuerat Pompeio decretum imperium aduersus piratas. Cum enim olim Seruilius, Murena atque alij continenter in piratas cum classe & exercitu missi essent, nec tamen bellum vnquam confecissent quantumuis minùs periculosum; quin vltra vigesimum annum fuisset prorogatum, quis planè fore iudicasset vt
325 Pōpeius quadragesimo aut vndequinquagesimo die illi finem imponeret? etsi enim in Pompeio spes maxima, ita vt statim atque imperator renunciatus est, annonæ caritas magnopere sit diminuta, haud tamen talem ac tantam fœlicitatem sibi Populus Rom. polliceri poterat, cū vndique prædonibus cingeretur & ad summas angustias redactus esset. Atque ob id M. Tullius affirmare non dubitarit tot ac tanta in eo bello Deos immortales in Pompeium contulisse, quot & quanta nemo vnquam, arrogans licet, non dico a Dijs immortalibus petere, sed ne animo quidem concipere potuisset. Cum igitur tam graue tánque dispersum esset hoc bellum, triennij imperium attributum est Pompeio: qui tamen etsi debellatum esset, imperium sibi attributum iure suo retinebat & administrabat, Ciliciam Pamphiliámque perlustrans, vrbes componens (scribunt hæc Plutarchus ac Dio) regionésque a piratis vastatas in pristinum restituens: qui piratis etiam agros attribuit ac sedes, vt ne in posterum inopia ad prædam reuocarentur. quo etiam factum est vt diu piratis caruerit mare. itaque præclarè Florus, *Quid priùs mirere in hac victoria? velocitatem, quòd quadragesimo die parta est? num fœlicitatem, quòd ne vna quidem nauis amissa est? an perpetuitatem, quòd amplius piratæ non fuerunt?* sic iste. Itaque licet debellatum esset, vtiliter tamen attributum sibi triennij imperium retinebat Cn. Pompeius: ac propterea quam in bello voluntatem ac beneuolentiam Gabinio ostendere haud potuit, sanè illi in pace declarare nitebatur illum enixè flagitans ac postulans. Ita quidem vbi triennij imperium Pompeio attributum obserues, non temerè statuas adhuc Pompeium de Gabinio Legato cogitasse
326 atque illum postulasse. Quanquam rursus illud mireris, cur non ea conditione ac lege triennium attribuisset Pompeio Senatus ac Populus Rom. vt si priùs debellatum fuisset, antea imperium deponeret: id enim prudentia requirere videbatur ac Reipublicæ securitas. certè cum Dictatorem crearent, huic semestre tantùm imperium concedebant, omninóque curabant vt eo exacto se se ad ordinem redigeret: vt nimirum Reipublicæ cauerent. Quanquam id mea quidem sententia hoc tempore temerè aliqua ex parte ac periculosè statuissent; nam ideo multi cunctatores in bello euaserant, ne si breui hostem vincerent, statim imperium deponendum esset, & ad priuatum ordinem redeundum. id quod paulò antè vitio datum est Lucullo, qui ne imperium

[Margin notes: *Dubitatur* — *Respondetur.* — *li.3.c.6. in f.* — *Dubitatur* — *Respondetur.*]

petium deponeret ac priuatus ad Vrbem rediret, post biennii victorias in quibus sine dubio celeritate atque industria vsus est magna, magnus cunctator factus est, ita vt reclamantibus etiam militibus atque illius tarditatem incusantibus, Mithridarem elabi passus sit ac bellum instaurari. atque id sanè Annibalem adduxit vt Romanæ Vrbis solueret obsidionem quam facilè alioquin expugnasset, cum enim reputaret fore vt si Romam, hoc est Romani Imperii arcem, expugnaret, bellum conficeretur, sibique Carthaginem redeundum ac priuatum agendum esset, placuit obsidionem soluere, atque inde cum bello authoritatem Imperii producere. Denique res est aleæ plenissima, ita vt vndique sint angustiæ, si enim Imperatori tempus atque authoritas quibusdam veluti habenis & cancellis concludas, præsertim arctioribus, sæpè illi rei benè gerendæ locum præcludas, & opportunitatem adimas, quod sanè plurimis euenisse certum est. Contra verò vbi authoritatis veluti habenas laxes ac temporis, veren- 327
dum erit ne is imperio assuetus, dominatum sibi vendicet ac patriam opprimat. Id quod in C, Cæsare obseruare licuit: cum enim imperium sibi ad decennium prorogari obtinuisset, iámque exercitum dimitteret imperiúmque deponere nisi granatè haud posset, occasione arrepta, in patriæ viscera conuertit arma, ac Reipublicæ tyrannidem occupauit, Ita vt diligenter sit prouidendum cui, quando, & qua ratione arma exercitúmque committas, Tametsi, vt res humanæ fragiles sunt, Regna verò & dominatus perpetuis periculis sunt obnoxia, ægrè vnquam humana prudentia illis prospicere possit satis, Sed redeo ad pensum.

PARTICVLA CLI.

R*Eliquum est vt de Q. Catuli authoritate & sententia dicendum esse videatur*,

IAmdiu significauit ab Manilij sententia & lege dissentire & Catulum & Hortensium: quos statim etiam communiter laudauit, tum verò refellere cœpit, suam de belli necessitate & magnitudine in eos rationem vrgens, cum & ipsius belli magnitudinem ac necessitatem, & in Pompeio summa esse omnia, ijdem faterentur. Quanquam vt è contrariò eorundem quoque rationibus sigillatim satisfaceret, a Q Hortensio incœpit qui negaret vni omnia esse tribuenda. Cum igitur copiosè redarguerit Hortensii rationem, ad rationes Catuli (binas hîc aut ternas rationes afferebat) refellendas descendit, & ideo ait *Reliquum est vt de Q. Catuli authoritate & sententia dicendum esse videatur*. Vbi appositè ait *Reliquum est*, quia cum antea non modò contra Hortensium verùm etiam contra Catulum dicendum proposuisset, iámque Hortensii sen- 328
tentiam reiecisset, id planè erat reliquum vt refelleret Catulum. Tametsi vt rursus eum priùs laudet (nimirum vt inuidiam magis adhuc magísque declinet) quàm redarguat, non ait reliquum esse vt eius sententiam refellat, sed vt de illius authoritate & sententia dicendum esse videatur. & ideo in Catuli laudem se se priùs effundit pergens.



PARTICVLA CLII.

QVi cum ex vobis quæreret, si in vno Cn. Pompeio omnia poneretis, si quid de eo factum esset, in quo spem essetis habituri; cœpit magnum suæ virtutis fructum ac dignitatis: cum omnes propè vna voce in eo ipso vos spem habituros esse dixistis.



QVod Catulo tribuerat Populus Rom. vt Pompeij vicem subire posset, mihi quidem in memoriam Herculem reuocat, qui idoneus habitus est vt Atlanti succederet ac cœli axem sustineret: ita vt nouus quasi Hercules videri possit Catulus. Quæ verò de Catulo ac Populo Rom. in præsens commemorat Cicero, a Plutarcho etiam commemorantur; ita tamen vt hic significet contigisse non quo tempore Manilius
p.188.m contra Mithridatem, sed quo Gabinius contra piratas, Pompeium Imperatorem deposceret verba Plutarchi subijciam; eum enim dixisset *legem Gabinius Pompeij familiaris rogauit, quæ non classis, sed planè in omnes mortales imperium & arbitrium concedebat liberum. Dabat enim imperium ea lex omnis intra columnas Herculis maris, continentisque totius ad quinquaginta a mari millia passuum*; paulò post sic pergebat, *Procedente ad dicendum contra*
319 *legem Catulo, magnum silentium tenuit reuerentia eius Populus. Postquam hic multis Pompeij laudibus commemoratis suasit, vt parcerent ei, nec periculis & bellis alijs ex alijs talem virum obijcerent; At quemnam, inquit, habituri estis alium, hunc si amiseritis? Omnes vna voce succlamauerunt: Te. ita Catulus vbi nihil profecit, destitit.* Fortasse igitur eadem semel atque iterum fuerant decantata, quòd æquè in Mithridatico atque in Piratico talem ac tantam Pompeij authoritatem ac potentiam suspectam haberet: quin in Mithridatico multò maximè, cum Manilij lege Pompeij potentia magis adhuc ac magis augeretur. Et ideo (dicat quispiam) legimus infra, *istis reclamantibus (Catulo scilicet & sectatoribus) vos vnum illum ex omnibus delegistis quem bello prædonum præponeretis*: videtur enim indicare id tunc etiam accidisse cum Gabinio ijdem repugnarent. Ex quo fieret vt quod in Maniliana factum percensere videtur Cicero, esset quidem ei persimile quod a Plutarcho narratur, non tamen idem: ac propterea vtrunque verè contigisset. Quanquam ne hanc sententiam sequar, illud facit, quod non est verisimile Catulum eam interrogationem iterasse, ne videretur popularem auram captare, ac responsum illud *In te*, ambitiosiùs aucupari: idque eo minùs quòd vbi Populi responsum secus quàm antea cecidisset, suo dedecore interrogationem illam renouasset. Vt omittam futurũ fuisse vt facilè M. Tullius hanc quoque interrogationem diceret obsoleuisse: quemadmodum iteratum illud Q. Hortensii dictum, *Non vni omnia concedenda*, iam obsole-
330 uisse affirmauerat. Verendum igitur est ne quod in Maniliana accidit, id a Plutarcho per inconsiderantiam ad Gabinianam referatur: neque enim inauditum est vt memoria interdum labantur Historici: siquidem ipsum M. Tullium qui huic rei interfuerat, lapsum esse, turpe esset suspicari. Nam si quis dicat, priùs hîc de Q. Catuli authoritate dicendum proponere, atque huius gratia, vt eam scilicet ex facto laudaret, quod non tunc in Maniliana, sed superiore anno in Gabiniana lege acciderat, factum recensere, profectò id ægrè statui posse constabit paulò post. tametsi repugnãti, quoniam sententiam meam aperui satis, non aduersabor longiùs. Illud potiùs monebo a
l.8.c.16. Valerio Maximo factum hoc commemorari; cum tamen ne ex eo quidem liceat agnoscere num in Gabiniana an verò in Maniliana id acciderit. verba hæc sunt. *Q. etiam Catulum Populus Rom. voce sua tantùm non ad sidera vsque euexit. Nam cum ab eo pro rostris interrogaretur, si in vno Pompeio magno omnia reponere perseuerasset, absumpto illo subito casus incursu, in quo spem esset habiturus; summo consensu acclamauit, In te. Vim honorati iudicij admirabilem: si quidem magno Pompeio duarum syllabarum spatio Catulum æquauit.* Hæc Valerius vbi ait *duarum syllabarum spatio*, spectans in ea verba *In te*. Neque verò Dio, qui Catuli orationem refert quam habuit contra Gabinium, nos hac eximit dubitatione; propterea quòd extrema concio illa in qua facilè eiusmodi interrogatio-
nem

nem protulisset, lacunosa est, ita ut desiderentur multa. quin eiusdem Catuli concionem in Manilium prætermittit, ita ut ne ipse quidem vsquã hasce depellat tenebras. 331
Nam Xiphilino, qui rem narrat ex Dione, & interrogationem illam in Gabiniana recenset, ideo grauatè fidem adiunxerim, quòd Dionem nisi mancum (id quod nobis planè contingit) & lacunosum haud perlegerit: ac propterea ex Plutarcho illud addiderit. vt omittam ne hinc quidem satis constare num eam interrogationem in Maniliana iterauerit Q. Catulus. Iam verò dum diceret Catulus, *si quid de eo factum esset*, perindè est ac si diceret si mortuus esset: mali enim ominis vitandi causa mortis præterit mentionem. atque idem valet, *si quid ei humanitus accidisset*. quo loquendi genere vsus est Cicero in prima Philippica: libenter enim mortis declinabant nomen. Itaque cum de Lentulo & Cethego quæreretur ex M. Tullio, *Vixerunt*, respondit, cum iam tum mortui siue extincti essent. Quod verò ait Catulum magnum suæ virtutis fructum ac dignitatis cœpisse cum omnes acclamassent spem se habituros in ipso Catulo, conferri potest cum Themistoclis dicto. Nam cum aliquando in Theatrum venisset Themistocles, atque omnes illi assurexissent, a ludis ad eius aspectum oculos conuertentes, eidémque fausta acclamantes, Ego verò (inquit) hoc die meorum laborum omnium fructum cœpi amplissimum.

PARTICVLA CLIII.

ETenim talis est vir, vt nulla res tanta sit, ac tam difficilis, quam ille non & consilio regere, & integritate tueri, & virtute conficere possit.



PErgit in eo laudando, quem iam iam refellere cogitabat. laudat verò illum ac celebrat, siue illius consilium spectes, siue integritatem, siue virtutem: ex quibus consilium pertinet ad prudentiam seu mentem & intelligentiam, integritas ad mores, virtus ad res gerendas: ita ut 332
eum non vulgariter laudet sed amplissimè. Sed iam audiamus quibus ad eiusdem sententiam refellendam aggrediatur.

PARTICVLA CLIV.

SEd in hoc ipso ab eo vehementissimè dissentio, quòd quo minùs certa est hominum ac minùs diuturna vita: hoc magis Respublica, dum per Deos immortales licet, frui debet summi hominis vita atque virtute.



HIc igitur ad Catuli sententiam refellendam descendit; ita vt quemadmodum paulò antè dixerat, *Reliquum est vt de Q. Catuli authoritate & sententia dicendum esse videatur*, ita hic, quoniam dixit de authoritate, ad sententiam deueniat. Magnopere verò suspicor Catulum hoc die abfuisse, cum non modò ad eum nunquam se se conuertat Cicero in hac Oratione, quemadmodum facit ad Hortensium, sed semper perinde atque abesset de eo agere videatur. Nam huc spectat quod hic ait *ab eo dissentio*: atque huc etiam spectare videtur quod supra affirmabat, *In eo ipso vos spem habituros esse dixistis*. contra verò magnopere crediderim Hortensium huic concioni interfuisse, cum dicat Cicero, *Quid tum per Deos immortales, si plus authoritas tua quàm ipsius Populi Rom. salus & vera causa valuisset?* Et eodem spectat quod ait, *Nam tu idem Hortensi multa grauiter ornatéque dixisti*: & rursus, *Bono te animo Q. Hortensi dicere existimauit*. Cum enim toties ad eum se se conuertat atque illum appellet, vix ac ne vix quidem crediderim hæc quasi in absentem iactasse. Cum tamen è contrariò suspicari liceat de Catulo, quem non modò non compellat vnquam, sed absentem indicat. Iurè autem af- 333
firmat esse cur Respublica, quoniam incerta est hominis vita ac minimè diuturna, Pompeij virtute ac vita fruatur dum licet: quia non nobis nati sumus (quemadmo-

dum

dum alibi egregiè nos admonet Cicero) sed ortus nostri partem Patria vendicat, partem amici. Denique homo ideo ortus est vt alijs prosit, quemadmodum idem Author testatur, ac mutuò vtilitates communicet. atque hinc factum est vt Liberum Patrem, Herculem, atque alios multos inter Deos referret antiquitas. ob id enim, homo homini Deus. Quanquam eo magis erat cur Respublica Pōpeij virtute frueretur atque eius vita, quanta quanta esset, vereretur, quòd publicum bonum priuato longè anteponendum est, ac membra corpori inseruire debent cuius sunt membra. Itaque iurè Spartana illa fœmina, audita filij morte quam in bello pro patria obierat (inquit) *genueram, vt is esset qui pro Patria mortem non dubitaret occumbere*. Atque hîc sanè, quoniam M. Tullius humanæ vitæ commemorat breuitatem ac fragilitatem, liceret nobis de humanæ vitæ fragilitate aliquid disserere. Sed quoniam totum hoc argumentum copiosiùs complexi sumus in ea ipsa oratione quam de humanæ vitæ fragilitate habuimus ac literis consignauimus, hoc labore interim supersedebo. Illud potiùs obseruabo, quæ primo huic Catuli argumento obijciuntur a M. Tullio, parum opportuna videri posse, nisi Catulus Manilianæ legis causa pronunciasset, vel fortè (quod tamen vix crediderim) in Gabiniana iam pronunciata quoquo mo-
334 do iterasset, ea verba, Si quid de Pompeio factum esset, in quo spem habituri essent. Cicero enim continenter respondet, *sed in hoc ipso ab eo vehementissimè dissentio*, & quæ sequuntur, vt ijs resistat quibus Manilianam dissuadebant interim.

PARTICVLA CLV.

At enim nihil noui fiat contra exempla atque instituta maiorum.

Iam refert argumentum alterum: & ideo aptè illo vtitur initio; *At enim* quemadmodum supra dum refutationem verbis illis aggrederetur *At enim vir clarissimus*. Quo dicendi genere dum sibi opponit, frequenter vtitur. Prudenter verò ac scitè præcipiebat Catulus nihil noui fieri contra exempla Maiorum: si enim eo consilio euoluimus historias, vt inde hauriamus exempla quibus vitam & publicè & priuatim instituamus, quanto magis exempla Maiorum spectanda sunt, quæ hac de causa nobis veluti per manus tradita sunt & consignata? Denique præclara Maiorum exempla debent nobis obuersari ante oculos, vt ad illorum instar Rempublicā in primis gubernemus: exempla enim hîc non quæcunque intelligit; sed quasi per Antonomasiam, publica atque vsu testata & confirmata, quæque summatim probata sint, ac propterea pondus habeant & authoritatem. Et idcirco idem M. Tullius Crassum aliquando reprehendebat, quòd nullis sententiam confirmasset exemplis. Ac de vtilitate quidem ex veterum exemplis atque adeò ex historia & antiquitatis memoria capienda, scripsimus nos in quarto de Historia libro: ita vt non necesse habeam hîc longiùs facere. Addit M. Tullius *instituta*, negans item contra Maiorum in-
335 stituta quicquam faciendum aut nouandum: quia hæc vel leges continent, quibus omnino parendum est; vel ad leges accedunt proximè: documenta enim & consuetudines, sæpè etiam leges ipsas, significant & comprehendunt. Itaque *Non leges* (scribit alicubi) *non instituta, non mores, non iura noritis*: & rursus, *Benè iuris publici leges & instituta cognouerat*. Exemplis verò subiecit instituta, quòd hæc maius habeant pondus, & amplificandi causa. Quanquam requirat aliquis, quid tandem faciendum negaret Catulus, cùm Populum admoneret ne noui quidquam fieret contra exempla atque instituta Maiorum. Ego verò crediderim suadere voluisse vt ne duo bella, præsertim maxima, continentérue, vni eidémque demandaret: ac propterea cum Piratico, hoc est bello maximo præfuisset, præsétue, non esse committendum illi Mithridaticū. Adde neque prorogandum seu potiùs augendum Imperium (cur enim prorogaretur nihil erat, cùm ad triennium fuisset attributum) ac propterea nullo modo talem ac tantam vni potestatem esse faciendam. Hæc videri poterant fieri contra exempla atque instituta Maiorum. Et ideo in ijs sigillatim refellendis versabitur M. Tullius: Quanquam non est dissimulandū a Catulo isthæc dissuaderi, nō tam quòd vereretur

ne Maiorum exempla & instituta desererentur violarentúrue, quàm quòd pertimesceret ne Pompeius tali auctus potētia & authoritate, Reipublicæ sibi vindicaret dominatum. Itaque obseruandum erit in progressu, num M. Tullius ita iis satisfaciat quæ Catulus interim condebat pectore, vel clam indicabat; quàm ijs quæ nouari non dissimulant prohibebat. nam iis quæ paulò clariùs obijciebat de exemplis institutisque Maiorum, respondet cumulatè. Sed eius responsum audiamus. 336

PARTICVLA CLVI.

Non dico hoc loco Maiores nostros semper in pace consuetudini, in bello vtilitati, paruisse: semper ad nouos casus temporum, nouorum consiliorum rationes accommodasse.



Exemplis ac veluti præiudicijs quibusdam certat contra Catulum: ac primùm vniuersim tum sigillatim. Vniuersim hoc in loco: etsi breuiter & quasi præteriens: ait enim Maiores in pace quidem consuetudini, in bello autem vtilitati, paruisse: quasi velit Maiorum exemplis & institutis (hæc verò duo interim consuetudinis intelligit nomine) in pace semper inhærendum: vel certè raro ac non sine magna & causa & cautione ab illis discedendum: in bello non tam facilè illis parendum. Sed cur obsecro in bello potiùs quàm in pace discedendum ab exemplis institutisque Maiorum? Ea, opinor, de causa, quia pax commodorum & vtilitatum plenissima esse solet, ac propterea in illa non facilè quicquam nouandum, vt enim humanum corpus, cum valet, de suo statu dimouere periculosum; ita cum prosperè agit Respublica, nihil mouendum aut nouandum est. Contra verò in bello, quoniam detrimentosum est, ac pacis commoda & vtilitates euertere solet, vtilitas ipsa spectanda, ac bonū quo caremus, ita ut noua consilia suscipienda sint quibus vtilitatem amissúmque bonum recuperemus. & ideo cum dixisset Maiores in bello vtilitati paruisse, subijciebat; semper ad nouos casus temporum, nouorum consiliorum rationes accommodasse. quibus significat in bello, propterea quòd detrimentosum est, atque aleæ plenissimum & inconstantiæ, spectasse casus quos ferrent tempora: qui sanè casus, quoniam sæpissimè noui esse solent ac varij, nouis quoque consilijs indigent nouisque deliberationibus; ita vt sæpè consilium sumendum sit in arena, ac summarim nō eam veteribus 337 exemplis institutísque parendum, quàm ab illis discedendum, ac nouum consilium capiendum. Ac profectò ars militaris (si tamen ars appellanda est) inter coniecturales est numeranda, quæque maximè omnium inconstantes habeat rationes ac minimè firma præcepta. quo fit, vt cum nullis certis institutis contineatur, necesse sit noua quotidie excogitare consilia. Quam rem sigillatim (vt dicere cœperam) confirmat exemplis & præiudicijs plurimis, & ideo pergit.

PARTICVLA CLVII.

Non dicam duo bella maxima, Punicum & Hispaniense ab vno Imperatore esse confecta: duas vrbes potentissimas, quæ huic Imperio maximè minabantur: Carthaginem atque Numantiam ab eodem Scipione esse deletas: non commemorabo nuper ita vobis patribúsque vestris esse visum, vt in vno C. Mario spes imperij poneretur, vt idem cum Iugurtha, idem cum Cymbris, idem cum Theutonis bellum administraret.

Præte-



PRæteritione (quam aliqui vocant) seu prætermissione vtitur adhuc ea commemorans quæ interim significat se prætermittere velle. Ita quidem ad ea properat, atque illa in primis commemorat, quæ præter exempla atque instituta Maiorum gesta sint a Scipione & C. Mario: atque ab his ad Cn. Pompeium ipsum descendet, vt maius habeat pondus oratio: siquidem in Pompeio ipso (quemadmodum constabit in progressu) ab Maiorum exemplis & institutis sæpissimè discessit Respublica. Sed de Scipione dicamus primùm, tum de Mario, atque hinc statim ad Pompeium progrediemur. Ergo minor Scipio Africanus Pauli filius, & in Africa priùs & subinde in Hispania euertit. iurè autem maxima appellat hæc duo bella: nam tertium Carthagi-
338 nensebellum (hoc enim ab Africano Minore gestum) fuisse maximum, ignorat nemo: præsertim verò quia licet breui tempore, maximo tamen euentu, pugnatum est, atque adeo Punico primo & secundo finis impositus. De Numantino verò nihil attinet dicere: nam quindecim integros annos Numantia vna, Romanorum exercitus varios sustinuit ac deterruit; ita vt eo ipso qui Carthaginem euertisset Scipione, hoc est imperatore maximo, opus fuerit. & idcirco iure etiam duas istas Vrbes potentissimas fuisse ait, quæque Romano imperio minarentur. Iam verò quæ vni eidémque Mario bella commissa fuerint a Populo Romano, satis indicat M. Tullius, cum &
Flo.li.3. c.3. contra Iugurtham & contra Cymbros & cõtra Theutones bellum gessisse affirmet. Contra Iugurtham in Africa, quem vicit captiuúmque duxit in triumphum: cum Cymbris Galliæ, Theutonis Germaniæ Populis. cum enim ij Romanos duces Syllanum, Manilium, Cœpionem profligassent, a Mario tandem in Claudio campo cæsi sunt omnes. Sed ad Cn. Pompeium deueniamus: tametsi duo priùs ijs quæ hactenus explicaui, addere lubet. Primum est mirum videri posse M. Tullium longiore oratione vti ad Catulum in re hac refellendum, cũ Dictatores proferre potuisset multos quibus summa rerum omnium potestas tribuebatur; ita vt Vrbis quoque Magistratibus omnibus imperaret Dictator; quod tamen interim a Manilio non concedebatur Pompeio. Sed dissimulauit, opinor, hoc argumentum ac præiudicium, quòd recens esset Syllæ memoria, qui sibi Dictaturam magno cum Vrbis malo vindicasset; ita vt cum inuidiosum esset eo tempore Dictatoris nomen, non commodè huc confugere
339 potuisset. Adde quod quo maior Dictatori authoritas concedebatur, eò breuius illius authoritati præscribebatur tempus: semestri enim spatio absoluto, expirabat Dictatoria potestas. ita vt minùs valeret de Rempublica occupanda cogitare. Id quod interim in Pompeio multò aliter euenerat, cui triennium attributum fuerat in Piratico, ac Manilii lege & tempus & authoritas augebatur in Mithridatico. Alterum pertinet ad Præteritionem qua hactenus vsus est M. Tullius. quicquid enim hactenus aduersus posterius Catuli argumentum differit, præteritione transegit. Vtitur verò cũ alibi sæpè hac figura eleganter, tum maximè hoc in loco. Etsi enim latinis nomẽ inusitatum videri potest (præteritio enim vel prætermissio recens videtur nomen; credo quòd græcam vocem παράλειψιν vel ἀπόφασιν vsurparent, vel hoc dicendi genus circumscriberent: nam occupatio, aliquorum pace, a præteritione differt) figura tamen seu forma dicendi, qua quod interim dicimus, prætermittendum simulamus, vsitata est, & verò nobilis: in primis verò vsurpari solet cum breuitati studentes, quædam per transennam ac veluti digito commonstramus: seu cum ad maiora properantes, minora strictim attingimus & indicamus. Sed veniamus ad Pompeium.

PARTICVLA CLVIII.

IN ipso Cn. Pompeio, in quo noui constitui nihil vult Q. Catulus, quàm multa sunt noua, summáque Catuli voluntate constituta, recordamini. quid tam nouum quàm adolescentulum priuatum, exercitum difficili Republica tempore confecisse? confecit: huic praeesse? praefuit: rem optimè ductu suo gerere? gessit.


O libentiùs ac propterea etiam copiosiùs de Pompeio dicit M. Tullius,
quòd quæ noua in eo sunt constituta, ea fermè summa Catuli volun-
tate constituta sunt, ac propterea vel quia de Pompeio ipso, vel quia a 340
Catulo sunt constituta, ipsius Catuli sententiam euertant funditus.
Quæ verò tria hîc primò commemorat in Pompeio nouata & consti-
tuta, ex ijs ferè perspicua videri possunt quæ iamdiù sunt a nobis ex-
plicata. Trium enim legionum exercitum confecit in Piceno adolescens, cum vix age-
ret aut attingeret annum tertium ac vigesimum: eidem præfuit cum ad Syllam cum
eo exercitu è Piceno in Campaniam contendit: rem optimè ductu suo gessit, cũ inte-
rim non modò incolumis ad Syllam cum exercitu peruenit, verùm etiam tres Car-
bonis exercitus in itinere profligauit. Tametsi pauca quædam Plutarchi subijcere
lubet verba vt de re tota constet planiùs *Agebat* (inquit Plutarchus) *id temporis in Pi-
ceno Italiæ Pompeius. Habebat quidem illic prædia, verùm magis quòd municipijs duceretur quæ
familia ipsius studiosa & cupida erant. Qui vt clarissimos quosque & optimos vidit relictis for-
tunis suis vndique tanquam in portum in Syllæ castra concurrentes; noluit ipse sicut profugus, vel
vacuus, vel auxilijs indigus, sed cum beneficio splendidè & cum manu ad illum proficisci. Itaque
solicitauit monuitque Picentes, qui propenso animo se ei dederunt, reiecerúntque missos a Carbone.*
& paulò post. *Hinc Pompeius annos natus tres & viginti, capescens imperium tribunali in foro
Auximi magnæ vrbis, delectum habuit, manipulorum ordinúmque ductu sigillatim constituit;
inde circumiecta oppida eodem consilio adijt: fugientibus omnibus & cedentibus qui a Carbone* 341
stabant; alijs ei se libenter adiungentibus, breui spatio tres integras legiones conscripsit. Hæc Plu-
tarchus. qui continenter docet quî ad Syllam iter intendens, Charinam, Cœlium
& Brutum obuiàm illi cum exercitu singulos procedentes profligarit, Scipioném-
que ipsum & Carbonem superatit, & ad Syllam victor peruenerit. Ait verò noster au-
thor Pompeium id priuatum egisse: siquidem non a Senatu iussus aut Populo Rom.
sed sua voluntate ac proprio marte, id fecit. Sed tamen vt Patriæ ac Reipublicæ labo-
ranti succurreret: & ideo ait difficili Reipublicæ tempore: quia nimirũ Marij & Syllæ
discordijs, Populi ac Senatus dissensione, res Romana nutabat, & in maximis pericu-
lis versabatur: præsertim verò cum non deessent. ex patritiis, inter quos Consul erat
Scipio, qui Carbonem ac cæteros Marianos sectarentur: ita ut Senatus etiam secum
Dubitatur ipse pugnaret ac dissideret. Quanquam illud dubites, quî hæc summa Catuli volun-
tate sint constituta, cum ea priuatus ac propria voluntate gesserit Pompeius. Sed ta-
Responde-tur. men vel quia Pompeius hac in re secutus est demortui parentis, Pompeij Strabonis
in quam, vestigia, qui paulò antè publica authoritate exercitum aduersus Cinnam
Marianósque duxerat, vel quia Catulo ac Senatui laboranti præsto fuit, ac propterea
Senatum Pompeij facta probasse non est quòd dubitemus, nihil prohibet cur ea sum-
ma Catuli voluntate gesta esse fateamur: quod si obijcias constituta Catuli voluntate
illa dici quòd decreta fuerint priùs a Catulo tum a Pompeio gesta, iam cætera saltem 342
quæ commemorabit in Pompeio constituta, eiusmodi fermè omnia videri poterunt,
hæc certè non possunt. nisi tamen dicas ea quæ vtiliter alicui geruntur & cum eius
magno bono geruntur, tacitè saltem censeri eius voluntate gesta. nam certè hinc
salus reipublicæ est consecuta. Sed clausula hæc sit. Affirmauit quidem M. Tullius
multa esse in Pompeio noua, summáque Catuli voluntate constituta; sed tamen cum
è vestigio tria isthæc subijceret quæ Pompeius non publica authoritate sed priuatus
gessisset, ea noua tantùm appellauit, non Catuli quoque voluntate dixit constituta: ita
vt priora illa verba commodè ac proinde distributè sint intelligenda. ita scilicet vt tria
ista sint noua tantùm, cætera fermè & noua & Q. Catuli voluntate constituta. Sed &
hîc obseruanda est figura illa nobilis quam Græci ἀντιστροφὴν, latini aliqui Conuersio-
nem, appellant; vt cum ait Cicero in Antonium, *Doletis tres exercitus Po-
puli Rom. interfectos? interfecit Antonius. Desideratis clarissimos ciues?
eos quoque eripuit vobis Antonius; authoritas huius ordinis
afflicta est? afflixit Antonius.*

PAR-

PARTICVLA CLIX.

QVid tam præter consuetudinem quàm homini peradolescenti, cuius a Senatorio gradu ætas longè abesset, imperium atque exercitum dari? Siciliam permitti atque Africam, bellúmque in ea administrandum? fuit in his prouincijs singulari innocentia, grauitate, virtute: bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportauit.


Aec quoque quæ iamdiu commemorata sunt a nobis, perspicua videri
343 possunt. Diximus enim quî & quam ob causam siue in Siciliam siue in Africam nauigarit, & quid ibi gesserit. Quamquam tria sunt hîc obseruanda. Vnum est ea verba *Imperium atque exercitum dari*, significare exercitum reuera & Imperium hoc tempore a Senatu P. Q. R. fuisse datum; contra quàm accidit supra, cum exercitum priuatus confecit. Eodémque modo, quoniam ibi Pompeius exercitui non publica sed priuata præfuit authoritate, nec a Senatu imperator, sed a Sylla primùm aut certè ab exercitu, est consalutatus, non tam dixit imperium gessisse, quàm exercitui præfuisse: hîc quoniam publica accessit authoritas, imperium illi datum affirmat. Alterum est ideo dici Pompeium exercitum ad Vrbem deportasse, quia licet iussus sit a Sylla exercitum in Africa dimittere, réque ipsa aliquam eius partem dimiserit, alteram tamen partem Romam deportauit, & classe (id enim propriè est deportare) secum reuexit reduxítque. Victorem verò deportasse dicitur ob Iarbam Domitiúmque deuictum: quin ob Africam subactam, vt Plutarchus loquitur. Etsi Iarbs in primis, quem captiuum in triumphum duxit, videtur spectasse: nam Domitium, ne de Romano ciue, etsi alioquin perduelle, triumpharet, capite plectendum curauit statim ac captus est. Postremum est, M. Tullium supra sic de tribus illis interrogasse, vt respondens, sua singulis eleganter reddiderit verba. nunc tria rursus aut quatuor de Pompeio sciscitatur, quibus multò aliter (orationis scilicet variandæ causæ) subijcitur responsio, etsi alioquin respondetur singulis.

PARTICVLA CLX.

344 *QVid verò tam inauditum, quàm equitem Romanum triumphare? At eam quoque rem Populus Rom. non modò vidit, sed etiam studio omni visendum putauit.*


Eueta inauditum erat vt eques Romanus triumpharet. & ideo cum Pompeius ad Vrbem redijsset triumphúmque peteret, *Triumphum petenti* (inquit Plutarchus) *negauit Sylla: siquidem Consuli vel Prætori tantùm, nemini præterea per legem permitti. quamobrem Scipionem superiorem qui in maioribus & nobilioribus certaminibus Pœnos vicerat in Hispania, quòd nec Consul esset nec Prætor, non postulauisse triumphum. Quod si Pompeius penè adhuc imberbis, qui Senator propter ætatem non sit, triumphans in Vrbem inueheretur, inuidiosum planè & sibi imperium & illi fore honorem.* Sic Scylla apud Plutarchum: qui propterea si peteret, se repugnaturum intercessurúmque affirmauit. Sed frustra. Itaque pergit Plutarchus. *Enimuero nihil ideo trepidauit Pompeius, verùm reputandum prædicauit Sylla, Plures solem orientem quàm occidentem adorare: innuens suam increscere, illius decrescere potentiam. Id Sylla non satis intellexit: sed cum videret eos qui audierant, vultu & gestu obstupefactos, rogauit quid dictum esset. vbi accepit, Pompeij audacia defixus, exclamauit, Triumphet, Triumphet.* Sic Plutarchus. Hîc tamen non est cunctandum fateri, non modò Consuli ac Prætori verùm etiam Dictatori triumphare licuisse. profectò tum Sylla
345 Dictator triumphauit, tum (ne Syllam tirãnum potiùs quàm verum Dictatorem

appelles) Camillus in primis ac Fabius Maximus. Iurè autem (vt ad Pompeium redeam) commemoratur Populi Rom. studium in Pompeij triumpho: nam præterquam quod res nouæ delectant, nihil in Vrbe triumpho præclarius. itaque iurè B. Augustinus inter ea quæ spectare optasset, Romam triumphantem recensuit. adde quod Pompeius, quippe equestris ordinis, quadam veluti affinitate attingebat Populum; ita vt non posset hic non lætari a Patribus quibuscum dissensiones passim exercebat, ad equites etiam triumphum deuolui. Quanquam summo studio huiusmodi triumphum sibi visendum putauit Populus, quòd Pompeium in oculis ferret vnicéque diligeret: siue enim quòd aspectu ac forma miram referret pulchritudinem, quæ sine dubio suapte sponte conciliat beneuolentiam; siue quod suauissimis moribus præditus esset quibus alliceret animos, siue quia rerum gestarum gloria admirationi esset omnibus, siue quia Populum mirificè coleret; incredibile dictu est quantopere Populus in Pompeium propensus esset. Id quod eò admirabilius videri debet, quòd ipsius Pompeij pater, Pompeius Strabo inquam, Populo inuisus planè odiosúsque esset: idque tum quia vultu trux esset ac sæuus, strabósque haberet oculos, tum quia immitis esset atque asperis moribus, vt propterea mira fuerit talis ac tanta rerum in istis commutatio. Confirmat verò Plutarchus etiam Populi studium in Pompeij triumpho, Nam *id etiam* (inquit) *studium plebis ei maiorem in modum conciliauit: siquidem gratum Populo fuit quòd a triumpho inter equites censeretur*. Consultò autem M. Tullius vni Populo Rom. id tribuit vt tanto studio Pompeij spectauerit triumphum: nam etsi facilè dissimularent Patres, rem tamen ægrè tulerunt, Seruilius etiam non secus ac Sylla aduersatus est. denique exercitus ac Populi voluntate triumphauit veriùs quàm Senatus decreto. itaque Crassus etiam apud Plutarchum a Populo triumphũ Pompeio decretum affirmat. & ideo in hoc primo triumpho non ait M. Tullius Pōpeium ex S.C. triumphasse, quemadmodum in secũdo affirmabit, sed tantùm triumphasse. Quanquam de secundo etiam dubitare liceat. Sed de hoc paulò post. 346 *in Pōp.*

PARTICVLA CLXI.

QVid tam inusitatum quàm vt cum duo Consules clarissimi fortissimique essent; eques Rom. ad bellum maximum formidolosissimúmque pro Consule mitteretur? missus est. quo quidem tempore, cum esset nonnemo in Senatu, qui diceret, non oportere mitti hominem priuatum pro Consule Philippus dixisse dicitur, non se illum sua sententia pro Consule, sed pro Consulibus mittere. Tanta in eo Republica benè gerendæ spes constituebatur, vt duorum Consulum munus vnius adolescentis virtuti committeretur.



COmmemorat eandem rem Plutarchus: qui testatur L. Philippum retulisse de Hispaniæ prouincia Pompeio decernenda. & hinc factũ est vt idem Philippus illud responderet non se illum pro Cōsule sed pro Consulibus mittere. Sed qui obsecro erant clarissimi isti fortissimique consules? nam Plutarchus, ideo Philippum dixisse ait pro Consulibus mittendum Pompeium, quòd tacitè significare voluisset illius anni Consules nullo numero esse. Sanè de M. Aemilio Lepido seu Man. Aemilio Lepido quem alij vocant, satis constat: sed de altero non constat: alij enim Q. Catulum alij D. Brutum numerant. Ipse tamen Catulum fuisse alterum inde conijcio, quòd eodem in loco testetur Plutarchus Catulum præcepisse Pompeio vt dimitteret exercitum: Pompeium tamen cunctatum esse, donec L. Philippus de prouincia Pompeio decernenda (quod obtinuit) referret. Sed vt vt fit, & L. Philippus socordiæ notare potuit eos Consules, cum impares essent Sertorio, cui tamen Pompeius adolescens par videbatur: & Cicero alioquin de more eos laudare & clarissimos fortissimósque appellare potuit, ne inuidiam subiret. meminit verò Cicero L. Philippi in oratione pro Plantio, eúmque nobilitatis & eloquentiæ commendat nomine. denique bellum maximum formidolosissimúmque appellat Cicero Hispaniense,

p.286.1. f.2.p. 347.

quòd

quòd Sertorius iam Metellum Pium sæpè elusisset, cladibus etiam quibusdam affecisset, ac timorem, vt erat Imperator strenuus & vigilantissimus, Hispanósque & Lusitanos miris modis sibi deuinxerat & in Romanos concitauerat, Populo Romano incussisset.

PARTICVLA CLXII.

Quid tam singulare, quàm vt ex Senatus Consulto, legibus solutus, Consul antè fieret, quàm vllum alium magistratum per leges capere licuisset?

348 Vm ex Hispania victor rediisset, triumphus illi & consulatus, id Populo in primis exoptante; a Senatu decretus est: sed inuito ferè, & vt exercitum dimitteret. Suspicio enim & metus (inquit Plutarchus) Senatum inuaserat, Pompeium non dimissurum exercitum, sed armis Syllæ more dominatum occupaturum. quanquam Pompeius hanc, vt minueret inuidiam, se exercitum dimissurum declarauit statim atque triumphasset. triumphus igitur & Consulatus illi decretus est. Hinc verò licet animaduertere ante annum trigesimum quartum non licuisse Magistratus attingere. nam cum ex Historicis satis constet Pompeium egisse trigesimum quartum cum primum obiuit cōsulatum, & tamen eo tempore nondum ei per leges liceret magistratum vllum capere, ita vt legibus soluendus fuerit; satis constat, saltem ante illud tempus non patuisse cuiquam ad Magistratus aditum: Maiores verò Magistratus intelligo seu curules, qualis erat Prætura, Censura, Consulatus, vrbana etiam Quæstura (vt monent aliqui) seu veriùs ædilitas. nam Magistratus reliquos quibus curulis sella nequaquam concedebatur, anteà fermè licebat attingere. tametsi Consulatum ante quadragesimum tertium obire haud licebat: ita vt Pompeio ferè ante decennium facta sit Consulatus capiendi potestas. cum Crasso autem gessit Consulatum, quòcum tamen interim simultates exercuit, quantumuis vt Crassus (id quod Plutarchus declarat) illo potiretur, fuisset author.

p. 287. I. m.

PARTICVLA CLXIII.

Quid tam incredibile quàm vt iterum eques Romanus ex S. C. triumpharet?

349 Mphasim habent ea verba ex S. C. nam primum triumphum (vt paulò ante dicere cœpi) non ex S. C. gessit. ea verò de causa videri potest incredibile, quòd hac in re de sua dignitate minuere visus est Senatus, cum eam dignitatem ipse Pompeio decreuit cui idoneus non esset eques, quámque primum minimè iubente Senatu arripuisset: ita vt Patres contra proprium commodum ac dignitatem decreuerint. Sed (vt dicebam) id inuiti fecerunt, & vt Pompeius exercitum dimitteret (quod fecit statim atque triumphauit) ac metu illo Rempublicam liberaret. Atque hîc sanè haud ab re fuerit obseruasse Tullianam copiam in verbis illis, *quid tam nouum, quid tam præter consuetudinem, quid tam inauditum, quid tam insitatum, quid tam singulare, quid tam incredibile*, quibus singulis singula subijciens, orationem mirificè variat exornátque. Sed & illud obseruari velim, quod inter Oratorem & Historicum intercedat discrimen in rebus gestis narrandis. Historico enim vitio verteretur si quæ de Pompeio commemorauit M. Tullius, ea ratione narraret, vt reticeret aut dissimularet tam multa: vt primò exercitus potiùs ac Populi quàm Senatus voluntate, triumphasse & id genus alia: debent enim res perindeac gestæ sunt narrari, nec quidquam quod ad planam atque perspicuam rei cognitionem pertineat, dissimulare debet Historicus. Orator contra, quippe qui laudationem instituit, & vt persuadeat molitur, potest & verò debet

bet ea dissimulare aut prӕterire quӕ laudi & persuasioni haud seruiunt. & idcirco laudandus est veriùs quàm reprehendendus Cicero, dum tam dissimulanter & cautè illa percenset quӕ noua in Pompeio contigissent? Sed ad pensum.

PARTICVLA CLXIV.

QVa in omnibus hominibus noua post hominum memoriam constituta sunt, ea tam multa non sunt, quàm hӕ quӕ in hoc vno homine vidimus.



CVm tam multa obseruauerit, quӕ prӕter morem in Pompeio constituta essent, quasi exclamans, affirmat ne in omnibus quidem hominibus post hominum memoriam tam multa prӕter morem seu noua fuisse constituta. Vbi sine dubio hyperbolicè loqui videtur: nam si dixisset in nullo alio tam multa fuisse visa aut constituta, rectè fortasse ac verè: sed cum dicat in omnibus hominibus, id verò fidem superat omnem. quin ne si quidem in vno aliquo dixisset, id tuto dixisset cum adderet post hominum memoriam: vnde enim, obsecro, constare poterat M. Tullio neminem fuisse post hominum memoriam in quo tam multa prӕter morem seu noua essent constituta? Sed nimirum amantibus canebat, & apud eos dicebat, qui Pompeij laudes augeri ferebant non grauatè. Denique vt rei magnӕ exprimendӕ causa aliquid incredibile proferamus, passim vsitatum videmus. 350

PARTICVLA CLXV.

ATque hac tot exempla tanta ac tam noua profecta sunt in eundem hominem a Q. Catuli atque a cӕterorum eiusdem dignitatis amplissimorum hominum authoritate,



IN circulum iam recurrit oratio. cũ enim Catulum refellere cœpisset, dum nil noui in Pompeio diceret statuendum, nil contra exẽpla Maiorum & instituta gerẽdum, illud in primis obijciebat, noua permulta & prӕter exempla institutáque Maiorum fuisse in ipsomet Pompeio summa eiusdem Catuli voluntate constituta: quӕ stat m etiam, ne temerè id affirmare videretur; commemorare cœpit atque auditoribus in memoriam reuocare. Nunc igitur cum ea percensuerit, rursus confirmat eiusdem Catuli voluntate fuisse constituta, vt scilicet puderet Catulum affirmare, nihil in Pompeio esse nouandum. Addit autem hӕc tam noua quӕ commemorauerat, non modò a Q. Catuli verùm etiam ab aliorum eiusdem dignitatis amplissimorum hominum authoritate esse profecta, duabus (vt opinor) de causis. vna est quia si fortè quis illud obiecisset non sibi idcirco dignum videri vt ob vnius hominis authoritatem contra exempla & instituta Maiorum sit aliquid gerendum, is sentiat aliorum quoque amplissimorum patrum authoritatem ac voluntatem accessisse. Altera est quia cum satis constaret alios multos eósque grauissimos Patres cum Catulo sentire contra Pompeium, atque in hac ipsa Catuli ratione niti; hos etiam sibi vno eodémque tempore refellendos, atque vna eâdémque veluti machina prosternendos, existimauit. Atque hîc quidem rursus cautione indigemus, dum hӕc tot exempla tanta ac tam noua statuit ab istorum authoritate esse profecta. nam quod ab initio diximus dum affirmaret Cicero Pompeium adolescentulum confecisse exercitum, eidem prӕfuisse, rémque optimè suo ductu gessisse, ea inquam nequaquam videri a Catuli voluntate profecta, idem de primo triumpho affirmare licet: nam sponte triumphauit: atque idem quoquo modo de altero triumpho déque consulatu dici posset, quӕ duo ab inuitis extorsit. ita vt vel distributè sint hӕc explicanda, vel certè oratoriӕ licentiӕ tribuenda. 351

PAR-

PARTICVLA CLXVI.

QVare videant ne sit periniquum & non ferendum, illorum authoritatem de Cn. Pompeij dignitate a vobis comprobatam semper esse: vestrum ab illis de eodem homine iudicium Populique Romani authoritatem improbari.



CVm videri possit refutasse Catuli sociorúmque sententiam, aut saltem illa argumenta reiecisse quæ dicebam, iam commoda hinc occasione arrepta, eò refert orationem, vt Populum Rom. commoueat impellátque contra Manilianæ legis aduersarios; vt scilicet eam labefactari ne patiatur sed strenuè tueatur. Vbi obseruandum est, scitè illud præcepisse Aristotelem, tunc maximè auditores tibi incendendos ac permouendos, cum tuam sententiam confirmaueris atque aduersatiam reieceris. En igitur M. Tullius, qui causa comprobata, præcipuísque illis Catuli argumentis reiectis, Populum Rom. instigat atque incitat contra eos quos præstrinxit aduersarios. Cum igitur Populus Rom. tanta humanitate ac facilitate tot ac tanta approbauerit & affirmauerit quæ Patres illi præter exempla Institutáque Maiorum in Pompeio decreuissent, cur non iniquum intolerandúmque sit, vt nunc, cum vnum aliquid vicissim præter huiusmodi exempla de Pompeio statuat Populus Rom. id illi repre-
353 hendant, Populi Rom. sententiæ ac voluntati reclamantes ac repugnantes? Ita quidem acutè Populum Rom. incendit vt aduersus Catulum & sectatores suam, vt par est, sententiam tueatur: ac Manilij legem, velint illi aut nolint, ratam esse iubeat, cum eorum dignitas agatur & authoritas.

PARTICVLA CLXVII.

PRæsertim cum iam suo iure Populus Rom. in hoc homine suam authoritatem, vel contra omnes qui dissentiunt, possit defendere: propterea quòd istis reclamantibus; vos vnum illum ex omnibus delegistis, quem bello prædonum præponeretis.



PRopositam rationem confirmat altiùs exaggerátque, vt Populum Rom. magis adhuc & magis inflammet. Cum enim fecisset antea suum de Pompeio in piratico bello iudicium authoritatémque defendisset contra illos omnes qui dissentirent atque adeò reclamarēt; quidni idem iudicium, eandem authoritatem ac dignitatem, tueatur in Mithridatico? certè si id fecerit, suo iure fecisse, ac veluti præiudicio egisse, videri potest. Ergo quemadmodum vos (inquit) vnum Pompeium ex omnibus delegistis contra piratas, idque istis ipsis, Catulo nimirum, Hortensio & sectatoribus reclamantibus; ita faciendum est vt nunc etiam, quod de Pompeio iudicium fecistis, firmum esse iubeatis, atque vnum Pompeium Imperatorem decer-
354 natis. Ait verò Pompeium bello prædonum fuisse propositum (*præponeretis* enim lego, non *proponeretis* vt aliqui) quod fortasse Gabinia lex ita haberet, conceptóque verbo prædones exprimeret. alioquin M. Tullius dixit nauali bello esse præpositum: quod etiam bellum omnium gentium appellauit; ne scilicet minui videretur Pompeii dignitas, quasi contra latrones delectus fuisset Imperator. Etsi alioquin fatebatur interim Populum Rom. miseria ac turpitudine liberatum, quòd scilicet Populus Rom. magnam ex hostibus illis contraheret turpitudinem ac labem. Sed qua rursus Pop. Rom. ratione inflamet, audiamus.

PARTICVLA CLXVIII.

HOc si vos temerè fecistis, & Reipublicæ parum consuluistis, rectè isti studia vestra suis consilijs regere conantur. Sin autem vos plus tum in Republica vidistis, vos, his repugnantibus, per vos ipsos dignitatem huic Imperio salutem orbi terrarum, attulistis; aliquando isti Principes & sibi & cæteris Populi Rom. vniuersi authoritati parendum esse fateantur.

ACutè, si enim quod paulòante in piratico de Pompeio decreuerat Populus Rom. minùs prudenter atque adeo temerè fuisset constitutum; haberent aduersarij cur iam in Mithridatico repugnarent illius voluntati, eiusdémque studia suis consilijs regere niterentur. Sed cum Populus Rom. plus viderit, sapientérque, etsi illis repugnantibus, Pompeium delegerit, Reipublicæ dignitatem Orbi terrarum salutem per se ipsum afferens, est cur tandem aliquando Principes isti fateantur sibi cæterísque omnibus Populi Rom. authoritati parendũ esse. Hic verò Q. Catulum eiusdémque sententię propugnatores appellat Principes, vt clam illis inuidiam
conflet, qui se in Republica Principes haberi vellent; ac Populo Rom. vniuerso, cui
obtemperandum est, resistere non dubitarent. Quin illud *Principes isti* ironicè for- 355
tasse dicitur, quia perperam sibi summam in republica authoritatem vindicarent, ac suis illam consilijs ad nutum, si Deo placet, regere niterentur. vel fortasse tacitè Reipublicæ labem indicat, quæ iam flecteret ad Oligarchiam, dum Crassus, Piso, Cæsar, aliique multi omnia ad suam vtilitatem rapientes, principem authoritatem vel occuparent, vel affectarent. Itaque Cicero qui adhuc nouus erat in Republica, Populo fauet, vt inclinantem Reipublicæ dignitatem sustentet ac tueatur.

PARTICVLA CLXIX.

ATque in hoc bello Asiatico & regio, non solùm militaris illa virtus quæ est in Cn. Pompeio singularis; sed aliæ quoque virtutes animi multæ & magnæ requiruntur.



FAcilè contigerat vt aduersarij, atque inter hos Catulus, alterum adhuc argumentum afferentes, affirmarent non deesse alios militari virtute præditos viros qui possent strenuè bellum illud administrare. quid enim erat cur negarent bellum illud maximum ac necessarium Pompeio esse committendum, nec interim aut quemquam alium denomine proferrent cui posset munus hoc demandari, aut saltem affirmarẽt, non deesse qui egregiè illam belli molem possent sustinere? Itaque faciendum erat M. Tullio vt hac quoque in re aduersarios refelleret, atque vnum Cn. Pompeium tali ac tanto bello idoneum esse ostenderet. Hac igitur de causa respondet Asiaticũ hoc
regiúmque bellum non modò militarem virtutem requirere in Imperatore, verùm
etiam alias virtutes multas ac magnas. vbi primùm non statim concedit quempiam 356
esse qui militari virtute Pompeium æquaret (ideo enim ait hanc in Pompeio esse singularem quod est eximiam ac summam) tum vbi id contingeret, adhuc contendit alias quoque animi virtutes in tali imperatore requiri, quibus cæteri (id quod continenter docebit) careant. intelligit autem temperantiam, fidem, humanitatem, ac cæteras virtutes illas quas in Pompeio præter fortitudinem esse ostenderat; sed in primis iustitiam ac moderationem, vnde auaritiam ac libidinem a se suísque arceret longiùs, atque hinc efficiet vnum Pompeium idoneum esse Asiatico illi bello. Ideirco autem in Asiatico hoc bello & regio sigillatim tot ac tantas in Imperatore virtutes requirit, quòd ea prouincia prædiues esset & opulenta, atq; omnibus cõmodis abundaret, ita vt suis diuitijs ac delitijs plus quã cęteræ allicere posset militẽ, & ideo pergit.

PAR-

PARTICVLA CLXX.

D*Ifficile est in Asia, Cilicia, Syria, regnis exterarum nationum ita versari vestrum imperatorem, vt nil aliud quàm de hoste, ac laude cogitet.*



Idetur hîc pulcherrimum veluti documentum vel imperatori præscribere, vel in re militari & imperatoria pro comperto sumere; nimirum aliud nihil Imperatori cogitandum quàm de hoste ac laude: de hoste vt eum superet: siquidem ad victoriam referenda sunt illi facta, dicta, cogitata omnia: de laude, vt ne malis interim artibus ad eam contendat, ac propterea siue cum suis siue cũ hostibus agat,
357 nihil nisi honorificum gerat ac laude dignum. Quanquam aliud quiddam tacitè, præterea indicat his verbis; nimirum si personas spectemus, cogitandum de hoste tantùm, non de sociorum vel coniugibus vel liberis vel mancipijs: si de rebus, non esse cogitandum de sociorum opibus ac diuitijs: ita quidem ibi libidini, hîc auaritiæ, omnino resistendum ostendit. quod is optimè fecerit qui de hoste tantùm ac laude cogitet. & ideo paulò post, *Etiam si quem* (inquit) *habeatis qui collatis signis exercitus regios superare posse videatur; tamen nisi erit idem qui se a pecunijs sociorum, qui ab eorum coniugibus ac liberis, qui ab auro gazáque regia manus, oculos, animum cohibere possit, non erit idoneus qui ad bellum Asiaticum regiúmque mittatur.* En huc sine dubio spectat documentum istud pulcherrimum: quia reuera difficile esset ab illis temperare partim propter ingentes eorum locorum delitias ac diuitias; partim propter corruptam eorum temporum disciplinam, qua factdm esset vt Imperatores ac milites rapinis ac prædæ inhiarent, cupiditatibus denique omnibus indulgerent. certè aliqui non modò aurum, verùm etiam signa, tabulas, vestes, vasa, mancipia. quicquid denique pretiosum erat, inde asportauerant. itaque *præclarum est* (inquit alibi) *ita in Asia summo cum imperio versari, vt nullum te signum, nulla pictura, nullum vas, nulla vestis, nullum mancipium, nulla forma cuiusquam, nulla conditio pecuniæ, quibus rebus abundat ista Prouincia; ab summa in-*
358 *tegritate, continentiáque deduxerit.* In Pompeio igitur spes erat omnis collocanda, qui se suósque ab istis cupiditatibus coërceret. & ideo illud affirmabat. *Quæ cæteros remorari solent, hunc non retardarunt: non auaritia ab instituto cursu ad prædam aliquam reuocauit: non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem: postremò signa & tabulas cæteráque ornamenta Græcorum oppidorum quæ cæteri tollenda esse arbitrantur; ea sibi ille ne visenda quidem existimauit.* Hæc & id genus alia de Pompeio. Appellat verò Asiam & cæteras illas regiones; exterarum nationum regna, non quòd exterarum nationum regna essent potiùs quàm Populi Rom. Prouinciæ; sed quia ex exteris nationibus constarent. nisi tamen aliquas quoque Asiæ ac reliquarum illarum prouinciarum regiones extra Romani imperij fines designat, quibus oppugnandis minùs idoneus sit qui aliud quàm de hoste ac laude cogitet.

PARTICVLA CLXXI.

D*Einde etiam si qui sunt pudore ac temperantia moderatiores; tamen eos esse tales propter multitudinem cupidorum hominum nemo arbitratur.*



Voniam fortasse ab aduersarijs proferri potuisset aliquis Imperator qui non facilè pudorem ac temperantiam abiecisset, esto etiam (inquit M. Tullius) aliqui sint moderatiores, qui inquam non planè abiecerint moderationem (vox enim *moderatiores* non tam auget quàm vtrumque extenuat, vt *superbiùs, acerbiùs* non auget) sed pudorem ac temperantiam vtcunque colere videantur; verumtamen Prouinciarum illarum Populi vix èc ne vix quidem id vel sentiunt vel credunt, dum reliquorum cupidissimorum hominum multitudinem intuentur: difficile est enim

paucos

paucos quosdam temperantes inter talem ac tantam intemperantium colluuionem 359
agnoscere. Atque hæc etiam dicuntur a M. Tullio, vt cum Pompeium & eius exercitum ab ista labe immunem, cæteros ea fœdatos, ostenderit confirmaritque, vni Pompeio tale ac tantum bellum mandari posse demonstret. & ideò liberiùs adhuc ad cæterorum labem se se conuertit pergens.

PARTICVLA CLXXII.

Difficile est dictu, Quirites, quanto in odio simus apud exteras nationes, propter eorum, quos ad eas hoc anno cum imperio misimus, iniurias ac libidines. quod enim fanum putatis in illis terris nostris magistratibus religiosum? quam ciuitatem sanctam? quam domum satis clausam ac munitam fuisse? vrbes iam locupletes, ac copiosæ requiruntur: quibus causa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur.

Rem hanc cum vniuersim declarauit supra noster Author, tum egregiè prosequitur in Epistola illa nobili ad Q. Fratrem. Historici etiam non silent; inter quos Sallustius Syllanorum hac in re auaritiam ac rapinas deplorat fusè. Itaque Mithridates vt Romanorum auaritiam sugillaret, Aquilio Prætori aurum in os infundi iussit ac percolari. Denique Romanorum rapinæ effecerunt, vt Mithridati dynastæ assentientes, tot millia Romanorum vno eodémque die Asia tota enecarent. Cicero tamen in præsentia refert recentiora vulneta, ad eos descendens qui per idem tempus 360
atque adeò anno illo ob libidinem & auaritiam Romano imperio conflarent odium ingens. Id quod crediderim propter L. Pisonem & Acilium Glabrionem pronunciari maximè: quorum ille Hispaniam, hic Asiam obtinuerat, cum perfuncti essent Consulatu. Quanquam nil prohibet qui in Prætores aliquos intelligat, quibus Prætoriæ obtigerant Prouinciæ. Etsi Acilium in primis notare voluisse suspicarim: nam præterquam quod paulò antè indicauit hunc sibi legatum delegisse ad Prouinciam non cutandam sed expilandam, hic Lucullianos milites habebat secum, qui rapinis assueti erant egregiè. Hic verò, etsi iniurias ac libidines deploret, illis prædas atque rapinas, ijs stupra, ac summatim (id quod vox indicat) libidines ipsas, indicans, nil tamen commemorat interim quod non ad rapinas pertineat. nisi tamen illud *quam domum satis clausam ac munitam fuisse putatis*, ad libidines etiam referatur. sanctam verò dicit ciuitatem quòd a priscis illis mortalibus inauguratò condi solerent Vrbes, ac numini etiam dicari, ac summatim aliqua ratione in Deos referri. Opulentis verò vrbibus inferri ait propter diripiendi cupiditatem causam belli, quod est belli prætextum & occasionem; dum scilicet periculum illis ab hostibus imminere simulantes obtendentésque, præsidia ibi collocabant tutandi specie, re vt illas diriperent.



PAR-

PARTICVLA CLXXIII.

Libenter hac coram cum Q. Catulo & Q. Hortensio disputarem summis & clarissimis viris: nouerunt enim sociorum vulnera: vident eorum calamitates, querimonias audiunt.

361 FAcilè contigerat vt qui Pompeium mittendum negarēt, alium quempiam proponerent qui non temperantissimus esset: facilè etiam acciderat vt Catulus & Hortensius Acilio fauerent interim, vt ne exercitum alteri concedere cogeretur. Cicero igitur, quippe qui nouerat ad prædam illos veriùs quàm ad tutandas Prouincias paratos esse, id Catulo & Hortensio tacitè obijcit, percupidum se ostendens de ijs coram, quod est cum illis præsentibus, vel potiùs (quoniam Hortensium interfuisse satis demonstrauimus) priuatim non publicè, disputare: præsertim cum isti nō ignorarent sociorum detrimenta & calamitates, simulque illorum audirēt querimonias. interim igitur vel quia saltem abesset Catulus, vel quia per tempus non satis ea liceret prosequi, vel quia priuatim potiùs quàm publicè illa cuperet cum illis agere (etsi re ipsa inuidiam ac periculum declinat, opinor) eiusmodi detrectat disputationem & contentionem. ita tamen vt ad eos qui aderant Patres conuertat orationem, iisque saltem calamitatis illius originem cursim ostendat. Neque enim crediderim hæc tam Populo quàm Patribus exponi, cum contineant reprehensionem. Denique ij, non Populus Acilio interim atque huius ordinis Imperatoribus aut Prætoribus fauebant, ac propterea ij, non Populus obiurgandus. Sed quid obiiciat audiamus.

PARTICVLA CLXXIV.

PRo socijs vos contra hostes exercitum mittere putatis? an hostium simulatione contra socios atque amicos? quæ ciuitas est in Asia quæ non modò vnius Imperatoris aut legati sed vnius Tribuni militum animos ac spiritus capere possit?

362 ASiaticam calamitatem attingit eius originem aperiens, quia nimirum exercitum nomine quidem contra hostes, re contra socios ipsos, mitterent; ita vt nulla Vrbs esset in Asia quæ, non dico vnius Imperatoris aut legati, sed ne vnius quidem tribuni militum, animos ac spiritus, hoc est fastum, libidinem, in primis verò auaritiam, capere aut explere posset.

PARTICVLA CLXXV.

QVare etiam si quem habetis, qui collatis signis, exercitus regios superare posse videatur; tamen nisi erit idem, qui se a pecunijs sociorum, qui ab auro gazáque regia, manus, oculos, animum cohibere possit, non erit idoneus qui ad bellum Asiaticum regiúmque mittatur.

paucos quosdam temperantes inter talem ac tantam intemperantium colluuionem 359
agnoscere, Atque hæc etiam dicuntur a M. Tullio, vt cum Pompeium & eius exercitum ab ista labe immunem, cæteros ea fœdatos, ostenderit confirmaritue, vni Pompeio tale ac tantum bellum mandari posse demonstret. & ideò liberiùs adhuc ad cæterorum labem se se conuertit pergens.

PARTICVLA CLXXII.

Difficile est dictu, Quirites, quanto in odio simus apud exteras nationes, propter eorum, quos ad eas hoc anno cum imperio misimus, iniurias ac libidines. quod enim fanum putatis in illis terris nostris magistratibus religiosum? quam ciuitatem sanctam? quam domum satis clausam ac munitam fuisse? vrbes iam locupletes, ac copiosæ requiruntur: quibus causa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur.



Rem hanc cum vniuersim declarauit supra noster Author, tum egregiè prosequitur in Epistola illa nobili ad Q. Fratrem. Historici etiam non silent; inter quos Sallustius Syllanorum hac in re auaritiam ac rapinas deplorat fusè. Itaque Mithridates vt Romanorum auaritiam sugillaret, Aquilio Prætori aurum in os infundi iussit ac percolari. Denique Romanorum rapinæ effecerunt, vt Mithridati dynastæ assentieutes, tot millia Romanorum vno eodémque die Asia tota enecarent. Cicero tamen in præsentia refert recentiora vulnera, ad eos descendens qui per idem tempus 360
atque adeò anno illo ob libidinem & auaritiam Romano imperio conflarent odium ingens. Id quod crediderim propter L. Pisonem & Acilium Glabrionem pronunciari maximè: quorum ille Hispaniam, hic Asiam obtinuerat, cum perfuncti essent Consulatu. Quanquam nil prohibet quin Prætores aliquos intelligat, quibus Prætoriæ obtigerant Prouinciæ. Etsi Acilium in primis notare voluisse suspicarim: nam præterquam quod paulò antè indicauit hunc sibi legatum delegisse ad Prouinciam non tuendam sed expilandam, hic Lucullianos milites habebat secum, qui rapinis assueti erant egregiè. Hîc verò, etsi iniurias ac libidines deploret, illis prædas atque rapinas, iis stupra, ac summatim (id quod vox indicat) libidines ipsas, indicans, nil tamen commemorat interim quod non ad rapinas pertineat. nisi tamen illud *quam domum satis clausam ac munitam fuisse putatis*, ad libidines etiam referatur. sanctam verò dicit ciuitatem quòd a priscis illis mortalibus inauguratò condi solerent Vrbes, ac numini etiam dicari, ac summatim aliqua ratione in Deos referri. Opulentis verò vrbibus inferri ait propter diripiendi cupiditatem causam belli, quod est belli prætextum & occasionem; dum scilicet periculum illis ab hostibus imminere simulantes obtendentésque, præsidia ibi collocabant tutandi specie, re vt illas diriperent.



PAR-

PARTICVLA CLXXIII.

Libenter hac coram cum Q. Catulo & Q. Hortensio disputarem summis & clarissimis viris: nouerunt enim sociorum vulnera: vident eorum calamitates, querimonias audiunt.

361 
Acilè contigerat vt qui Pompeium mittendum negarēt, alium quempiam proponerent qui non temperantissimus esset: facilè etiam acciderat vt Catulus & Hortensius Acilio fauerent interim, vt ne exercitum alteri concedere cogeretur. Cicero igitur, quippe qui nouerat ad prædam illos veriùs quàm ad tutandas Prouincias paratos esse, id Catulo & Hortensio tacitè obijcit, percupidum se ostendens de ijs coram, quod est cum illis præsentibus, vel potiùs (quoniam Hortensium interfuisse satis demonstrauimus) priuatim non publicè, disputare: præsertim cum isti nō ignorarent sociorum detrimenta & calamitates, simulque illorum audirēt querimonias. interim igitur vel quia saltem abesset Catulus, vel quia per tempus non satis ea liceret prosequi, vel quia priuatim potiùs quàm publicè illa cuperet cum illis agere (etsi re ipsa inuidiam ac periculum declinat, opinor) eiusmodi detrectat disputationem & contentionem. ita tamen vt ad eos qui aderant Patres conuertat orationem, iisque saltem calamitatis illius originem cursim ostendat. Neque enim crediderim hæc tam Populo quàm Patribus exponi, cum contineant reprehensionem. Denique ij, non Populus Acilio interim atque huius ordinis Imperatoribus aut Prætoribus fauebant; ac propterea ij, non Populus obiurgandus. Sed quid obiiciat audiamus.

PARTICVLA CLXXIV.

Pro socijs vos contra hostes exercitum mittere putatis? an hostium simulatione contra socios atque amicos? quæ ciuitas est in Asia quæ non modò vnius Imperatoris aut legati sed vnius Tribuni militum animos ac spiritus capere possit?

362 
Siaticam calamitatem attingit eius originem aperiens, quia nimirum exercitum nomine quidem contra hostes, re contra socios ipsos, mitterent; ita vt nulla Vrbs esset in Asia quæ, non dico vnius Imperatoris aut legati, sed ne vnius quidem tribuni militum, animos ac spiritus, hoc est fastum, libidinem, in primis verò auaritiam, capere aut explere posset.

PARTICVLA CLXXV.

Quare etiam si quem habetis, qui collatis signis, exercitus regios superare posse videatur; tamen nisi erit idem, qui se a pecunijs sociorum, qui ab auro gazáque regia, manus, oculos, animum cohibere possit, non erit idoneus qui ad bellum Asiaticum regiúmque mittatur.

paucos quosdam temperantes inter talem ac tantam intemperantium colluuionem agnoscere, Atque hæc etiam dicuntur a M. Tullio, vt cum Pompeium & eius exercitum ab ista labe immunem, cæteros ea fœdatos, ostenderit confirmaritue, vni Pompeio tale ac tantum bellum mandari posse demonstret. & ideò liberiùs adhuc ad cæterorum labem se se conuertit pergens, 359

PARTICVLA CLXXII.

Difficile est dictu, Quirites, quanto in odio simus apud exteras nationes, propter eorum, quos ad eas hoc anno cum imperio misimus, iniurias ac libidines. quod enim fanum putatis in illis terris nostris magistratibus religiosum? quam ciuitatem sanctam? quam domum satis clausam ac munitam fuisse? vrbes iam locupletes, ac copiosæ requiruntur: quibus causa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur.

Rem hanc cum vniuersim declarauit supra noster Author, tum egregiè prosequitur in Epistola illa nobili ad Q. Fratrem. Historici etiam non silent; inter quos Sallustius Syllanorum hac in re auaritiam ac rapinas deplorat fusè. Itaque Mithridates vt Romanorum auaritiam sugillaret, Aquilio Prætori aurum in os infundi iussit ac percolari. Denique Romanorum rapinæ effecerunt, vt Mithridati dynastæ assentientes, tot millia Romanorum vno eodémque die Asia tota enecarent. Cicero tamen in præsentia refert recentiora vulnera, ad eos descendens qui per idem tempus 360 atque adeò anno illo ob libidinem & auaritiam Romano imperio conflarent odium ingens. Id quod crediderim propter L. Pisonem & Acilium Glabrionem pronunciari maximè: quorum ille Hispaniam, hic Asiam obtinuerat, cum perfuncti essent Consulatu. Quanquam nil prohibet quin Prætores aliquos intelligat, quibus Prætoriæ obtigerant Prouinciæ. Etsi Acilium in primis notare voluisse suspicarim: nam præterquam quod paulò ante indicauit hunc sibi legatum delegisse ad Prouinciam non tuendam sed expilandam, hic Lucullianos milites habebat secum, qui rapinis assueti erant egregiè. Hîc verò, etsi iniurias ac libidines deploret, illis prædas atque rapinas, iis stupra, ac summatim (id quod vox indicat) libidines ipsas, indicans, nil tamen commemorat interim quod non ad rapinas pertineat. nisi tamen illud *quam domum satis clausam ac munitam fuisse putatis*, ad libidines etiam referatur. sanctam verò dicit ciuitatem quòd a priscis illis mortalibus inauguratò condi solerent Vrbes, ac numini etiam dicati, ac summatim aliqua ratione in Deos referri. Opulentis verò vrbibus inferri ait propter diripiendi cupiditatem causam belli, quod est belli prætextum & occasionem; dum scilicet periculum illis ab hostibus imminere simulantes obtendentésque, præsidia ibi collocabant tutandi specie, re vt illas diriperent.



PARTICVLA CLXXIII.

Libenter hac coram cum Q. Catulo & Q. Hortensio disputarem summis & clarissimis viris: nouerunt enim sociorum vulnera: vident eorum calamitates, querimonias audiunt.

361 Facilè contigerat vt qui Pompeium mittendum negarēt, alium quempiam proponerent qui non temperantissimus esset: facilè etiam acciderat vt Catulus & Hortensius Acilio fauerent interim, vt ne exercitum alteri concedere cogeretur. Cicero igitur, quippe qui nouerat ad prædam illos veriùs quàm ad tutandas Prouincias paratos esse, id Catulo & Hortensio tacitè obijcit, percupidum se ostendens de ijs coram, quod est cum illis præsentibus, vel potiùs (quoniam Hortensium interfuisse satis demonstrauimus) priuatim non publicè, disputare: præsertim cum isti nō ignorarent sociorum detrimenta & calamitates, simúlque illorum audirēt querimonias. interim igitur vel quia saltem abesset Catulus, vel quia per tempus non satis ea liceret prosequi, vel quia priuatim potiùs quàm publicè illa cuperet cum illis agere (etsi re ipsa inuidiam ac periculum declinat, opinor) eiusmodi detrectat disputationem & contentionem. ita tamen vt ad eos qui aderant Patres conuertat orationem, iisque saltem calamitatis illius originem cursim ostendat. Neque enim crediderim hæc tam Populo quàm Patribus exponi, cum contineant reprehensionem. Denique ij, non Populus Acilio interim atque huius ordinis Imperatoribus aut Prætoribus fauebant, ac propterea ij, non Populus obiurgandus. Sed quid obiiciat audiamus.

PARTICVLA CLXXIV.

Pro socijs vos contra hostes exercitum mittere putatis? an hostium simulatione contra socios atque amicos? quæ ciuitas est in Asia quæ non modò vnius Imperatoris aut legati sed vnius Tribuni militum animos ac spiritus capere possit?

362 Asiaticam calamitatem attingit eius originem aperiens, quia nimirum exercitum nomine quidem contra hostes, re contra socios ipsos, mitterent; ita vt nulla Vrbs esset in Asia quæ, non dico vnius Imperatoris aut legati, sed ne vnius quidem tribuni militum, animos ac spiritus, hoc est fastum, libidinem, in primis verò auaritiam, capere aut explere posset.

PARTICVLA CLXXV.

Quare etiam si quem habetis, qui collatis signis, exercitus regios superare posse videatur; tamen nisi erit idem, qui se a pecunijs sociorum, qui ab auro gazáque regia, manus, oculos, animum cohibere possit, non erit idoneus qui ad bellum Asiaticum regiúmque mittatur.

paucos quosdam temperantes inter talem ac tantam intemperantium colluuionem agnoscere. Atque hæc etiam dicuntur a M. Tullio, vt cum Pompeium & eius exercitum ab ista labe immunem, cæteros ea fœdatos, ostenderit confirmaritue, vni Pompeio tale ac tantum bellum mandari posse demonstret. & ideò liberiùs adhuc ad cæterorum labem se se conuertit pergens. 359

PARTICVLA CLXXII.

Difficile est dictu, Quirites, quanto in odio simus apud exteras nationes, propter eorum, quos ad eas hoc anno cum imperio misimus, iniurias ac libidines. quod enim fanum putatis in illis terris nostris magistratibus religiosum? quam ciuitatem sanctam? quam domum satis clausam ac munitam fuisse? vrbes iam locupletes, ac copiosæ requiruntur; quibus causa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur.

Rem hanc cum vniuersim declarauit supra noster Author, tum egregiè prosequitur in Epistola illa nobili ad Q. Fratrem. Historici etiam non silent; inter quos Sallustius Syllanorum hac in re auaritiam ac rapinas deplorat fusè. Itaque Mithridates vt Romanorum auaritiam sugillaret, Aquilio Prætori aurum in os infundi iussit ac percolari. Denique Romanorum rapinæ effecerunt, vt Mithridati dynastæ assentientes, tot millia Romanorum vno eodémque die Asia tota enecarent. Cicero tamen in præsentia refert recentiora vulnera, ad eos descendens qui per idem tempus 360 atque adeò anno illo ob libidinem & auaritiam Romano imperio conflarent odium ingens. Id quod crediderim propter L. Pisonem & Acilium Glabrionem pronunciari maximè: quorum ille Hispaniam, hic Asiam obtinuerat, cum perfuncti essent Consulatu. Quanquam nil prohibet qui in Prætores aliquos intelligat, quibus Prætoriæ obtigerant Prouinciæ. Etsi Acilium in primis notare voluisse suspicarim: nam præterquam quod paulò ante indicauit hunc sibi legatum delegisse ad Prouinciam non cui andam sed expilandam, hic Lucullianos milites habebat secum, qui rapinis assueti erant egregiè. Hîc verò, etsi iniurias ac libidines deploret, illis prædas atque rapinas, iis stupra, ac summatim (id quod vox indicat) libidines ipsas, indicans, nil tamen commemorat interim quod non ad rapinas pertineat. nisi tamen illud *quam domum satis clausam ac munitam fuisse putatis*, ad libidines etiam referatur. sanctam verò dicit ciuitatem quòd a priscis illis mortalibus inauguratò condi solerent Vrbes, ac numini etiam dicari, ac summatim aliqua ratione in Deos referri. Opulentis verò vrbibus inferri ait propter diripiendi cupiditatem causam belli, quod est belli prætextum & occasionem; dum scilicet periculum illis ab hostibus imminere simulantes obtendentésque, præsidia ibi collocabant tutandi specie, re vt illas diriperent.



PAR-

PARTICVLA CLXXIII.

Libenter hæc coram cum Q. Catulo & Q. Hortensio disputarem summis & clarissimis viris: nouerunt enim sociorum vulnera: vident eorum calamitates, querimonias audiunt.

361 FAcilè contigerat vt qui Pompeium mittendum negarēt, alium quempiam proponerent qui non temperantissimus esset: facilè etiam acciderat vt Catulus & Hortensius Acilio fauerent interim, vt ne exercitum alteri concedere cogeretur. Cicero igitur, quippe qui nouerat ad prædam illos veriùs quàm ad tutandas Prouincias paratos esse, id Catulo & Hortensio tacitè obijcit, percupidum se ostendens de ijs coram, quod est cum illis præsentibus, vel potiùs (quoniam Hortensium interfuisse satis demonstrauimus) priuatim non publicè, disputare: præsertim cum isti nō ignorarent sociorum detrimenta & calamitates, simúlque illorum audirēt querimonias. interim igitur vel quia saltem abesset Catulus, vel quia per tempus non satis ea liceret prosequi, vel quia priuatim potiùs quàm publicè illa cuperet cum illis agere (etsi re ipsa inuidiam ac periculum declinat, opinor) eiusmodi detrectat disputationem & contentionem. ita tamen vt ad eos qui aderant Patres conuertat orationem, iisque saltem calamitatis illius originem cursim ostendat. Neque enim crediderim hæc tam Populo quàm Patribus exponi, cum contineant reprehensionem. Denique ij, non Populus Acilio interim atque huius ordinis Imperatoribus aut Prætoribus fauebant, ac propterea ij, non Populus obiurgandus. Sed quid obiiciat audiamus.

PARTICVLA CLXXIV.

Pro socijs vos contra hostes exercitum mittere putatis? an hostium simulatione contra socios atque amicos? quæ ciuitas est in Asia quæ non modò vnius Imperatoris aut legati sed vnius Tribuni militum animos ac spiritus capere possit?

362 ASiaticam calamitatem attingit eius originem aperiens, quia nimirum exercitum nomine quidem contra hostes, re contra socios ipsos, mitterent; ita vt nulla Vrbs esset in Asia quæ, non dico vnius Imperatoris aut legati, sed ne vnius quidem tribuni militum, animos ac spiritus, hoc est fastum, libidinem, in primis verò auaritiam, capere aut explere posset.

PARTICVLA CLXXV.

Qvare etiam si quem habetis, qui collatis signis, exercitus regios superare posse videatur; tamen nisi erit idem, qui se a pecunijs sociorum, qui ab auro gazáque regia, manus, oculos, animum cohibere possit, non erit idoneus qui ad bellum Asiaticum regiúmque mittatur.

PARTICVLA CLXVIII.

Hoc si vos temerè fecistis, & Reipublicæ parum consuluistis, rectè isti studia vestra suis consilijs regere conantur. Sin autem vos plus tum in Republica vidistis; vos, his repugnantibus, per vos ipsos dignitatem huic Imperio salutem orbi terrarum, attulistis; aliquando isti Principes & sibi & cæteris Populi Rom. vniuersi authoritati parendum esse fateantur.



Cutè. si enim quod paulò ante in piratico de Pompeio decreuerat Populus Rom. minus prudenter atque adeo temerè fuisset constitutum; haberent aduersarij cur iam in Mithridatico repugnarent illius voluntati, eiusdémque studia suis consilijs regere niterentur. Sed cum Populus Rom. plus viderit, sapientérque, etsi illis repugnantibus, Pompeium delegerit, Reipublicæ dignitatem Orbi terrarum salutem per se ipsum afferens, est cur tandem aliquando Principes isti fateantur sibi cæterísque omnibus Populi Rom. authoritati parendū esse. Hic verò Q. Catulum eiusdémque sententiæ propugnatores appellat Principes, vt clam illis inuidiam conflet, qui se in Republica Principes haberi vellent; ac Populo Rom. vniuerso, cui obtemperandum est, resistere non dubitarent. Quin illud *Principes isti* ironicè fortasse dicitur, quia perperam sibi summam in republica authoritatem vindicarent, ac suis illam consilijs ad nutum, si Deo placet, regere niterentur. vel fortasse tacitè Reipublicæ labem indicat, quæ iam flecteretad Oligarchiam, dum Crassus, Piso, Cæsar, aliíque multi omnia ad suam vtilitatem rapientes, principem authoritatem vel occuparent, vel affectarent. Itaque Cicero qui adhuc nouus erat in Republica, Populo fauet, vt inclinantem Reipublicæ dignitatem sustentet ac tueatur. 355

PARTICVLA CLXIX.

Atque in hoc bello Asiatico & regio, non solùm militaris illa virtus quæ est in Cn. Pompeio singularis; sed aliæ quoque virtutes animi multæ & magnæ requiruntur.



Acilè contigerat vt aduersarij, atque inter hos Catulus, alterum adhuc argumentum afferentes, affirmarent non deesse alios militari virtute præditos viros qui possent strenuè bellum illud administrare. quid enim erat cur negarent bellum illud maximum ac necessarium Pompeio esse committendum, nec interim aut quemquam alium denominarent cui posset munus hoc demandari, aut saltem affirmarēt, non deesse qui egregiè illam belli molem possent sustinere? Itaque faciendum erat M. Tullio vt hac quoque in re aduersarios refelleret, atque vnum Cn. Pompeium tali ac tanto bello idoneum esse ostenderet. Hac igitur de causa respondet Asiaticū hoc regiúmque bellum non modò militarem virtutem requirere in Imperatore, verùm etiam alias virtutes multas ac magnas. vbi primùm non statim concedit quempiam esse qui militari virtute Pompeium æquaret (ideo enim ait hanc in Pompeio esse singularem quod est eximiam ac summam) tum vbi id contingeret, adhuc contendit 356 alias quoque animi virtutes in tali imperatore requiri, quibus cæteri (id quod continenter docebit) careant. intelligit autem temperantiam, fidem, humanitatem, ac cæteras virtutes illas quas in Pompeio præter fortitudinem esse ostenderat; sed in primis iustitiam ac moderationem, vnde auaritiam ac libidinem a se suísque arceret longiùs, atque hinc efficiet vnum Pompeium idoneum esse Asiatico illi bello. Idcirco autem in Asiatico hoc bello & regio sigillatim tot ac tantas in Imperatore virtutes requirit, quòd ea prouincia prædiues esset & opulenta, atq; omnibus cōmodis abundaret, ita vt suis diuitijs ac delitijs plus quā cęteræ allicere posset militē, & ideo pergit.

PAR-

PARTICVLA CLXX.

D*Ifficile est in Asia, Cilicia, Syria, regnis exterarum nationum ita versari vestrum imperatorem, vt nil aliud quàm de hoste, ac laude cogitet.*



Idetur hîc pulcherrimum veluti documentum vel imperatori præscribere, vel in re militari & imperatoria pro comperto sumere; nimirum aliud nihil Imperatori cogitandum quàm de hoste ac laude: de hoste vt eum superet: siquidem ad victoriam referenda sunt illi facta, dicta, cogitata omnia: de laude, vt ne malis interim artibus ad eam contendat, ac propterea siue cum suis siue cũ hostibus agat,
357 nihil nisi honorificum gerat ac laude dignum. Quanquam aliud quiddam tacitè, præterea indicat his verbis; nimirum si personas spectemus, cogitandum de hoste tantùm, non de sociorum vel coniugibus vel liberis vel mancipijs: si de rebus, non esse cogitandum de sociorum opibus ac diuitijs: ita quidem ibi libidini, hîc auaritiæ, omnino resistendum ostendit. quod is optimè fecerit qui de hoste tantùm ac laude cogitet. & ideo paulò post, *Etiam si quem* (inquit) *habeatis qui collatis signis exercitus regios superare posse videatur; tamen nisi erit idem qui se a pecunijs sociorum, qui ab eorum coniugibus ac liberis, qui ab auro gazáque regia manus, oculos, animum cohibere possit, non erit idoneus qui ad bellum Asiaticum regiúmque mittatur.* En huc sine dubio spectat documentum istud pulcherrimum: quia reuera difficile esset ab illis temperare partim propter ingentes eorum locorum delitias ac diuitias; partim propter corruptam eorum temporum disciplinam, qua factũ esset vt Imperatores ac milites rapinis ac prædæ inhiarent, cupiditatibus denique omnibus indulgerent. certè aliqui non modò aurum, verùm etiam signa, tabulas, vestes, vasa, mancipia. quicquid denique pretiosum erat, inde asportauerant. itaque *præclarum est* (inquit alibi) *ita in Asia summo cum imperio versari, vt nullum te signum, nulla pictura, nullum vas, nulla vestis, nullum mancipium, nulla forma cuiusquam, nulla conditio pecuniæ, quibus rebus abundat ista Prouincia; ab summa integritate, continentiáque deduxerit.*
358 In Pompeio igitur spes erat omnis collocanda, qui se suósque ab istis cupiditatibus coërceret. & ideo illud affirmabat. *Quæ cæteros remorari solent, hunc non retardarunt: non auaritia ab instituto cursu ad prædam aliquam reuocauit: non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem: postremò signa & tabulas cæteráque ornamenta Græcorum oppidorum quæ cæteri tollenda esse arbitrantur; ea sibi ille ne visenda quidem existimauit.* Hæc & id genus alia de Pompeio. Appellat verò Asiam & cæteras illas regiones; exterarum nationum regna, non quòd exterarum nationum regna essent potiùs quàm Populi Rom. Prouinciæ; sed quia ex exteris nationibus constarent. nisi tamen aliquas quoque Asiæ ac reliquarum illarum prouinciarum regiones extra Romani imperij fines designat, quibus oppugnandis minùs idoneus sit qui aliud quàm de hoste ac laude cogitet.

PARTICVLA CLXXI.

D*Einde etiam si qui sunt pudore ac temperantia moderatiores; tamen eos esse tales propter multitudinem cupidorum hominum nemo arbitratur.*



Voniam fortasse ab aduersarijs proferri potuisset aliquis Imperator qui non facilè pudorem ac temperantiam abiecisset, esto etiam (inquit M. Tullius) aliqui sint moderatiores, qui inquam non planè abiecerint moderationem (vox enim *moderatiores* non tam auget quàm vtrumque extenuat; vt *superbiùs, acerbiùs* non auget) sed pudorem ac temperantiam vtcunque colere videantur; verumtamen Prouinciarum illarum Populi vix èc ne vix quidem id vel sentiunt vel credunt, dum reliquorum cupidissimorum hominum multitudinem intuentur: difficile est enim paucos

PARTICVLA CLXXIII.

Libenter hac coram cum Q. Catulo & Q. Hortensio disputarem summis & clarissimis viris: nouerunt enim sociorum vulnera: vident eorum calamitates, querimonias audiunt.

361 Acilè contigerat vt qui Pompeium mittendum negarēt, alium quempiam proponerent qui non temperantissimus esset: facilè etiam acciderat vt Catulus & Hortensius Acilio fauerent interim, vt ne exercitum alteri concedere cogeretur. Cicero igitur, quippe qui nouerat ad prædam illos veriùs quàm ad tutandas Prouincias paratos esse, id Catulo & Hortensio tacitè obijcit, percupidum se ostendens de ijs coram, quod est cum illis præsentibus, vel potiùs (quoniam Hortensium interfuisse satis demonstrauimus) priuatim non publicè, disputare: præsertim cum isti nō ignorarent sociorum detrimenta & calamitates, simúlque illorum audirēt querimonias. interim igitur vel quia saltem abesset Catulus, vel quia per tempus non satis ea liceret prosequi, vel quia priuatim potiùs quàm publicè illa cuperet cum illis agere (etsi re ipsa inuidiam ac periculum declinat, opinor) eiusmodi detrectat disputationem & contentionem. ita tamen vt ad eos qui aderant Patres conuertat orationem, iisque saltem calamitatis illius originem cursim ostendat. Neque enim crediderim hæc tam Populo quàm Patribus exponi, cum contineant reprehensionem. Denique ij, non Populus Acilio interim atque huius ordinis Imperatoribus aut Prætoribus fauebant, ac propterea ij, non Populus obiurgandus. Sed quid obiiciat audiamus.

PARTICVLA CLXXIV.

Pro socijs vos contra hostes exercitum mittere putatis? an hostium simulatione contra socios atque amicos? quæ ciuitas est in Asia quæ non modò vnius Imperatoris aut legati sed vnius Tribuni militum animos ac spiritus capere possit?

362 Siaticam calamitatem attingit eius originem aperiens, quia nimirum exercitum nomine quidem contra hostes, re contra socios ipsos, mitterent; ita vt nulla Vrbs esset in Asia quæ, non dico vnius Imperatoris aut legati, sed ne vnius quidem tribuni militum, animos ac spiritus, hoc est fastum, libidinem, in primis verò auaritiam, capere aut explere posset.

PARTICVLA CLXXV.

Quare etiam si quem habetis, qui collatis signis, exercitus regios superare posse videatur; tamen nisi erit idem, qui se a pecunijs sociorum, qui ab auro gazáque regia, manus, oculos, animum cohibere possit, non erit idoneus qui ad bellum Asiaticum regiúmque mittatur.


D Asiaticæ calamitatis fontem veluti digitum intendit; tametsi ad inuidiam minuendam breuissimè ac veluti per transennā colligit quod instituerat (id quod vox *quare* indicat) nimirum vnum Pompeium esse deligendum Imperatorem: quia etsi videretur alter aliquis deligi posse qui bellum illud strenuè administraret, atque adeò victoriam ex regiis exercitibus reportaret, hic tamen, nisi esset temperantissimus (quod optandum magis erat quàm sperandum) non esset Asiatico bello idoneus. Vbi eleganter sanè & grauiter describit qualis & quanta in Asiatico Imperatore temperantia requiratur, sigillatimque cum dicit manus, oculos, animum huic cohibendum, Asiaticum verò bellum appellat regium quia contra Mithridatem & Tigranem gereretur: id quod sine dubio commemorat ad belli magnitudinem, ac propterea summi Imperatoris, hoc est Pompeij, necessitatem exprimendam: Quanquam nihil prohibet quo minùs Reges etiam indicet qui Tigrani & Mithridati opem laturi crederentur: nam Partorum quoque Regem inter alios ad opem ferendam sollicitabant. & hac de causa dixerat supra, magnis multorum Regum copijs iuuari Mithridatem: hac afflictam Regum fortunam Reges alios allicere ad misericordiam, quòd regale ijs nomen sanctum videatur: hac denique illud pronunciauerat, *Quantum illud bellum futurum putatis quod coniungunt Reges potentissimi?* At enim sint ista M. Tulli. verùm quid si quis interim non facilè talem ac tantam in Imperatoribus illis labem agnoscat? quid si vereatur ne Pompeius etiam Asiaticis delitiis atque opibus alliciatur, ac ne ipse quidem manus, oculos, animum cohibeat? Ergo ad comparationem descendit M. Tullius qua tantam hanc de Imperatoribus illis labem comprobat, de Pompeio suspicionem euertit funditus, sic pergens. 363

PARTICVLA CLXXVI.

Ecquam putatis Ciuitatem pacatam fuisse quæ locuplex sit? ecquam esse locupletam quæ istis pacata esse videatur?


Aec in Acilium atque huius ordinis Imperatores, aut etiam in legatos ac tribunos militum, quorum spiritus atque animos nulla Asiæ ciuitate satis expleri posse affirmauerat: atque hoc est etiam quod supra deplorauerat cum diceret, *Vrbes iam locupletes ac copiosæ requiruntur quibus causa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur*. denique hanc calamitatem supra sæpè ac variis modis exaggerauerat & deplorauerat, ad incontinentiam & auaritiam Imperatorum aut militum causam reuocans, ita vt inde querimoniæ perpetuò existerent, nunc quid de Pompeio & qua ratione hunc cum illis compatet, audiamus.

PARTICVLA CLXXVII.

Ora maritima, Quirites, Cn. Pompeium non solùm propter rei militaris gloriam, sed etiam propter animi continentiam, requisiuit. videbat enim Populus Rom. non locupletari quotannis pecunia publica, præter paucos: neque eos quicquam aliud assequi classium nomine, nisi vt detrimentis accipiendis maiore affici turpitudine videremur. 364

Supetiorum


Vperiorum libidini & auaritiæ Pompeij moderationem opponit, statuítque ea maxima de causa oram maritimam littoraléſque regiones Pompeium ad Piraticum expetiuiſſe, quòd non ſolùm miliari virtute ſed animi moderatione & continentia excelleret. Ita quidem cum ſuam ille temperantiam & moderationem oris illis omnibus vehementer probaſſet Pompeius, contra verò in Aſia cæteri illi ſummam libidinis auaritiæque infamiam collegiſſent, ſatis conſtare poterat vnũ Pompeium Aſiatico bello eſſe idoneum. Hîc tamen illis verbis, *Videbat enim Populus Romanus non locupletari quotannis pecunia publica præter paucos*, ſubeſſe mendum (id quod interpretes fatentur omnes) facilè intelligitur: ſed in quo ſit poſitum, id verò obſcurum. Paulus Manutius tamen pro *Populus Rom. non*, reponit *Populi Rom. nomine* & pro *præter paucos*, *prætores paucos*: vt ſit loci ſententia & vis, oram maritimam ſibi Pompeium optaſſe ac poſtulaſſe propter continentiam, quandoquidem videbat Populi Rom. nomine Prætores paucos locupletari pecunia publica, quaſi diceret præda prouinciarum non pecunia publica locupletari illos vidiſſe. vel ſi minùs arrideat
365 hæc lectio ſeu emendatio (multa enim nouantur, & verò *nomine* additur, quod repetitur poſt paulò) alteram profert, nimirum, *Videbat enim Prætores noſtros locupletari quotannis pecunia publica præter paucos*. quæ correctio; qualis qualis ſit, eſſet ſententia ſuperiori perſimilis. Et ſanè verba illa *præter paucos* ſatis indicant anteriora illa verba *Populus Rom.* cum ſequentibus non cohærere, faciléque fuiſſe P.P.R. in P.R. *Prætorem* inquam *Populi Rom.* in *Populus Rom.* mutari. Tametſi vt verè fateat, licenter adhuc *non* in *noſtros* conuertitur: licentiùs *Romanus* ſeu *Rom.* expungitur. Vt igitur conceſſerim ex illis literis Pop. Rom. ortum mendum, cæteras mendo nullam cauſam præbuiſſe, ita legerem, *Videbat enim Prætores Romanos non locupletari quotannis pecunia publica præter paucos*: quaſi diceret præda, non pecunia quæ illi ex publico ærario ſolueretur, locupletari, præter paucos tamen: quia ſcilicet non defuerant qui acceptam ex ærario pecuniam in quæſtu ponentes, hinc locupletarentur. ita quidem obſcuritas ſubeſſet nulla. & huc bellè cadunt quæ ſequuntur. Sed vt vt ſit, ſatis conſtare poteſt eorum qui prouinciis gubernandis mitterentur, auaritiam inſimulati. Et huc etiam ſpectant quæ ſequuntur verba, *Neque eos quicquam aliud aſſequi claſſium nomine, niſi vt detrimentis accipiendis maiore affici turpitudine videremur*; quaſi diceret, ij, qui claſſi præficiuntur, vt oras illas maritimas tueantur, tandem ob auaritiam nihil
366 aliud aſſequuntur, niſi vt maiora in dies detrimenta accipiamus, ac proinde maiore quotidie ignominia afficiamur. Et ſanè bellum Piraticum quod maritimas oras ab Mithridatici belli initio vexare cœperat, magna Populi Rom. ignominia perſeuerauerat. etſi enim interdum clade aliqua afficerentur Piratæ, breui tamen ad latrocinia redibant magno cum Populi Rom. detrimento ac dedecore.

PARTICVLA CLXXVIII.

NVnc qua cupiditate homines in Prouincias, quibus iacturis, quibus conditionibus, proficiſcantur; ignorant videlicet iſti, qui ad vnum referenda eſſe omnia non arbitrantur. quaſi verò Cn. Pompeium non cum ſuis virtutibus, tum etiam alienis vitiis magnum eſſe videamus.


Ortenſium ac ſectatores inſimulat, dum vni omnia tribuenda eſſe negantes, diſſimularent turpiſſimam illam cupidiſſimorum hominum, qui in Prouincias mitterentur, libidinis & auaritiæ labem. Quanquam ſic eos inſimulat, vt ironicè vel potiùs per irriſionem quandam id faciat: nam hanc planè vim habent ea verba *ignorant videlicet iſti*; & huc etiam pertinent ea verba *quaſi verò*; irriſioni enim accommodata ſunt. itaque non cum interrogatione legenda ſunt ea verba *non arbitrantur*, vt legunt multi, ſed vt Manutius, interpunctione citra interrogationem adhibita. ita quidem ea verba, *Quaſi verò Cn. Pompeium non, cum ſuis virtutibus, tum etiam*


alienis vitijs, magnum esse videamus: irrisionem quandam continent aduersariorum, cum illud quoque se nescire simulabant, Pompeium idcirco etiam videri magnum, quòd cæteri Imperatores ob vitia in nullo essent numero. Neque verò crediderim 367
M. Tullium dum diceret Pompeium aliorum quoque vitiis magnum videri, eum Magni cognomento afficere ac celebrare voluisse (aridior enim fuisset in re tali ac tanta quàm decuisset) sed magnum, perinde ac præstantem eximiúmque reputasse. Sed de hac re copiosiùs non multò post. Nunc illud potiùs obseruemus hæc eò pertinere vt siue aliorum vitia spectentur, siue Pompeii virtutes æstimentur, vnus Pompeius Asiatico illi ac regio bello idoneus (hac enim de causa istos comparabat) iudicetur, & ideo appositè pergit,

PARTICVLA CLXXIX.

QVare nolite dubitare, quin vni huic credatis omnia qui inter annos tot vnus inuentus sit; quem socij in vrbes suas cum exercitu venisse gaudeant,



DE more & exaggeratis verbis ex ijs quæ disputauerat, colligit quæ ab initio proposuerat: vnum scilicet Pompeium ea quoque de causa deligendum, seu illi vni omnia esse credenda, quòd vnus per eos annos siue inter tot annos inuentus esset quem socii in suas vrbes cum exercitu venisse gauderent. vbi ait *inter annos tot*, vt intelligatur Pompeium semper se talem præstasse sociis: ita ut toto illo annorum decursu quo siue in Italia siue in Sicilia aut Africa cum exercitu fuisset, siue ad 368
reliquas maritimas gentes, id quod in Piratico bello accidit; diuertisset, siue ad Asiaticos denique peruenisset, suam omnibus temperantiam probasset ac propterea de eius aduentu gauderent omnes. Quanquam eò etiam flecti potest huius loci sententia, vt Asiaticos socios interim vnos intelligamus, qui inter tot annos, quibus scilicet in populi Rom. societatem recepti sunt; vnum Pompeium inuenissent, de cuius aduentu sibi gaudendum sensissent. Iam verò, quoniam potuissent aduersarii, dum se rationibus premi animaduerterent, ad authoritates confugere (in deliberationibus enim authoritas æstimari solet non mediocriter) idcirco M. Tullius qui paulò ante authoritates tantisper missas fecerat, ac rationibus certandum statuerat, iam, ne non authoritatibus etiam abundare videatur, ad hasce se refert sic pergens.



PARTICVLA CLXXX.

QVod si authoritatibus hanc causam, Quirites, confirmandam putatis: est vobis author vir bellorum omnium maximarúmque rerum peritissimus, P. Seruilius: cuius tantæ res gestæ terra marique extiterunt, vt cum de bello deliberetis, author vobis grauior nemo esse debeat. est C. Curio summis vestris beneficijs, maximisque rebus gestis, summo ingenio & prudentia præditus. est Cn. Lentulus, in quo omnes pro amplissimis vestris honoribus summum consilium, summam grauitatem, esse cognoscitis. est Cn. Cassius integritate, virtute, constantia singulari. Quare videte num horum authoritatibus illorum orationi qui dissentiunt respondere posse videamur.

369 Ptè quidem ad authoritates descendit, quasi verò hæ interim ab ipso Populo Romano expeterentur. Ac profectò sic ad rationes aggressus fuerat antea, vt authoritates non tam in alium locum reijciendas quã prætermittendas quodam modo indicasset. *Etenim in hac causa* (aiebat ipse) *tametsi cognoscitis authoritates contrarias fortissimorum virorum & clarissimorum; tamen omissis authoritatibus, ipsa re & ratione exquirere possumus veritatem.* En M. Tullium, etsi indicarit sibi non deesse clarissimorum virorum authoritates, has tamen quoquo modo prætereundas significasse: ad has igitur sic aggreditur, quasi verò hac in re Quiritum voluntati seruiendum, ac Populo Rom. mórem gerendum, sibi statueret. Secum ipse tamen (id quod iam intelligitur) omnino decreuerat M. Tullius authoritates subijcere: quamuis rationibus agendum censuit priùs vt maius pondus haberet oratio: qui enim authoritate primùm certet, is videri possit rationibus non abundare vel potiùs carere. quin etiam iam Seruilij atque aliorum quos hîc commemorat, authoritatem vrgere constituerat aduersus Catulum & sectatores: & ideo antequàm eo ipso in loco ad rationes se se conuerteret, quibus Pompeium deligendum ostenderet, fortissimorum & clarissimorum authoritates in promptu esse significauit. Hasce igitur fortissimorum & clarissimorum virorum authoritates de quibus iamdiu Populum Rom. admonuerat, sui memor, profert hoc tempore: siquidem Seruilius ac cæteri isti consulares viri erant, ac plerique omnes triumphales: ita vt iurè fortissimi & clarissimi censerentur. Sed dicamus de singulis.

370 P. Seruilius is est qui Isaurici cognomentum inuenit. cum enim Piratas seu Cilices (sic enim appellabantur ab initio) classe aggressus, profligasset, atque in suis illos Ciliciæ vrbibus tandem obsedisset, easdémque expugnasset, in primísque Isauron (erat hæc Vrbs illorum veluti arx) euertisset, captiuos in Triumphum Isauricos duxit, atque Isauricus inde appellatus est. & de hoc cecinit Claudianus,

Indomitos curru Seruilius egit Isauros.

Sed & idẽ (Appiano teste) cum Appio Claudio gesserat Consulatũ anno DCLXXV. ita vt Consulari dignitate Q. Catulum antecesserit. & de hoc Seruilio Cicero in Verrem & alij multi. hac igitur de causa M. Tullius tot laudibus ornat Seruilium, ac terra marique multas ac magnas res gessisse affirmat, proindéque bellorum omnium maximarúmque rerum peritissimum vocat, atque huius authoritatem statuit grauissimam omnium, vel certè nulli secundam esse iudicandam. Succedit C. Curio: quem item ornat Cicero vt maius pondus eius habeat authoritas. vicit hic Dardanos in bello Macedonico, de quibus etiam triumphauit. itaque iurè ait summis Populi Rom. beneficijs fuisse affectum, triumphum nimirum spectans; ac res gessisse maximas, in bellicos scilicet labores ac victoriam intuens. quin etiam hunc Consulatum quoque gessisse crediderim: quandoquidem ex tribus Curionibus, patre, filio, nepote, quísque Caij pronomen gerebant omnes, filius qui Scribonius Curio dictus est, cum Cn. Octauio gessit Consulatum anno DCLXXVIII. qui annus in hoc tempus incidisset commodè. denique summum huic ingenium & prudentiam attribuit,

vt pacis quoque artibus clarissimum esse ostendat. atque huic varias a Cicerone epi-
stolas conscriptas legimus. iam verò eodem ferè modo, etsi breuiter atque alijs ver-
bis, Lentulum (Clodianum scilicet) ornat. erat enim vir consularis quique non mul- 371
tò antea cum L.Gellio gesserat Consulatum. Ad extremum commemorat C.Cas-
sium quem item mirificè laudat. fuit hic Consul vnà cum Lucullo, & Varro cogno-
mento est appellatus: extátque Romæ illius Consulatus his testatus literis, *C. Cassio*
Varro, M.Licinio Lucullo Coss. atque huic etiam multas epistolas conscripsit M.Tullius,
quæ inter familiares numerantur. Ii igitur omnes viri Consulares, pleri que etiam
triumphales, Pompeium deligendum sentiebant; ita vt ijs etiam aduersarios repelli
posse iudicauerit. Atque hîc sanè clauditur Refutatio: de qua etiam perinde ac feci-
mus de Exordio, Narratione, Confirmatione, esset aliquid præcipiendum, & quã egre-
giè se Cicero gesserit, demonstrandum. Quod libenter etiam efficiam, si priùs vnum
disputauero quod paulò ante in suscepta Refutationis parte de Cn.Magni cognomen
to recepi. Etenim mirum videri potest quòd cum M.Tullius Cn. Pompeium tam
multis ac magnis ornauerit laudibus, vt eum in cœlum suis præconijs extulisse videa-
tur, eam tamen laudem prætermiserit quæ omnium vel præcipua vel certè præclarũ
compendium censeri potest: nimirum Magni cognomentum rerum gestarum glo-
ria sibi peperisse. Nam si quid erat maximè, hoc certè erat, quod immortalitati illũ,
perinde atque Macedonem Alexandrum, posset consecrare. Ac profectò cum Pom-
peius Alexandri vitam ac res gestas libenter lectitaret, eius etiam facta & virtutem
imitaretur, ac propterea ei similis videri cuperet, quid est quod M.Tullius non hoc illi 372
nomen concedit ac tribuit? præsertim verò quòd illud rerum gestarum gloria iurè ac
meritò apud alios adeptus esset, & (quod caput est) ipsi Pompeio omnium optatissi-
mum, Populo Rom. etiam iucundissimum, accideret. Quid? gratificari optabat M.
Tullius Pompeio qui iam huiusmodi cognomentum libenter vsurpabat, gratificari
cupiebat Populo Rom. qui hoc Pompeium præconio efferebat, & tamen illo absti-
net ac Cnei semper pronomine illum appellat. Id quod eò magis reprehendas, quòd
cum ab initio sibi de Cn.Pompeij singulari eximiáque virtute dicẽdum proponeret,
nil aptius ad populi Rom. aures atque animos capiendos protulisset, quàm si Magni
Pompeij virtutes sibi prosequendas affirmasset: quod egregiè etiam in eum locum
cecidisset, vbi bellum & magnum, & contra magnos Reges gerendum, affirmaret.
hinc enim eleganter Magnum quoque Pompeium Imperatorem deligendum sta-
tuisset, qui magno bello præesset, & contra magnos Reges dimicaret. Quid multa?
significat M.Tullius in Epistola quadam fuisse Pompeium hac oratione non modò
adumbrandum, sed omnibus luminibus, omnibus pigmentis, exprimendum: & ta-
men, quod maximè pertinebat ad eum ornandum, silentio planè inuoluit: ita vt præ-
sens laudatio imperfecta ac diminuta videri possit. An igitur dicendum non fuisse in
more positum apud Romanos vt hoc cognomento vterentur? quid enim si quod
Alexandro a Græcis, Tigrani atque aliis multis a Barbaris, cognomen tribuebatur,
apud Romanos haud dum erat exceptum? alioquin & Sylla, & Marius, multóque
magis Scipio, illud sibi quæsisset ac vindicasset. Minimè verò: iam enim Valerius quòd
dissidentem plebem cum Patribus reconciliasset, Fabius Rutilianus quòd libertinos 373
Senatu mouisset, eiusmodi adeptus erat cognomentum. Fabius Maximus etiam hoc
cognomento quasi hæreditario vsus est quod a Fabio Rutiliano descendisset, ac præ-
clarum hoc maiorum suorum veluti stemma retineret. An igitur id contigit quia
nondum hoc sibi cognomentum peperisset Pompeius? profectò cum de tribus Or-
bis terrarum partibus nondum triumphasset vnde præclarum hoc cognomen me-
reretur, ob id præterire illud potuit M.Tullius. Sed ne id quidem est concedendum.
etsi enim nondum Asiam subegisset, Magni tamen appellationem multò antea, ni-
mirum in Africa & ante primum triumphum, obtinuerat. tunc enim & a militibus,
& paulò post a Sylla, mox etiam a populo Rom. Magnus consalutatus est. nimirum
quemadmodũ Alexander iuuenis adhuc Magnus est appellatus, ita Pompeius ad eã
laudẽ iuuenis aspirauit peruenítque. An igitur id contigit, quia Põpeius interim iu-
dicauerit cognomentum illud spernendum esse vel ad modestiam retinendam vel
ad inuidiam declinandam? præsertim cùm a Senatu illud reuera nõ obtinuisset. Mul-
tò minùs. etenim fateor quidem Pompeium Romæ ab initio videri voluisse ægrè
ferre

ferre hoc cognomentum, cum animaduerteret offensionem habere apud Patres: sed
statim ac Proconsulem egit in Hispania, cœpit in edictis & Epistolis hoc cogmento
passim vti, ita vt cum hæc oratio dicta fuerit multò post, ne id quidem excuset M.
Tullium. Num igitur eo abstinuit cognomento, quòd (vt dictum est) non a Senatu
tributum esset? Vix crediderim. quorsum enim tam multa commemorat interim
& ad Pompeium ornandum refert quæ a Senatu decreta nunquam Pompeio fuerāt,
374 aliqua etiam denegata? certè cum primum exercitum conscripsit, eidémque præfuit
contra Carbonem hæc a Senatu decreta fuerant Pompeio laudando vsurpat & prædicat Cicero. Quid plura? de primo triumpho (vt cætera taceam) magna cum Pompeij laude mentionem fecit quem tamen inuitis Patribus gessisse compertum est. Quin etiam cum Pompeius a Gellio & Catulo Censoribus Magni nomine fuisset appellatus: a Crasso etiam Magnus fuisset dictus; erit qui pugnet multò minùs id Ciceroni vitio vertendum fuisse. Sed fateamur id quod est. inuidiosum adhuc erat Patribus cognomentum illud: ac propterea M. Tullius eo libenter abstinuit, ne dum alienæ gloriæ studeret, non necessariam inuidiam subiret. optimè enim intelligebat Populum Rom. per se satis Pompeio fauere, ac de illo contra Mithridatem mittendo cupidissimè cogitare. Itaque omnino sibi faciendum putauit vt quoad eius fieri posset patrum ac Senatus offensionem inuidiámque subterfugeret. Et hinc est vt cum cogeretur Lucullianis repugnare, Hortensióque in primis Catulóque resistere, tam multis ac magnis laudibus & Lucullum priùs & Hortensium & Catulum affecerit: nimirum vt inuidiam vel minueret vel eleuaret. Denique ea de causa trāsfuga dictus est M. Tullius, Dione teste, quòd & Senatus & Populi gratiam sibi demereri callidè semper niteretur; ac modò huic modò illi fauere videretur. Hac igitur de causa præclarum illud Pompeij cognomentum declinauit interim noster Cicero; quia Populo persuadendo non necessarium, ne dicam otiosum, esset, cum armis etiam Manilianæ legi tuendæ paratus esset: Senatui esset inuidiosum: ac propterea non temerè hic
375 sibi lapis mouendus esset. Quod si Crassus pro concione Pompeium Magni appellauit nomine, id pro Rostris fecit, & ad populum, vt eius sibi gratiam pararet. Cum enim primus dexteram obtulisset Pompeio vt cum illo in gratiam rediret, *Nihil* (inquit populum è Rostris appellans) *me indignum facere, Quirites, reor; dum primas concedo Pompeio, quem vos adhuc imberbem appellare Magnum voluistis*. En Crassum populi gratiam hinc aucupari ac tempori seruire. Idémque multò magis de Gellio dixerim. cū enim ea verba pro Rostris item proferret *Quæro ex te Magne Pompei, ecquid omnia stipendia impleueris*, id ne inhumanus haberetur, inprimis verò populo vt placeret, dixit. cum enim equitum turmæ in foro lustrarentur sub Censoribus illis, ac Pompeius, Consul licet, non dubitasset frenatum equum pedes ducere, séque ante Catulum sistere, non potuit Gellius nō magnopere commoueri, ac talem & tantam Pompeij humanitatem seu animi demissionem, ob quam etiam populus acclamabat, non demirari ac grato animo excipere. Ergo libuit eum Magni cognomento appellare vt officium compensaret. Et hinc factum est, vt statim etiam è rostris descenderit, & populum acclamantem secutus, Pompeium honoris causa domum deduxerit. Ita ut Gellius etiam non Senatus sed officij causa & vt populi gratiam colligeret, hoc sibi cognomento Pompeium appellandum iudicarit. a quo tamen M. Tullius, ne non necessariam inuidiam subiret, abstinendum censuit. Nam quod postremùm, nescio
376 quo pacto, in illud inciderit Cicero, vt dixerit Pompeium alienis quoque vitijs magnum esse, nemo dixerit (opinor) eò spectasse vt Magni cognomentum introduceret quo celebraret Pompeium: cum enim declinasset illud reticuissétque semper, nō modò exiliter sed turpiter hoc nomine laudaretur ad extremū: quid enim erat quòd veluti per transennam illud attingeret & quod longè deteriùs est nomen quod sibi Pompeius egregijs ac præclarissimis pepererat factis, ex alienis quoque vitijs deriuaret? Sed iam Refutationis præcepta prosequamur, sed paucis. Ac primò nihil est quod dubitemus Narrationem, si vsurpetur, non modò Confirmationi verū etiam Refutationi accommodandam. cum enim ex iisdem locis res confirmetur & infirmetur, Narratio sic pertexenda est, vt inde aduersarii sententiam refellere aut saltem infirmare, perinde ac nostram confirmare, liceat. Et hinc est vt nihil aliud sit Refutatio quàm oratio aduersariæ sententiæ eiusdémque argumentis vel penitus euertendis

vel

vel ſaltem extenuandis infirmandiſque accommodata. Qua in re, etſi nihil prohibet
quominus is qui reſpondet, priùs aduerſaria diluat argumenta, tum ſuam confirmet
ſententiam, commodiùs tamen agat ſi ſuam priùs confirmet, tum refellat aduerſa-
riam; Id enim & rei naturam poſtulare, & commodiùs ac faciliùs magnóque cum
intelligentiæ & memoriæ bono, peragi, nemo non videt, Itaque Philoſophi ac Dia-
lectici tum demum contraria diluunt argumenta, cum ſuam opinionem compro-
bauerint, commoda enim dicendi ratio illa eſt vt quod propoſueris, demonſtres
priùs, tum, ſi quid tibi obſtare videatur, diluas, vt omnibus doctrina ſit abſoluta nu- 377
meris. Quanquam non eſt quod inficiemur in Iudicijs & Concione tum demũ præ-
ſtare Confirmationem Refutatione anteuertere, cum aduerſarius rem altiùs confir-
maſſe, at certo certiùs demonſtraſſe videatur. Dum enim Auditores hac perſuaſione
occupantur, difficiles tuas audiant rationes aut magnopere æſtiment, Et ideo proui-
dendum eſt diligenter vt primo quoque tempore perſuaſionem illam (ſi quo mo-
do fieri poſſit) ex eorum animis euellas, aut ſaltem magnopere infirmes; cui rei per-
agendæ omnem mouere lapidem, ac ridiculis etiam agere, neceſſe eſt. Alioquin
Refutatio commodiùs poſtponitur; quemadmodum tum hîc tum alibi facit M. Tul-
lius, Sed illud obſeruandum, vt aduerſarii argumenta referas & paucis & frigidè, &
verò non ſine contemptu aliquo, vt ne illa quicquam pertimeſcere videaris. Sic M.
Tullius. *Quid igitur ait Hortenſius? ſi vni omnia tribuenda ſint, vnum digniſſimum eſſe Pom-
peium: ſed ad vnum tamen omnia deferri non oportere*. quæ vt paucis ſic frigidè ac tacita
quadam irriſione pronunciaſſe credendum eſt. & ideo *Obſoleuit iam iſta oratio*, pergit
Cicero: quæ verba contemptu item & irriſione quadam pronunciaſſe facilè eſt ani-
maduertere. ſic cum Catulo. *At enim nihil noui fiat contra exempla atque inſtituta Maio-
rum*. Contra tamen ardentiùs in aduerſarias rationes inuehendum, ſimúlque, vbi eas
valde labefactaueris, Auditores permouendi non eſt prætermittenda occaſio. Ita M. 378
Tullius cum reſpondiſſet Catulo, populum Rom. impellens. *Quare* (Inquit) *videant
ne ſit periniquum & non ferendum illorum authoritatem de Cn. Pompeij dignitate a vobis com-
probatam eſſe; veſtrum ab illis de eodem homine iudicium, Populique Rom. authoritatem, im-
probari*. Hæc & alia multa noſter Author, vt quoniam egregiè ſatisfecerat aduerſario,
Auditores contra illius ſententiam permoueat inflammétque. Sed iam ad Peroratio-
nem, quam ſic aggreditur.

PARTICVLA CLXXXI.

*QVa cum ita ſint C. Manili, primùm iſtam tuam & legem & voluntatem &
ſententiam laudo, vehementiſſiméque comprobo: deinde te hortor, vt
authore Populo Romano maneas in ſententia, né ve cuiuſquam vim aut minas
pertimeſcas.*

Peroratio.



D perorationem, quoniam Refutationis munus expleuit egregiè,
deſcendit: in qua nos tria de more docebimus, & cum Cicerone
perorabimus. Primò enim perorationem ipſam diligenter explica-
bimus vniuerſam: tum perorationis vim ac præcepta referemus &
enucleabimus: ad extremum in hac ipſa Maniliana peroratione quã
egregiè præcepta illa ſe ſe offerant, demonſtrabimus, Atque vt ad
primum aggrediar, obſeruandum eſt tria præſtare M. Tullium in hac peroratione:
primò enim ſe ſe conuertit ad Manilium, eúmque cohortatur vt conſtanter legem
illam tueatur. deinde ſuſpicionem depellit qua quis prætexeret ipſum M. Tullium
gratiæ & propriæ vtilitati ac dignitati ſeruire interim. poſtremò docet ſe quicquid
agit, id totum Reipublicæ cauſa agere, & vt eius ſaluti conſulat ac dignitati. Principiò 379
igitur C. Manilium appellat, vt eum, quoniam eius legem iam apud populum Rom.
vehementer defenderat, confirmet in ſententia, atque ad eandem legem tuendam
incendat. Ac profectò cum magna ex lege illa inter Patres coorta eſſet perturbatio,
ac propterea plerique Manilio grauiter infenſi eſſent, faciendũ omnino fuit M. Tul-

lio

lio vt eum cohortaretur, & in suscepta sententia confirmaret, ne legis illius rogationem desereret. Et idcirco eius siue voluntatem, siue sententiam, siue legem laudat priùs & comprobat: tum eundem hortatur vt authore Populo Rom. maneat in sententia vbi scitè ait *authore Populo Romano*, vt scilicet eodem tempore tum sibi author populi Rom. gratiam voluntatémque conciliet, dum tantum eius tribuit authoritati: tum populus Romanus intelligat, sibi, quoniam eius legis author haberetur, eam legem omnino tuendam, ac Manilio opem ferendam: tum Manilius ipse animaduertat quale & quantum sibi patrocinium adesset. ac propterea eundem hortatur vt ne cuiusquam vim aut minas pertimescat: authore enim populo Rom. & patrono, erat sanè (id quod expertus quoque fuerat) cur metum facilè deponeret, ac vim minásque non pertimesceret.

PARTICVLA CLXXXII.

PRimùm in te satis esse animi constantiaeque arbitror: deinde cum tantam multitudinem, cum tanto studio adesse videamus, quantum non iterum in eodem homine praeficiendo vidimus, quid est quòd aut de re aut de perficiendi facultate dubitemus?

380 Vm Manilium appellans arbitrari se ait satis animi & constantiae in illo esse, appositè illum laudat; vt scilicet in lege roganda bono & constanti animo perseueret: vel si fortè nutet, reuocet animum & ad constantiam redeat. denique ijs quos cohortamur, laude animum addi non est quòd dubitemus. Atque huc etiam mirificè pertinet totius populi Rom. quod prolixè commemorat, studium: in hoc enim maximè perficiendae rei spes collocatur. Atque hîc non ab re fuerit obseruasse illud *iterum* non valere *rursus*, quemadmodum passim valet aut *denuo*, sed *aliâs* siue *antea ullo tempore vnquam*. si enim de multitudine loqueretur quae in Pompeio praeficiendo suum studium anteacto tempore declarasset, rectè dici posset tantam fuisse illam multitudinem quantam iterum hoc est rursus aut secundò visa non est: sed cum loquatur de multitudine quae in praesens audiebat M. Tullium, *iterum*, *aliâs* valeat necesse est: significat enim nunquam aliàs, seu anteacto tempore, tantam multitudinem visam esse, aut tantum studium erga Pompeium enituisse. ac propterea videtur Cicero tacitè in memoriam Manilio reuocare ingentē illam populi frequentiam, qua Gabinius legem rogauerat ac persuaserat: vt quoniam praesens frequentia maior esset, ac maius populi Rom. studium ostenderet, bono animo esset, atque optimum ipse quoque speraret exitum.

PARTICVLA CLXXXIII.

381 *EGo autem quicquid in me studij, consilij, laboris, ingenij: quicquid hoc beneficio Populi Rom. atque hac potestate praetoria, quicquid authoritate, fide, constantia possum, id omne ad hanc rem conficiendam tibi & Populo Rom. polliceor & defero.*

Anilium confirmarat tum a propria ipsius Manilij persona, tum a persona Populi Rom. ducto argumento: supererat igitur vt ad illud etiam atque etiam confirmandum a sua M. Tullius persona (praesertim cum Praetor esset) argumentum desumeret. Id quod facit in praesentia, idque tam exaggeratè (vt satis constat) tam grauiter, tanta eloquentia vt nihil illustrius, nihil perfectius excogitari possit. quibus verbis quae Manilio pollicetur, eadem omnia Populo Rom. pollicetur ac defert. ac scitè: si quidem currentes hortari, nunquam obfuit, semper profuit quidem certè.

Denique

Denique cum Prætoriæ potestatis quam gerebat, mentionem fecisset, eandémque populi Rom. beneficium appellans, populi Rom. beneuolentiam captasset, par erat vt eiusdem fructum populo Rom. deferret: præsertim cum ab initio illud affirmasset, se curaturum vt quantum sibi honoris & ad agendum facultatis populi Rom. authoritate aut ex quotidiana dicendi exercitatione accessisset, ijs ostenderet quibus earum rerum fructus tribuendus esset ac referendus. Iam verò, quoniam non deerant qui suspicarentur iactarentque M. Tullium Manilianam legem suadendam suscipere vt Pompeio & amicis gratificaretur, præsidiáque sibi & adiumenta pararet vel aduersus pericula vel ad honores, idcirco pergit.

PARTICVLA CLXXXIV.

Testórque omnes deos, & eos maximè, qui huic loco, templóque præsident, qui omnium mentes eorum, qui ad Rempublicam adeunt, maximè perspiciunt, me hoc neque rogatu facere cuiusquam; neque quò Cn. Pompeij gratiam mihi per hanc causam conciliari putem: neque quò mihi ex cuiusquam amplitudine, aut præsidia periculis, aut adiumenta honoribus quæram. 382



Raui quidem de causa appositéque Deos obtestatur atque illos maximè qui loco illi ac templo præsidere crederentur, vt quod persuadere omnibus cuperet, credibilius ac testantius redderetur. Qua in re Orator noster atque Philosophus iurè ijs Philosophis omnibus anteponatur qui vel diuinum haud agnoscerent numen vel si agnoscerent de illius prouidentia dubitarent, vel nō eò illam adducerent aut concederent sigillatim cuiusque mentem Numini esse perspectam: ita vt Ciceronis sententia cum Christiana veritate mirificè consentiat. & quanquam si quis de Numine quale quale illud diceret, sciscitatus esset ex M. Tullio, non facilè nobiscum Philosophaturus esset, præsertim dum ipse Deorum introducit multitudinem, nos vnicū statuimus Numen, aliqua tamen ex parte excusari potest quòd Ethnicus esset miser, ac patriam legem sequeretur: ita vt facilè Iouem, Castorem, & commentitios huiusmodi Deos quibus fori templa dicata erant, intelligeret in præsentia. etsi, vbi data opera de Deorum agit natura, fortasse nōn tam Popularibus istis Dijs, quàm beatis quibusdam mentibus excellentissimum Numinis nomen tribuat. Sed quicquid sit, his obtestatis, affirmat se ad Manilianam legem confirmandam nec cuiusquam rogatu deuenisse, nec vt Cn. Pompeij gratiam ac voluntatem sibi conciliaret, nec vt ex cuiusquam amplitudine præsidia in periculis vel adiumenta ad honores compararet. Quæ sanè, quod pertinet ad Pompeij gratiam, an verè omninò pronunciarit, ac propterea num castè Deos (quales quales ij essent) obtestetur, non facilè aut confirmare ausim aut refellere. Illud tantùm monuerim Q. Fratrem in eo libro quem scripsit de petitione Consulatus, Ciceroni in memoriam reuocare, circumspiciendum esse ne dum Pompeij gloriam tanto studio augere niteretur, apud multos offenderet. denique vt Cn. Pompeium sibi adiungeret curasse Marcum, non inficiatur Quintus, tametsi deinde Pompeius ferè immemor beneficij visus est, dum maluit M. Tullium exulem adiuuare quàm ne exularet prouidere. Sed vt vt sit rectè subdit.



PARTICVLA CLXXXV.

383 P*Ropterea quòd pericula facilè, vt hominem præstare oportet, innocentia tecti pellemus: honores autem neque ab vno, neque ex hoc loco, sed eàdem nostra illa laboriosissima ratione vitæ, si vestra voluntas feret, consequemur.*



Erè enim innocentia in primis defugienda sunt pericula: atque hoc maximè præstare hominem oportet. tametsi enim honesta præsidia reliqua non sunt spernenda, innocentia tamen innocentiaéque studio se quisque in primis munire debet. neque verò malus honorum æstimator censendus est noster Author, dum ait non ab vno (Pompeium intelligit) neque ex eo loco, ex rostris inquam vbi scilicet Populi Rom. saluti ac dignitati studendum, non beneuolentia ac studium aucupandum; sed laboriosissima ratione vitæ, qua scilicet innocentes tuetetur, ac tum in foro tum in Curia, quasi in specula quadam, pro reipublicæ salute versaretur honores esse parandos, atque eos etiam tum demum, cum Populi Rom. voluntas accederet, quemadmodum accesserat in Prætura.

PARTICVLA CLXXXVI.

Q*Vamobrem quicquid in hac causa mihi susceptum est Quirites, id omne Reipublicæ causa suscepisse confirmo.*



Vm tu M. Tulli nec cuiusquam rogatu nec Pompeij causa hoc munus obieris, neque præsidij aut adiumenti vllius gratia, quorsum tam graue dicendi onus suscepisti? præsertim verò quia Catuli, Hortensij aliorúmque multorum ac Lucullianorum in primis inuidiam subeas necesse est. Ergo se id omne reipublicæ causa suscepisse affirmat. quæ ratio Senatore atque Oratore grauissimo digna est, cui sine dubio omnia ad reipublicæ salutem sunt referenda: pro qua etiam mors oppetenda illa erit
384 aliquando.

PARTICVLA CLXXXVII.

T*Antúmque abest, vt aliquam bonam gratiam mihi quæsisse videar, vt multas etiam simultates partim obscuras, partim apertas, intelligam, mihi non necessarias, vobis non inutiles, suscepisse.*



Atetur M. Tullius multas se interim simultates suscepisse partim obscuras, fortasse propter eos qui Pompeio inuiderent; partim apertas, forsitan propter Hortensium & Catulum ac sectatores quibus apertè resistebat: facilè etiam propter Lucullianos qui dictitarent Pompeium Luculli gloriæ inuidere, ac propterea moliri vt illi ex Mithridatico triumphum præriperet. Sed cur dicit mihi non necessarias? quia has simultates non propriæ tutelæ ac sui ipsius causa suscipiebat, sed tantùm reipublicæ gratia. cur Populo Rom. non inutiles? quia fore sperabat vt si Pompeius contra Mirhridatem mitteretur, Populi Rom. gloria cum vectigalibus, sociis, fortunísque ciuium & amicorum defenderetur, simúlque Maniliana lege constituta, eiusdem Populi Rom. authoritas ac dignitas conseruaretur.

PARTICVLA CLXXXVIII.

SEd ego me hoc honore præditum, tantis vestris beneficijs affectum, statui Quirites, vestram voluntatem, & Reipublicæ dignitatem, & salutem Prouinciarum, atque sociorum, meis omnibus commodis & rationibus præferre oportere.


Ciscitari potuisset quispiam cur eiusmodi simultates susciperet, séque
inuidiæ subijceret, cum cauere illa posset. An non M. Tulli cæteri id
faciunt, séque ab omni periculo tutos præstant? Ergo M. Tullius vt 385
huic etiam percunctationi satisfaciat, grauissimis verbis profitetur se,
quoniam eo honore, Prætura scilicet Vrbana; ornatus esset a populo
Rom. ac magnis beneficiis affectus, (ædilis quoque fuerat: & in ea ipsa Prætura summam Populi Rom. beneuolentiam, dum ter suffragia pro eo tulisset,
expertus erat) decreuisse Populi Rom. voluntatem, ac Reipublicæ dignitatem, necnō
sociorum Prouinciarúmque salutem, proprijs commodis, prout oportebat ac bonū
ciuem decebat; suisque rationibus omnibus anteferre. vbi Reipublicæ dignitatem
statim post Populi voluntatem commemorat cui seruire decreuisset, vt ne populi voluntatem iniquam esse quis crederet sed æquissimam, cum Reipublicæ dignitatem
contineret, & huc pertinet quod significat cū salute coniunctā esse. Ita quidem quod
tota oratione contenderat, hic etsi strictim atque alijs verbis, significat gloriæ populi
Romani, vectigalibus, saluti sociorum, fortunæ multorum ciuium, quæ omnia Mithridatico hoc bello agerentur, optimè consuli ac prouideri. Hæc sunt quæ habet in
postrema hac parte siue in peroratione.

Nunc libet perorationis præcepta breuiter explicare eádemque in Maniliana obseruare prout recepi, ac paucis interpositis finem dicendi facere.

Perorationis Præcepta. Perorationem Græci ἐπίλογον vocant: ac sine dubio a præcipuo siue non postremo
perorationis munere, quod est breuis dictorum enumeratio: alioquin alia præstare
solet multa & varia, quin enumeratione carere quoque potest peroratio, quemadmodum cum alibi sæpè rum in hac Maniliana licet animaduertere: vt propterea cōmodius a Latinis peroratio appelletur postrema hæc quæ Cōfirmationi ac Refutationi pars subijci quæque claudi solet oratio. atque hac etiam de causa Conclusio (per 386
antonomasiam crediderim) a Cicerone appellatur. sed misso nomine. illud certū est,
perorationem orationi commodè & opportunè concludendæ inuentam esse; ita vt
proprium illius munus sit opportunum orationi finem tanquam colophonem imponere. Vt enim opportunè præstat orationem exordiri, ita eandem commodè &
opportunè concludamus oportet ac peroremus. quanquam enim & peroratione, &
exordio carere potest oratio (nihil enim prohibet quin a reipsa incipias, seu a Narratione aut Confirmatione: vel Confirmationi aut Refutationi nil planè subijcias) id
tamen a bono Oratore apud grauem consessum frigidè & indecorè, ac natura ipsa
quodammodo repugnante, fieri videatur. Itaque deprehendas quidem apud Poetas & Historicos, quoniam angustis vti solent concionibus sæpè, vel Exordium vel
perorationem vel vtrunque a dicentibus prætermitti: in proprio certè Oratoriū curriculo ab Oratoribus ipsis, vel ab Isocrate, Demosthene, M. Tullio, rarò admodum
omittantur. Tibi igitur in Oratoria Palæstra explorandum est quid tuæ orationi opportunè concludendæ sit accommodatum, vt inde perorandi occasionem ac locum
arripias. Etsi enim quædam in primis orationi concludendæ idonea videri solent,
quę etiam tum ab Aristotele atque aliis obseruantur, tum a bonis Oratoribus passim
teruntur, facilè tamen contingere potest vt præter isthæc aliud quippiam orationi
fœliciter concludendæ se se obijciat. id quod in Maniliana licet animaduertere, in cuius peroratione suspicionem quandam diluit M. Tullius, quam de se emanasse animaduerterat. Vt enim maius haberet pondus oratio, eiusmodi suspicio, postquam
cætera præstiterat luculentè, depellenda omnino erat. quod perfecit etiam egregiè.
ita vt nullum perorationi certius præceptum ac documētum præscribi possit quàm
vt concludendi opportunitas captetur, atque ijs planè peroretur quæ tunc planè in
finem

finem commodè cadant. Tametsi non est quod inficiemur ea quæ ab Aristotele orationi concludendæ siue Epilogo tribuuntur, pleraque atque frequẽter in perorationem fœliciter cadere. Quocirca lubet hæc percensere, & quàm in Maniliana Oratione eniteant obseruare. Ergo illud primum in peroratione requirit magnus dicendi artifex Aristoteles, vt auditorum erga te beneuolentiam & gratiam confirmes. Ac rectè, vt scilicet eos faciliùs in sententiam adducas. Quamuis enim beneuolentiam captaueris in Exordio, sæpè etiam confirmaueris in progressu, plurimum tamen refert ad victoriam vt eam tibi in fine augeas ac promerearis. Id quod egregiè facit M. Tullius, dum sic suspicionem illam depellit, vt se quicquid agit, Populi Rom. causa agere, & ad illius dignitatem tuendam, quam suis commodis omnibus & rationibus anteponere statuisset. hinc enim sibi Populi Rom. voluntatem ac beneuolentiam
388 confirmet atque augeat, necesse est. Addit Aristoteles amplificandum: atque id quoque sine dubio appositè: cum enim in Confirmatione & Refutatione id minùs commodè interdum præstari possit, (neque enim plura simul efficimus commodè aut perfectè) perorationi reseruatur vt quod probaueris, ac summatim quæ tibi fauent, amplifices. a quo munere haud quidem supersedet hîc M. Tullius, cum sic suspicionem illam depellat, vt disertè confirmet se eam causam tueri in qua sociorum, Prouinciarum, Reipublicæ ipsius dignitas ac salus posita sit & collocata: quod sanè ad victoriam pertinebat non mediocriter. Addit tertiò Aristoteles auditorum animos in epilogo esse percellendos. & acutè. nam vbi docueris, quemadmodum amplificationi ita animorum permotioni aditus patet amplissimus; ita ut quoniam in hac permotione victoria vel maximè posita est, non sit prætermittenda effectus concitandi occasio. Atque id etiam præstat M. Tullius, dum & Manilium & Populum Rom. vehementer cohortatur inflammátque ad legem illam tuendam: quod sanè eò aptiùs facit & opportuniùs, quòd eorum dignitatem & authoritatem perinde ac Reipublicæ salutem ea lex contineret. Tametsi negandum non est Ciceronem in ipsa etiam Confirmatione admonuisse motus Auditorum animis, ac prout quanque partem ex propositis demonstrasset, occasionem quoque arripuisse illos inflammandi. Ad extremùm enumerationem requirit Aristoteles in Peroratione, vt scilicet breuiter repetamus siue enumeremus ea quæ dicta sunt prolixiùs. Id quod reuera prætermittit hoc tempore noster Cicero: sed consultò ille quidem ac scitè: quandoquidem dum singulas orationis partes, prout eas proposuerat, absolueret, quid in singulis effecisset docuerat. id quod obseruare in primis licet in tertia, quæ est de Imperatore deligen-
389 do, & cui oratio seruit vniuersa. hîc enim, cum finem imponeret Confirmationi sic differebat, *Quare cum & bellum ita necessarium sit: vt negligi non possit ita magnum, vt accuratissimè sit administrandum: & cum ei Imperatorem præficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima authoritas, egregia fortuna: dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni quod a Dijs immortalibus oblatum, & datum est, in rempublicam conseruandam, atque amplificandam conferatis?* quid illustrius ad enumerationem eorũ quibus causam confirmasset? ita vt cum enumeratione opportunè vsus esset in extrema Confirmatione, illa postmodum in peroratione fuerit supersedendum: præsertim verò quòd quæ perorationi tribuit Aristoteles, non ea sunt quæ omnia in vna eádemque orationis peroratione exigantur, sed prout locus ac tempus postulauerit, aut omnia aut pleraque aut aliqua. id quod apud Demosthenem ac M. Tullium passim factitatum inuenias. Denique perorationis scopus ille esse debet vt quos docueris auditores, se se tibi dent atque in tuam sententiam planè descendant ac veluti impellantur. cum igitur ad Manilianam legem omnino persuadendam & obtinendam illud primum esse necessarium, vt Manilius constanter illam rogaret ac tueretur, Populus verò eandem strenuè ac toto pectore confirmaret & amplectaretur, nihil opportunius accidere poterat quàm vt M. Tullius, vbi suam sententiam confirmasset contrariámque reiecisset, Manilium ac Populum Rom. in quo victoriæ spes erat collocata, ad eam legem hoc est ad suam dignitatem authoritatémque, tuendam impelleret & inflammaret. ita vt peroratio nulla vel commodior vel illustrior fingi aut excogitari posset hoc tempore.

390 Hæc de Maniliana peroratione atque adeò de oratione hac vniuersa. ex quibus, si ea spectes ac diligenter expendas quæ exposuimus vt eam intelligenter euolueres, si-

múlque vsum cum præceptis præcepta cum vsu coniungeres, habeas fortasse vnde plurimum proficias in eloquentia. Etenim quæ siue ad Exordium siue ad Narrationem siue ad Confirmationem Refutationémque, siue ad Perorationem pertinent, hæc verò prolixè explicata sunt; idque siue vsum siue præcepta, quæ duo eloquentiam pariunt, requiras; Ex quo etiam factum est vt Inuentioni, Dispositioni, Elocutioni, quantum tamen Maniliana pateretur, factum sit satis. Etsi enim fateor multa adhuc disputari & doceri potuisse de Inuentione (amplissimus enim est huius campus) multa de affectibus præcipi ac moribus, multa etiam sigillatim afferri ad verborum ac sententiarum figuras ac tropos declarandos, veruntamen quæ ad isthæc perdiscenda se se in Maniliana in conspectum dedere (dedere autem non pauca) ea sanè sic obseruauimus, vt ne huic quidem muneri defuisse videri debeamus.

Quanquam licebit tibi Manilianum hunc Commentarium cum Aristoteleæ Rhetoricæ commentarijs quos interim in lucem damus, coniungere vt in eloquentia magis adhuc magísque proficias, atque adeò tanquam in Theatro orationis Ideas omnes, præcepta, lumina, intueri valeas. nam in Aristoteleæ Rhetoricæ commentarijs cum eius præcepta atque sententiam pro virili parte nostra dilucidamus, ac latiùs explicamus, tum iisdem Centum oratorias Controuersias (perinde nimirum atque in Aristotelea Poëtica fecimus) interponimus, quibus quicquid vel ambiguitatem haberet ac disputatione indigeret, prosequimur explanamúsque copiosè. Quin multa, quoniam longiore indigebant disputatione, seorsim (ne scilicet Aristotelicam interpretationem longioribus digressionibus interpositis distraherem & interturbarem) priuato commentario prosequimur: idque ipsos Eloquentiæ Principes, ac de præcipuis Eloquentiæ argumentis, disceptantes in eo introducentes. Ex quibus disputationibus ea tibi prima occurrat, quam iamdiu edidimus, quærentes. AN siue ACTORI siue REO, & in vniuersùm Oratori ingenuo, liceat in iudicijs & concionibus affectus concitare, ac Iudicum animos flectere, & permiscere. 391

Maniliana Finis.

INDEX

INDEX COPIOSISSIMVS:

Qui tamen non tam verborum ac literarum, quàm rerum, ordinem ſequitur atque orationis commonſtrat artificium.

Hæc vt ſub vno quaſi aſpectu vniuerſa Manilianæ ſtructura & Oeconomia cerneretur, & illius artificium commodiùs agnoſceretur. Nunc verborum ordinem ſequentes, memorabilia quædam obſeruabimus.

Insequentes Orationes & in eas obseruationes, quoniam non latè manant Indice vix indigent vllo. Etsi lubet eas paucis veluti ante oculos ponere, vt faciliùs de illarum Oeconomia constet & artificio.

Finis Indicis totius Voluminis Sexti.

IN CICERONIS ORATIONEM

PRO ARCHIA POETA.

MAnilianæ quam explanauimus, vnam adhuc atque alteram M. Tullij 392
Orationem, Lector; tertiam etiam, vt tuæ vtilitati magis ac magis
consulamus, addere iubes; idque eo consilio ac lege, vt eas non tam
copiosè explicem, quàm strictim attingam. Vt scilicet tuam ipse in-
dustriam in ijs exeras interim, & Manilianæ edoctus explicatu, tuo
marte ad Eloquentiam contendas, Nec te tamen in ijs Orationibus
omnino destitutam ieiunúmque relinquam; sed argumentum priùs diligenter ex-
plicabo ex quo de Authoris instituto & consilio constet satis; tum orationes in suas
partes distribuam, singulatímque Oeconomiam indicabo, vt ad finem vsque cum
facilè ac celeriter, tum intelligenter, in primísque magno cum fructu, progrediaris.
Quæ omnia sine dubio assequeris, candide lector, si proprium interim laborem ac
studium cum nostris præsidijs adiumentísque coniunxeris, Sæpè enim fit vt ex his in
quibus ipsi laboramus, fructum vberiùs colligamus, & idcirco in tertia nostram ipsi
operam minuemus, illius vigilijs ampliorem aditum aperientes. Iam verò primæ
orationis inscriptio ac Titulus cui nos argumentum subijciemus, est huiusmodi.

Ciceronis pro A. Licinio Poeta Oratio.

ATque hîc tuam Lector industriam deposco vt diligenter requiras cur Archias
Romano more appelletur. Neque enim eo tempore tam magna nominum
congeries appellandis Græcis adhibebatur, sed nomine in primis gaudebant: cui pa-
rentis nomen addebant, nihil prætera; nisi fortè aliqua de causa tribus adderetur.
Sic Alexander Philippi, Plato Aristonis, Xenophon Grylli, Polemarchus Cephali, So- 393
crates Sophronisci, Aristoteles Nicomachi, dicebatur, Quod si fortè Patris prætери-
rent nomen, id a Patria vel ab Arte quam quisque profitebatur, aut a simili veluti
fonte deriuabatur. Sic Hyppocrates Chius, Herodotus Alicarnasseus, dictus est:
Diogenes Cynicus. Quin etiam qui celeberrimi essent, vnico nomine censebantur:
sic Homerus, Solon, Pythagora ac sexcenti alii. interdum etiam qui peculiare aliquid
præseferrent, ij hinc appellationem inueniebant ac nomen. Sic Plato cum Aristo-
cles ex aui nomine diceretur, Plato ob egregium corporis habitum a palæstrita dictus
est. Quid est igitur quod Græcus homo Romano more appelletur? Quanquam; ne
te interim omnino ieiunum hærentémque relinquam, quid ipse sentiam paucis ac-
cipito. Crediderim igitur Archiæ hoc ipsum fuisse nomen. Et quoniam Poësis lau-
de celeberrimus erat; Poëtam appellatum. Cæteris igitur nominibus Romæ orna-
tus est: vt dum Romæ ageret, Romano more ageret. ac sine dubio quemadmodum
Lucullorũ studiosus fuit, eorúmque beneficio (id quod declarabitur in progressu)
donatus est Ciuitate, sic Licinius a Licinia Lucullorum familia nuncupatus est; ita
factum est, vt illius nomen in cognomen quodammodo abierit. Nam Aulum præ-
nomine nuncupatum satis intelligitur, vel quia eidem familiæ huiusmodi prænomen
esset familiare, vel quia ex certo prænominum numero quibus certa ratione vteren-
tur, hoc vnum in mentem venit quod Licinio præmitterent: alioquin quodcunque
illi attributum fuisset prænomen, quæri posset cur, istud? Tu interim quæ nos de to-
to hoc Romanæ appellationis genere scripsimus ad Sallustii initium, quæcque sigil-
latim de appellationibus tum Hebræorum & Græcorum, tum Albanorum, Sabino-
rúmque obseruauimus, cum iis coniungere ne graueris. Nunc venio ad argumen- 394
tum: quod (vt pleniùs explicetur) est huiusmodi.

Anno

Anno ab Vrbe condita sexcentesimo sexagesimo quarto, Cn. Pompeio Strabone, Pompeij Magni Patre, & L. Papirio Carbone Tribunis lex lata est, qua qui in fœderatarum Vrbium tabulas relati essent, atque in Italia, cum hæc promulgaretur lex, domicilium habuissent, & sexaginta diebus apud Prætorem essent professi; ita vt saltem sexagesimum ante diem in publicis tabulis descripti essent, Romana Vrbe donabantur. Et quanquam non eâdem planè lege Ciuitatibus omnibus aut Prouincijs Romanorum Ciuium ius concedebatur, inde tamen plurimum & commodi & dignitatis referebant omnes. Archias igitur Antiochia natus quæ Vrbs in Syria erat nobilissima, Romam cum peruenisset XVII. ætatis suæ anno, ob egregiam humanioris literaturæ laudem ac Poësis in primis, Lucullorum familiæ carissimus fuit & iucundissimus, a quibus etiam A. Licinij pronomen ac nomen consuetus est. Cum igitur in Ciliciam cum Lucullo profectus esset, non multò post inde discedens, Heracliam quæ magnæ Græciæ Vrbs erat, peruenit cum Lucullo: vbi ab Heracliensibus tum propter suam virtutem, tum propter Luculli authoritatem in Ciuium numero receptus & in tabulas relatus est. Quo factum est vt cum Heraclienses Romanorum fœderati essent, ac pro Romanis Ciuibus haberentur, Archias cum Romæ tandē constituisset domicilium, quippe Heracliensem Ciuem, pro Romano quoque Ciue gesserit Romæ. Interim tamen Gracchus quidam Archiam accusauit, cui ex eâdem lege quam Siluanus & Carbo tulerānt, quâque maximè nitebatur Archias vsurpatæ Ciuitatis crimen intendit. Cicero igitur nobili hac oratione Archiam, cui se plurimum debere profitebatur, tuendum suscepit, in qua sanè luculenter ostendit A. Licinium Archiam ritè & ex legis præscripto non modò in tabulis Heracliensium, ve-
395 rùm etiam Tarentinorum, Rheginorum, Locrensium, Neapolitanorum ascriptum, ac ciuitate donatum esse: ac postremò Ciuem Romanum quoque factum, cum sub Q. Metello professus esset. Quæ cum breuiter docuisset, simúlque aduersarij argumentis respondisset, mox in humanioris literaturæ, maximè verò Poësis, laudem, orationem reliquam effudit totam. Hoc est germanum huiusce orationis argumentū: quam in duas principes partes distribuas percommodè. Et in priore quidem cum docet Archiam verè ac legitimè Ciuem Romanum esse, tum (vt dicere cœperam) refutat obiectum accusationis crimen. In altera Poësim, humanioréſque doctrinas celebrat copiosissimè. Cum enim in propositione sibi demōstrandum proposuisset, Archiam, etiam si non fuisset Ciuis Romanus, dignissimum esse qui in eum ordinem asciscеretur, idcirco huic quoque parti continenter satisfacit. Docet enim talem ac tantam esse Poësis earúmque doctrinarum præstantiam quibus Archias excelleret, vt vel hoc vno dignissimus esset qui Romanæ Ciuitatis beneficio ac dignitate frueretur & ornaretur. Quibus probatis, Iudices obtestatur vt talem ac tantum virum omni crimine liberarent, sibique interim ignoscerent qui nouo illo dicendi genere vsus esset, ac de studio humanitatis in foro ac iudiciis præter morem verba facere non dubitasset.

Atque ex his omnibus constare satis potest orationem ad vnum Iudiciale genus (quicquid aliqui aliter sentiant qui ex Iudiciali & Demonstratiuo conflatam esse dictitant) pertinere totam. Etsi enim in Archiæ se se fundit laudem, ac multò magis ad Poësim humanioréſque literas celebrandas, veruntamen hæc laudatio non per se in-
396 stituitur sed alterius gratia, nimirum Iudicij; vt scilicet Archias dignissimus æstimaretur qui in Ciuium Romanorum numero cooptaretur, si minùs Ciuis Romanus esset; & ab accusatione liberaretur, & idcirco inquit ad extremum [Quæ cum ita sint; petimus a vobis, iudices si qua non modò humana, verùm etiam diuina in tantis negotiis commendatio esse debet, vt eum, qui vos, qui vestros imperatores, qui Populi Romani res gestas, semper ornauit, qui etiam his recentibus nostris, vestríſque domesticis periculis æternum se testimonium laudum daturum esse profitetur, quíque est eo numero, qui semper apud omnes sancti sunt habiti, atque dicti, sic in vestram accipiatis fidem, vt humanitate vestra leuatus potiùs quàm acerbitate violatus esse videatur.] Certum est autem id quod per se spectatur & quæritur, constituere causæ genus, non quod alterius causa assumitur. Et quanquam non negarim M. Tullium id sibi in animo proposuisse vt eruditionem & humaniores disciplinas quibus tantopere delectabatur, celebraret, Auditoribúſque probaret, atque inde sibi gloriam compararet

pararet (quo fieret vt animo saltem & cogitatione aliam quoque finem sibi proposuisset) hic tamen finis, dum conderetur animo, nec literis & oratione declararetur, non mutaret orationis genus: quod ex propositione & œconomia disputationis, non ex abdito dicentis sensu, æstimandus est.

Dum verò Archiam laudat Poësis & eruditionis nomine, ac tandem in Poësis humaniorísque eruditionis laudem progreditur, eò ferè euadit oratio vt ab hypothesi ad thesim assurgat, vnde nobilitari maximè solet. etsi enim tum rite nobilitatur cum a thesi progredimur ad hypothesim, & ab vniuerso genere incipientes ad priuatum descendimus, vt si Poësim in vniuersum laudemus prius, tum hinc Virgilium aut alium quempiam celebremus quòd Poësis excelluerit laude, nihil tamen prohibet vt dum a certis personis & temporibus ad genus vniuersum traducitur disputatio nō inde ornatissima euadat oratio. Denique idē Thebis Athenas & Athenis Thebas proficiscens peragrat iter. Quare quemadmodum pulcherrima est Maniliana laudatio in qua ab vniuerso genere incipiens M. Tullius, virtutes effert summi Imperatoris, tum ad certum genus progrediens has in Pompeio agnoscit omnes, sic pulcherrima censenda est hæc item laudatio in qua priùs Archias Poësis humaniorísque literaturæ nomine ornatur ac celebratur, tum ad Poësim & humaniores literas vniuersim celebrandas ornandásque descenditur. Sed iam ad partes singulas descendamus, ac de singulis distinctè agamus. exordium est huiusmodi. 397

Exordium.

SI quid est in me ingenii, Iudices, quod sentio, quàm sit exiguum; aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter esse versatum: aut si huiusce rei ratio aliqua ab optimarum artium studiis, & disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruisse; earum rerum omnium vel in primis hic A. Licinius fructum a me repetere propè suo iure debet. Nam quoad longissimè potest mens mea respicere spatium præteriti temporis, & pueritiæ memoriam recordari vltimam, inde vsque repetens, hunc, video mihi principē, & ad suscipiendam, & ad ingrediendam rationem horum studiorum extitisse. Quòd si hæc vox huius hortatu præceptísque conformata, nonnullis aliquando saluti fuit: a quo id accepimus, quo cæteris opitulari, & alios seruare possemus, huic profectò ipsi quātum est situm in nobis, & opem, & salutem ferre debemus. Ac ne quis a nobis hoc ita dici fortè miretur, quòd alia quædam in hoc facultas sit ingenii, neque hæc dicendi ratio, aut disciplina: nec nos quidem huic cuncti studio penitus vnquam dediti fuimus. Etenim omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam cōmune vinculum, & quasi cognatione quadam inter se continentur. Sed, ne cui vestrum mirum esse videatur, me in quæstione legitima, & in iudicio publico, cum res agatur apud Prætorem Pop. Rom. lectissimum virum, & apud seuerissimos Iudices, tanto conuentu hominum, ac frequentia hoc vti genere dicendi, quod non modo à consuetudine iudiciorum, verum etiam a forensi sermone abhorreat: quæso a vobis vt in hac causa mihi detis hanc veniam, accōmodatam huic reo; vobis quemadmodum spero non molestam: vt me pro summo poëta atque eruditissimo homine dicentem, hoc concursu hominum literatissimorum, hac vestra humanitate, hoc denique Prætore exercente iudicium, patiamini de studiis humanitatis, ac literarum paulò loqui liberiùs; & in eiusmodi persona, quæ propter otium, ac studium minimè in iudiciis periculisque tractata est, vti propè nouo quodam, & inusitato genere dicendi: quòd si mihi a vobis tribui, concedique sentiam; perficiam profectò, vt hunc A. Licinium non modò non segregandum, cùm sit ciuis, a numero ciuium, verum etiam, si non esset, putetis, adsciscendum fuisse. 398

Hic igitur diligenter obseruandum eiusmodi exordium a M. Tullio duci a persona tum propria tum iudicum & auditorum, tum Archiæ ipsius: a propria dum quātum Archiæ debeat a quo institutus fuerat, ingenuè prolixéque fatetur: quæ pars miram habet perspicuitatem: præsertim verò quia quæ statim suboriri poterat dubitatio, dū se ab Archia institutum pro fiteretur qui nō eloquentia quemadmodum ipse Cicero,

sed

ſed Poëſis laude celebrabatur, huic occurrit egregiè; quod etiã ita facit, vt ſe in Poëſi quoque verſatum eſſe, nec arroganter, ſignificet ſed per modeſtè. Vbi obſerua quàm egregiè teſtetur Humanitatis ſtudia eſſe varia & commune quoddam habere vinculum: verè enim Eloquentia, Poëſis, Hiſtoria, quæque iis perdiſcendis neceſſaria ſunt, pertinent ad Humanitatis ſtudia. Iam verò a perſona quoque Iudicum & Auditorũ quos mirificè laudat, ducit exordium: vbi item ſuam ille modeſtiam oſtendit dum enixè petit vt ſibi liceat eum tueri cui plurimùm debet. Denique ab ipſius Archiæ perſona quem ſummopere commendat ac laudat. Atque eodem tempore & beneuolos & attentos & dociles reddit Auditores. beneuolos dum talem ac tantam grati animi ſignificationem præfert ac Iudicij illius grauitatem celebrat & Auditores de-
399 precatur. Interim memorem animum officiiſque plenum oſtendit: quo fit vt probos etiam ſibi dicendo aſſingat mores, quod ad perſuadendum plurimùm valet, ac propterea in orationis initium conuenit vel maximè. Attentos dum ſe pro ſummo Poëta atque eruditiſſimo homine dicturum déque ſtudijs Humanitatis ac doctrinarum, nouóque dicendi genere, pollicetur. Dociles dum ſe ad Archiæ defenſionem paratum oſtendit idque vt conſtet A. Licinium non modò non ſegregandum a numero Ciuium Romanorum inter quos iurè numerabatur, verùm etiam propter ſuam virtutem in eum numerum cooptandum fuiſſe ſi non id beneficij conſecutus eſſet antea. Neque verò in hoc exordio illud non obſeruandum quod moderationi tuendæ exemplo eſſe poteſt, dum noſtros labores probari cupimus ac ſtudia: quæ laus ſine arrogantia quæri vix poteſt: ſed poſſe tamen, Ciceronis declarabit exemplum. Dum enim ait, Si quid eſt in me ingenij, permodeſtè ſanè & appoſitè ſubiicit è veſtigio, quod ſentio quàm ſit exiguum: idem facit dum dicendi exercitationem commemorans, in qua me (ſubdit ſtatim) non inficior mediocriter eſſe verſatum: fatetur enim non profitetur ſe exercitationem dicendi adamaſſe. denique dum ad optimarum artium ſtudia deſcendit ac diſciplinam, a qua ego (inquit) nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruiſſe, modeſtiæ ſeruit egregiè. Ita quidem præclara ſua ſtudia doctrinarum & eloquentiæ, omnem arrogantiæ notam declinans, reuocat auditoribus in memoriam. Quod ſanè plurimùm valet ad capiendos animos: neque enim virtus vlla ac doctrina grata eſſe ſolet, quæ arrogãtiam ac ſuperbiam comitem habeat: contra verò virtus ac doctrina, moderatione comite, mirificè nitet ac delectat. Interim per te ipſum in hoc exordio, quod ſanè, mea ſententia, pulcherrimum eſt & omnibus numeris abſolutum atque perfectum, cæteras virtutes agnoſcito, vt dum & a reo & ab auditoribus & a Prætoris dignitate atque excellentia, & ab Auditorum humani-
400 tatis ſtudiis. Tu igitur illud diligenter expendas. In primis verò obſeruato, planiſſimum eſſe ac fœliciter fluere, & ad imitandum eſſe accommodatum. Ita quidem his quæ obſeruauimus notatis, intelligenter percurri poteſt & inoffenſo pede. Obſerues tamen ea verba [in huiuſmodi perſona quæ propter ocium ac ſtudia in iudiciis periculiſque tractata eſt] illud tractata eſt, duriorem obſcuriúmque reddere locum, vt propterea ex veteribus codicibus omnino ſit reponendum verſata eſt. His illud addiderim reuera ingenio, exercitatione, arte ac præceptis contineri & indigere eloquentiam, quæ tum verbis illis complectitur Cicero [ſi quid eſt in me ingenii, ſi qua exercitatio, ſi huiuſce rei ratio aliqua ab optimarum ſtudiis & diſciplina profecta] harúmque omnium petere fructum potuiſſe Archiam a M. Tullio, quod in præceptis tum ingenium excitatur, & excolitur, tum exercitatio frugifera commodaque redditur; ita vt Archias qui præceptis imbuerat M. Tullium, exercitationis quoque & ingenij fructum repetere poſſit, idque ſi non omnem, quòd alios quoque Doctores habuerat in Eloquentiæ palæſtra, præcipuè tamen cum Archias maximè eum adoleſcentem & florenti ætate inſtituiſſet.

Narratio.

NAm, vt primùm ex pueris exceſſit Archias, atque ab his artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet, ſe ad ſcribendi ſtudium contulit: primũ Antiochiæ (nam ibi natus eſt loco nobili, & celebri quondam vrbe, & copioſa, atque eruditiſſimis hominibus, liberaliſſimiſque ſtudiis affluenti) celeriter antecellere omnibus

nibus

nibus ingenij gloria contigit: post, in cæteris Asiæ partibus, cunctaéq; Græcia sic eius
aduentus celebrabatur, vt famam ingenij expectatio hominis, expectationem ipsius
aduentus, admiratióque superaret. Erat Italia tunc plena Græcarum artium, ac disci-
plinarum; studiáque hæc & in Latio vehementiùs tum colebantur, quā nunc ijsdem
in oppidis; & hîc Romæ propter tranquillitatem Reip. nō negligebantur: itaque hūc
& Tarentini, & Rhegini, & Neapolitani ciuitate, ceterísque præmiis donarunt: & om 401
nes, qui aliquid de ingeniis poterant iudicare, cognitione, atque hospitio dignum exi-
stimarunt. Hac tanta celebritate famæ, cum esset iam absentibus notus, Romam ve-
nir, Mario Consule, & Catulo: nactus est primùm consules eos, quorum alter res ad-
scribendum maximas, alter cum res gestas, tum etiam studium, atque aures adhibere
posset: statim Luculli, cum prætextatus etiam tum Archias esset, eum domum suam
receperunt. Sed enim hoc non solùm ingenii, ac literarum, verum etiam naturæ, at-
que virtutis fuit, vt domus, quæ huius adolescentiæ prima fuerit, eadem esset fami-
liarissima senectuti. Erat temporibus illis iucundus. Q. Metello illi Numidico, & eius
Pio filio: audiebatur a M. Aemilio: viuebat cum Q. Catulo, & patre, & filio: a L. Cras-
so colebatur: Lucullos vero, & Drusum, & Octauios, & Catonem, & totam Horten-
siorum domum deuinctam consuetudine cum teneret, afficiebatur summo honore;
quòd eum non solùm colebant, qui aliquid percipere, aut audire studebant, verùm
etiam si qui fortè simulabant. Interim, satis longo interuallo, cum esset cum L. Lu-
cullo in Ciliciam profectus; & cum ex ea prouincia cum eodem Lucullo decederet,
venit Heracleam; quæ cum esset ciuitas æquissimo iure, ac fœdere, adscribi se in eam
ciuitatem voluit; ídque, cum ipse per se dignus putaretur, tum auctoritate, & gratia
Luculli ab Heracliensibus impetrauit. Data est ciuitas Siluani lege, & Carbonis; Si
qui fœderatis ciuitatibus adscripti fuissent; si, tum cum lex ferebatur, in Italia domi-
cilium habuissent; & si sexaginta diebus apud prætorem essent professi: cum hic do-
micilium Romæ multos iam annos haberet, professus est apud prætorem Q. Metel-
lum familiarissimum suum.

Narratio quæ in Iudiciali genere vix vnquam prætermitti potest, est veluti semi-
narium quoddam argumentorum. Et ideo narratio appellari solet sedes argumento-
rum seu fundamentum fidei constituendæ. Hîc verò diligenter est obseruandum non
historico planè modo instituendam esse narrationem, sed Oratorio. Bonus enim Hi-
storicus ac diligens, si quid huic in vita acciderit graue, periculosum, admirabile, non 402
prætermittat: pleniùs etiam de illius educatione, de doctoribus, de vigilijs ac studijs
agat si eius vitam conscribat. At Orator, quæ tantùm ad causam faciunt, seligat ex
vita: quæ etiam sic narret vt quæ minùs faueant, de industria prætermittat. Denique
illa tantùm attingat ex quibus deinde argumentari possit ac fidem facere. Tametsi
narratio interdum fidei faciendæ argumenta vsque adeo perspicuè per se offert, vt nō
magnopere deinde sit oratori elaborandum vt argumenta illa in apertum educat ac
ratiocinando fidei faciendæ adhibeat, se se enim ipsa produnt. Atque id planè acci-
dit in præsentia. Et ideo potiùs sese ad obiecta argumenta diluenda conuertet M. Tul-
lius, quàm vt in eruendis & explicandis exaggerandísque ijs quæ in narratione deli-
tescunt aut continentur, argumentis immoretur. De qua re tota cōstabit paulò post.
Dixi autem in Iudiciali genere narrationem vix posse prætermitti, quia cum accusa-
tio præteritum tempus spectet & res antea gestas, præstat sanè rerum gestarū ac facti
memoriam renouare & quæ causæ seruire possint deligere, vt contrariam sententiam
statuere ac reum tueri liceat. Quanquam defensori, vbi de re gesta factóque cum
accusatore consentiat atque inde possit crimen diluere, nihil est quod narrādi subeat
munus, nisi breuiter & vt Iudicis, si opus est, consulat memoriæ. Nā accusator, nisi li-
bello fortasse factū narrauerit & in Iudicio publicauerit, narrationē prętermittere nul
lo modo pōt. Est aūt præsens narratio quinquepartita. Prima pars ad studia pertinet
adolescentiæ ipsius Archiæ, ad Patriam ac disciplinam: Secunda ad ingenij doctrinæ-
que commendationem ac nominis celebritatem: Tertia continet illius aduentum
ad Vrbem: Quarta eius consuetudines in Vrbe: Quinta profectionem in Ciliciam cū
Lucullo, vnde tandem rediens, Heracleam peruenit, & Heracliensi Ciuitate donatus
est. Atque hinc sub Q. Metello professum Romæ ostendit, ac Romanum Ciuem esse
factum. His narratiò continetur, quibus ad defensionem planissimus sternitur aditus.

Confirmatio & Refutatio.

403 SI nihil aliud, nisi de ciuitate, ac lege dicimus, nihil dico amplius; causa dicta est. Quid enim horum infirmari, Gracche, potest? Heracleæ ne esse eum adscriptum negabis? adest vir summa auctoritate, religione, & fide L. Lucullus, qui se non opinari, sed scire; non audisse, sed vidisse, non interfuisse, sed egisse, dicit. Adsunt Heraclienses legati, nobilissimi homines, qui huius iudicij causa, cum mandatis, & cum publico testimonio venerunt; qui hunc adscriptum Heracliensem dicunt. Hîc tu tabulas desideras Heracliensium publicas, quas Italico bello, incenso tabulario, interijsse scimus omnes. Est ridiculum ad ea, quæ habemus, nihil dicere; quærere, quæ habere non possumus, & de hominum memoria tacere; literarum memoriam flagitare: & cum habeas amplissimi viri religionem, integerrimi municipii iusiurandum, fidémque, ea, quæ deprauari nullo modo possunt, repudiare; tabulas, quas idem dicis solere corrumpi, desiderate. At domicilium Romæ non habuit is, qui tot annis ante ciuitatem datam, sedem omnium rerum, ac fortunarum suarum Romæ collocauit. At non est professus: immo verò ijs tabulis professus, quæ solæ ex illa professione, collegióque prætorum obtinent publicarum tabularum auctoritatem. Nam cum Appij tabulæ negligentiùs asseruatæ dicerentur; Gabinij, quandiu incolumis fuit, leuitas, post damnationem calamitas omnem tabularum fidem resignasset; Metellus, homo sanctissimus, modestissimúsque omnium, tanta diligentia fuit, vt ad L. Lentulum prætorem, & ad iudices venerit, & vnius nominis litura se commotum esse dixerit. His igitur tabulis nullam lituram in nomen A. Licinij videtis quæ cum ita sint, quid est, quod de eius ciuitate dubitetis? præsertim cum alijs quoque in ciuitatibus fuerit adscriptus. etenim cum mediocribus multis, & aut nulla, aut humili aliqua arte præditi gratuito ciuitatem in Græcia homines impertiebantur, Rheginos credo, aut Locrenses, aut Neapolitanos, aut Tarentinos, quod scenicis artificibus largiri solebant, id huic summa ingenij prædito gloria, noluisse. quid? cum cæteri non modò
404 post ciuitatem datam, sed etiam post legem Papiam aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepserint; hic qui ne vtitur quidem illis, in quibus est adscriptus, quod semper se Heracliensem esse voluit, reijcietur? census nostros requiris. Scilicet: est enim obscurum, proximis Censoribus hunc cum clarissimo Imperatore L. Lucullo apud exercitum superioribus cum eadem fuisse in Asia, primis Iulio, Crasso, nullam populi partem esse censam. Sed quoniam census non ius ciuitatis confirmat, ac tantummodo indicat, eum, qui sit census, ita se iam tum gessisse pro ciue; ijs temporibus, quæ tu criminatis, ne ipsius quidem iudicio in ciuium Rom. iure esse versatũ, & testamentum sæpe fecit nostris legibus, & adiit hæreditates ciuium Rom. & in beneficiis ad ærarium delatus est a L. Lucullo Prætore, & Consule. quære argumenta, si qua potes; nunquam enim hic neque suo, neque amicorum iudicio reuincetur.

His a Narratione ad Confirmationem progreditur Cicero. Etsi, quoniam Narratio apertiùs declarat Archiam iurè inter Ciues Romanos numerari, quàm vt res prolixiore indigeat ratiocinatione, idcirco cum id obseruat M. Tullius, atque in Graccum vrget, tum ad refellenda ipsius Gracchi argumenta, vel eius subterfugia præcidenda, se se confert: & in his subterfugijs præcidendis & euertendis reliquam confirmationem consumit. Tum, quoniam ab initio demonstrandum proposuerat Archiam, dignissimum fuisse qui cooptaretur inter Romanos Ciues, tantùm abest vt eo nomine accusandus esset, idcirco de Poësis humaniorísque literaturæ fructibus & dignitate copiosè verba facit. Atque hîc sanè dum M. Tullius tantopere Archiæ commendat carmina, lubet quæ adhuc ex hoc Poëta nobili post tot sæcula supersunt carmina, subijcere: quæ, cum sparsim occurrerent, collecta & a non malo Poëta latinè reddita, hæc sunt.



A. LI-

A. LICINII ARCHIÆ POETÆ,
quem tantopere celebrat Cicero,
EPIGRAMMATA.

In Pana venatorum, aucupum, & piscatorum Deum, trium fratrum anathemata, siue dona in templo eius appensa. 405



ΣΟί τάδε Πὰν σκοπιῆτα, παναίολα δῶρα σύναιμοι
Τρίζυγες, ἐκ τρισσῆς θέντο λινοστασίης.
Δίκτυα μὲν Δᾶμις, θηρῶν. Πίγρης δὲ, πετεινῶν
Λαιμοπέδας. Κλείτωρ δ' εἰναλίφοιτα λίνα.
Ὧν τὸν μὲν, καὶ ἐσαῦθις ἐν ἠέρι, τὸν δ' ἔτι θείης.
Εὔστοχον ἐν πόντῳ. τὸν δὲ, κατὰ δρυόχοις.
Pan specula residens, fratres hæc sanguine iuncti,
Tres tribus ex varijs munera dant laqueis.
Damis rete feræ, Pigres auiúmque volucrum
Tendiculas: Clitor vincla marina dedit.
Quorsum hunc fœlicem fac siluis, aeris illum
Venatu, reliquum fluctibus in medijs.

In eundem.

Αγραύλῳ τάδε Πανὶ βιαρκέος ἄλλος ἀπ' ἄλλης
Αὔθαιμοι τρισσοὶ δῶρα λινοστασίης.
Πίγρης μὲν, δειραχθὲς ἀνάβροχον ἅμμα πετεινῶν,
Δᾶμις δ' ὑλονόμων δίκτυα τετραπόδων,
Ἄρκυν δ' εἰναλίων Κλείτωρ πόρεν, οἷς σὺ δὶ αἴθρης,
Καὶ γᾶς, καὶ πελαγῶν, εὔστοχα πέμπε λίνα.
Hæc fratres vigili tres munera Pani dedere.
Ex varijs laqueis, quod satis vnde parant.
Pigres dat nexum volucres per colla ligantem,
Damis dátque feræ retia quadrupedis.
Clitor rete maris donat: quibus ipse per æthram,
Per terram, & Pelagus, vincla secunda dato.

In eundem.

Ταῦτά σοι ἔκτ' ὀρέων, ἔκτ' αἰθέρος, ἔκτε θαλάσσης, 406
Τρεῖς γνωτοὶ, τέχνης σύμβολα Πὰν, ἔθεσαν
Ταῦτα μὲν εἰναλίων Κλείτωρ λίνα. κεῖνα δὲ, πίγρης
Οἰωνῶν. Δᾶμις τὰ τρίτα τετραπόδων.
Οἷς ἅμα χερσαίησιν, ἅμ' ἠερίησιν ἐν ἄγραις
Ἀγρεῦ, ἅμ' ἐν πλωτοῖς ὡς πρὶν ἀρωγὸς ἴθι.

Hæc tibi tres fratres ex montibus, æthere, ponto,
Argumenta artis Pan posuere sua.
Clitor rete maris posuit, Pigrésque volucrum,
Damis quadrupedum tertia vincla tulit.
Cum quibus in terra, & venatibus aeris, vnà
Venare, atque vndis; vt priùs, affer opem.

In eundem.

Τρίζυγες οὐρεσίοικοι κασίγνητοι τάδε τέχνας,
Ἄλλος ἀπ' ἀλλοίας σοὶ τάδε Πὰν, ἔθεσαν.
Καὶ τὰ μὲν, ὀρνίθων Πίγρης. τὰ δὲ, δίκτυα θηρῶν
Δᾶμις. ὁ δὲ Κλείτωρ, εἰναλίων ἔπορεν.
Τῶν, ὁ μὲν, ἐν ξυλόχοισιν. ὅδ' ἠερίῃσιν ἐν ἄγραις
Αἰὲν, ὅδ' ἐν πελάγει δὸς ὄχον ἄγραν ἔχοι.
Arte ex diuersa montani munera fratres,
Hinc, atque hinc alius, Pan posuere tibi.
Et volucrum Pigres, & Damis rete ferarum,
Ast pelagi Clitor linea vincla dedit.
Quorum hic in siluis, venatibus aeris ille
Semper sit fœlix, tertius in pelago.

Atque huiusce generis sunt, carmina quæ M. Tullius celebrat elogio illo nobili. Quoties ego hunc vidi, cum literam scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de ipsis rebus, quæ tum agerentur, dicere ex tempore? Quoties reuocatus eandem rem dicere, commutatis verbis & sententijs.
407 Hoc Ciceronis elogium. Nunc illorum carminum specimen præbeamus & epigrammata quædam proferamus in quibus non commutatis verbis & sententijs industriam probaret suam, sed probaret tamen; itaut altero illo Ciceronis elogio digna fuerint, Quæ verò accuratè cogitatéque scripsisset, ea sic vidi probari, vt ad veterum scriptorum laudem peruenirent.

In quatuor Græciæ certamina.

Τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἀν' ἑλλάδα, τέσσαρες ἱροὶ,
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων.
Ζηνός, Λητοΐδαο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο,
Ἆθλα δὲ τῶν, κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.
Bis duo sunt Græcis certamina, bis duo sacra,
Et duo sunt hominum, sunt superiúmque duo.
Latôi, Iouis, Archemori, atque Palæmonis: horum
Præmia sunt laurus, pinus, oliua, apium.

In Equum nomine Aquilam senescentem.

Ὁ πρὶν ἀελλοπόδων λάμψας πλέον αἰετὸς ἵππων,
Ὁ πρὶν ὑπαὶ μίτραις κῶλα καθαψάμενος,
Ὅν Φοίβου χρησμῳδὸς ἀέθλιον ἔστεφε Πυθώ,
Ὀρνύμενον πτανοῖς ὠκυπέταις ἴκελον,

Καὶ τε μὲν βλοσυροῖο τιθηνήτειρα λέοντος,
  Πῖσά τε, καὶ δοιὰς ἠόνας Ισθμὸς ἔχων,
Νῦν κλοιῷ δειρὴν πεπεδημένος ῥῖα χαλινῷ,
  Καρπὸν ἐλᾷ δηοῦς ὀκρυόεντι λίθῳ.
Ἴσην μοῖραν ἔχων ἡρακλεῖ. καὶ γὰρ ἐκεῖνος
  Τόσσ' ἀνύσας, δούλην ζεύγλαν ἐφηρμόσατο.
Qui celeres superauit equos Aquela vndique fulgens
  Ornatus phaleris concita membra prius.
Quem Pytho cinxit vates Phœbea corona,
  Victor cum celeres aequiparasset aues.
Et Nemea horrendum, quæ nutrit silua leonem,
  Et Pisa, atque Isthmus littora bina tenens. 408
Nunc veluti vinclo religatus colla capistro,
  Dona molit Cereris frigida saxa rotans.
Herculis est fato similis: seruile subiuit
  Qui tandem post tot maxima facta iugum.

In Medeæ Parricidium.

Οὐ τόσον Ἀθάμας ἐπεμήνατο παιδὶ Λεάρχῳ,
  Ὅσσον ὁ Μηδείης θυμὸς ἐτεκνοφόνει.
Ζῆλος ἐπεὶ μανίης μεῖζον κακόν, εἰ δὲ φονῆος
  Μήτηρ, ἐν τίνι νῦν πίστις ἔτ' ἐστὶ τέκνων.
Athamæ in puerum rabies haud tanta Learchum,
  Quanta necans natos Colchidis ira fuit:
Nam peior rabie est zelus: genitrice necante
  Cui posthac natos fidere posse putas?

Ib hirundinem nidum cum pullis, super tabulâ, in quâ erat Medeæ imago depicta ponentem.

Αἶαν ὅλην, νήσοις τε διιπταμένη σὺ χελιδών,
  Μηδείης γραπτῇ πυκτίδι νοσσοτροφεῖς.
Ελπῃ δ' ὀρταλίχων πίστιν σοὶ τούσδε φυλάξειν
  Κολχίδα, μηδ' ἰδίων φειραμένην τεκέων.
Per mare, per terras volitando vagaris Hirundo
  Medeæ picta condis aues tabula,
An tibi custodem pullorum Colchida fidam
  Speras, quæ natos sustulit ipsa suos?

In Coruum Scorpio insidiantem.

Ἔνποτε παμφαίνοντι μελαίτερος αἰθέρι νωμῶν,
  Σκορπίον ἐκ γαίης εἶδε θορόντα κόραξ.
Ὅν μάρψων ὥρμησεν, ὁ δ' ἀΐξαντι ἐπ' οὖδας,
  Οὐ βραδὺς, ἐν κέντρῳ πέζαν ἔτυψε βέλει,
Καὶ ζωῆς μὲν ἄμερσεν. ἴδ' ὅσσον ἐτεύχεν ἐπ' ἄλλῳ, 409
  Εκ κείνου τλήμων αὐτὸς ἐδέξατο μόρον.

Olim dum liquido volitaret in æthere Coruus,
Scorpius è terra prosilit: ille notat,
Deuolat, vt rapiat, verùm hic tellure ruenti,
Tela repentè citus fixit acuta pedi,
Et vita orbauit: sic quam prior ille parabat
Infœlix alij, retulit inde necem.

In infantem euntem in præcipitium.

Λυσίππης ὁ νεογνὸς ἐπὶ κρημνοῦ παῖς ἕρπων,
Ἀστυανακτείης ἤρχετο δυσμορίης.
Ηδὲ, μιθωδήγησεν, ἀπὸ στέρνων προφέρουσα
Μαζὸν, τὸν λιμοδλύτορα, καὶ θανάτου.
Infans Lusippes scopulis nuper satus errans,
Astianactis ibi forte pericla subit.
Mater at eduxit mamillam è pectore: duxit
Mamma retrò, vindex & famis atque necis.

In Humanæ vitæ miseriam.

Θρήϊκας αἰνείτω τίς, ὅτι στοναχεῦσι μὲν υἷας
Μητέρος ἐκ κόλπων πρὸς φάος ἐρχομένους.
Εμπαλι δ' ὀλβίζουσιν, ὅσοις αἰῶνα λιπόντας
Ἀπροϊδὴς κηρῶν λάτρις ἔμαρψε μόρος.
Οἱ μὲν, γὰρ ζώοντες, ἀεὶ παντοῖα περῶσιν
Ες κακά. τοὶ δὲ, κακῶν εὗρον ἄκος φθίμενοι.
Thracas iurè probes natos deflere suetos
In lucem è matris dum prodeunt vtero.
Hosce beant contrà, subiti, tellure relicta,
Quos famuli mortis fata dedère neci.
Omnia nam semper procedunt mala viui,
Mortui at inde mali morte leuamen habent.

In Venerem è spuma maris natam.

410 Αὐτὰν ἐκ πόντοιο τιθηνητῆρος ἀπελλῆς
Ταὶ Κύπριν γυμνὰν εἶδε λοχευομέναν.
Καὶ τοίαν ἐτύπωσε διάβροχον ὕδατος ἀφρῷ,
Θλίβουσαν θαλεραῖς χερσὶν ἔτι πλόκαμον.
Fgenitrice mari, Venerem conspexit Apelles
Nudam, cum nuper nata, recénsque fuit.
Et talem pinxit respersam rore marino,
Tergentémque comas floridulis manibus.

In Vaccarum, & Iaspidis lapidis imagines, in annulo affabrè impressas.

Τὰς βοῦς, ἐν τὸν ἴασπιν ἰδὼν περὶ, χειρὶ, δοκήσεις
Τὰς μὲν, ἀναπνείειν, τὸν δὲ, χλοανομέειν.

Vaccas si digito cernas, & Iaspin acutè,
Has spirare putes, gramen & hanc viride.

In virum fortem morbo lethali laborantem.

Ον πόλεμος δεδιὼς ἐκ ὤλεσε, νῦ ὑπὸ νόσυ
Ολίβομαι, ἐν δ' ἰδίῳ τήκομ' ὅλως πολέμῳ.
Αλλὰ διὰ σέρνων ἴθι φάσγανον, ὡς γὰρ ἀριστὸς
Θνήξομ', ἀπωσάμενος καὶ νόσον ὡς πόλεμον.
Quem bellum metuens non perdidit, en ego morbo
Conflictor: bello iam propriόque domor.
Ensis at in pectus rue, tanquam miles obibo,
Et morbum veluti bella fugabo grauem.

In Echo.

Εὔφημος γλώσσῃ παραμείβεο ταὶ λάλον ἠχὼ,
Κἠ λαλὲν, ἤν τι κλύω τῆτ' ἀπαμειβομένην.
Εἰς σὲ γὰρ ὅν σὺ λέγεις, τρέψω λόγον, ἢν δὲ σιωπᾷς,
Σιγήσω. τίς ἐμεῦ γλῶσσα δικαιοτέρη.
Echo tute fauens lingua transito strepentem,
Nec streperam, si quid percipio, id refero.
Verbum, quod dices, vertam in te: sin reticebis,
Conticeo: an lingua hac iustior esse queat.

In Echo,

Ηχὼ πετρήεσσαν ὁρᾷς φίλε, Πανὸς ἑταίρην,
Αντίτυπον φθογγὴν ἔμπαλιν ᾀδομένην, 411
Παντοίων στομάτων λάλον εἰκόνα, ποιμέσιν ἡδὺ
Παίγνιον. ὅσσα λέγεις, ταῦτα κλύων, ἄπιθι.
Pani simul petris sociatam conspicis Echo,
Reflexam vocem quæ resonare solet.
Oris imago loquax omnis: pastoribus aptus
Ludus, quæ loqueris, percipiens abeas.

In Merulam retibus captam.

Αὐταῖς σὺν κίχλῃσιν ὑπὲρ φραγμοῖο διωχθεὶς
Κόσσυφος ἠερίης κόλπον ἔδυ νεφέλης
Καὶ τὰς μὲν, συνεχὴς δόναξ ἀγκυλόδρομος ὕχμασε θώμιγξ.
Τὸν δὲ, μόνον πλεκτῶν αὖθι μεθῆκε λίνων,
Ἱρὸν, ἀοιδοπόλων ἔτυμον γένος. ἦ ἄρα πολλὴν
Καὶ κωφεὶ πτηνῶν φροντίδ' ἔχουσι πάγαι.
Cum Turdis Merulam sequitur, dum sepibus auceps,
In nebulæ subeunt aëria gremium,
Funiculus refluens hos constringendo ligauit,
Hanc vnam plexis eximit inde plagis:
Sacrum, cantorum verum genus: indita surdis
Cura etiam est volucrum maxima tendiculis,

In

In garrulam Picam occisam.

Ἀπάρος ἀντίφηγγον ἀποκλάξασα νομεῦσι
 Πολλάκι καὶ δρυτόμοις κίσσα, καὶ ἰχθυβόλοις,
Πόλλακι δὴ κρέξασα πολύθροον, οἷά τις ἀχὼ,
 Κέρτομον ἀντῳδοῖς χείλεσιν ἁρμονίαν,
Νῦν εἰς γᾶν ἄγλωσσος, αἰ αὐδ' ἰτός τε πεσοῦσα,
 Κεῖμαι, μιμητὰν ζᾶλον ἀνηναμένα.
Pica ego, frondator, Piscator, Pastor ad auras,
 Audiuere sibi, quam resonare prius.
Et varijs, quæ sæpe modis strepui, velut Echo,
 Mordacem alternans harmoniam labijs.
Nunc elinguis humi iaceo prolapsáque vocem
 Nunc imitatricem reddere muta nego.

In Cicadam cantu vitam agentem & a formicis occisam.

412 Πρὶν μὲν ἐπὶ χλοεροῖς ἐριθηλέος ἕρνεσι πεύκας
 Ἡμένος, ἢ σκιερᾶς ἀκροκόμου πίτυος,
Ἐκρεκες ἐν ταρσοῖο δὶ ἰξύος ἀχέτα μολπὰν
 Τέττιξ οἰονόμοις, τερπνότερον χέλυος.
Νῦν δέ σε μυρμάκεσσιν ὑπ' εἰνοδίοισι δαμέντα,
 Ἄϊδος ἀπροϊδὴς ἀμφεκάλυψε μυχός.
Εἰδ' ἑάλως, συγγνωστόν, ἐπεὶ καὶ κοίρανος ὕμνων
 Μαιονίδας, γρίφοις ἰχθυβόλων ἔθανεν.
Floridulis picca viridis paulò ante recumbens
 In ramis, Pinus alticomæ sinu,
Pastores strepera recreabas voce cicada,
 Per lumbos resonans, dulcior ipsa chely:
Nunc te formica triuijs domuere, recessus
 Orci improuisus intimus occuluit.
Capta condono: cum dux himnorum & Homeous,
 Piscatorum etiam retibus interijt.

In Thetim naufragum in littore sepultum.

Οὐδὲ νέκυς ναυηγός ἐπὶ χθόνα Θῆρις ἐλαθεὶς
 Κύμασιν, ἀγρύπνων λήσομαι ἠϊόνων.
Ἡ γὰρ ἁλιρρήκτοις ποτὶ χοιράσιν ἀγχόθι πόντου
 Δυσμενέος, ξείνων χερσὶν ἔκυρσα τάφου.
Αἰεὶ δὲ βρομέοντα καὶ ἐν νεκύεσσι θαλάττης
 Ὁ τλήμων αἰὼ δοῦπον ἐπερχόμενον.
Μόχθων δ' οὐδ' ἀΐδης μεκατέπνασεν. ἡνίκα μοῦνος
 Οὐδὲ θανὼν λείῃ κέκλιμαι ἡσυχίῃ.
Mortuus in terras ego Theris Naufragus actus,
 Haud cesso vigilis litoris esse memor.
Quæ fluctus feriunt propè ponti saxa inimici,
 Nam tumulum struxit mi peregrina manus.

Mortuus atque maris sonitum miser audio semper,
Qui fremit impellens me magis, atque magis. 413
Aerumnis nec me soluit mors: quando quiete
Nec possum placida mortuus inde frui.

In Aiacem fortiter apud naues pugnantem.

Μοῦνος ἐν ἀγρομένοισιν ὑπέρμαχον ἀσπίδα τείνας
Νηυσὶ, βαρὺ Τρώων αἰὲν ἔμεινας ἄρη.
Οὐδέ σε χερμαδίων ὦσε κτύπος, οὐ νέφος ἰῶν,
Οὐ πῦρ, οὐ δοράτων, οὐ ξιφέων πάταγος,
Ἀλλ' αὔτως προβλής τε, καὶ ἔμπεδος ὥς τις ἐρίπνη
Ἱδρυθεὶς, ἔτλης λαίλαπα δυσμενέων.
Εἰ δέ σε μὴ τεύχεσσιν Ἀχιλλέος ὥπλισεν Ἑλλὰς,
Ἄξιον αἴτ' ἀρετᾶς ὅπλα πορῶσα γέρας,
Μοιράων βουλῇσι τάδ' ἤμπλακεν, ὡς ἂν ὑπ' ἐχθρῶν
Μή τινος, ἀλλὰ τεῇ πότμον ἕλῃς παλάμῃ.
Solus apud naues tu Troica suscipis arma,
Fortia pro caesis undique scuta mouens.
Non te saxorum fragor, aut nubes iaculorum,
Reppulit, aut ignis, vel gladij strepitus.
Sed veluti quaedam praerupta, atque aspera rupes,
Sistis, & haud hostis turbine quassus, abis:
Graecia si non te clipeis armauit Achillis
Virtuti reddens praemia digna tuae:
Parcarum iussis errauit: ab hostibus ullis
Ne pereas, propria sed moriare manu.

In Nectoris Sepulchrum.

Καὶ γενέταν τοῦ νέρθε, καὶ οὔνομα, καὶ χθόνα φώνει
Σ τάλα, καὶ ποίᾳ κηρὶ δαμεὶς ἔθανεν.
Τεννήτωρ, Πρίαμος. γᾶ δ' Ἴλιον. οὔνομα δ', Ἕκτωρ.
Ὦ ξεῖν', ὑπὲρ πάτρας δ' ὤλετο μαρνάμενος.
Et Patrem, & Patriam, nomenque effare columna
Eius, quem premis, & qua nece victus obit. 414
Ilion est tellus, Priamus Pater, Hector, amice,
Nomen, pugnando pro Patria occubuit.

In Herculem postquam leonem in Nemea interfecisset.

Μηκέτι ταυροβόροιο βαρὺ βρύχημα λέοντος
Πτήσσετε ληιονόμοι γειαρόται νεμέης.
Ἡ γὰρ ὑφ' ἡρακλῆος ἀριστάθλοιο δέδουπεν,
Αὐχένα θηροφόνοις ἀγχόμενος παλάμαις,
Ποίμνας ἐξελάσασθε, πάλιν μυκηθμὸν ἀκούει
Ἠχὼ, ἐρημαίης ἐνναέτειρα νάπης.
Καὶ σὺ λεοντόχλαινε πάλιν χωρήσσεο ῥινῷ,
Ἥρης πρηΰνων μισονόθοιο χόλον.

Taurinori haud post hac vos formidate leonis
Horrendum fremitum qui Nemeam colitis.
Nam cecidit ferie'da peremptus ab Hercule forti,
Suffocata graui sunt fera colla manu.
Huc agitote greges: rebat mugitibus Echo
Rursus, desertis quæ manet in scopulis:
Pelle leonina tectus tu scuta resume,
Iunonem placa, cui nothus est odio.

In Boues Nauium Ductores.

Οὐ μόνον ἐνάροτρον βόες οἴδαμεν αὔλακα τέμνειν,
Ἀλλ' ἴδε καὶ πόντῳ νῆας ἀφελκόμεθα.
Ἔργα γὰρ εἰρήνης δεδιδάγμεθα. καὶ σὺ θάλασσα,
Δελφῖνας γαίῃ ζεῦξον ἀροτροφορεῖν.
Non solum scimus bene aratos findere sulcos,
E pelago naues ducimus ecce boues.
Namque operas pacis docti sumus: at mare contra
415 *Delphinos terra iunge, vt aratra ferant.*

In tres sorores Mineruæ lanificas.

Αἱ τρισσαί, Σατύρατε, καὶ ἡράκλεια, καὶ Εὐφρώ,
Θυγατέρες Ξούθου, καὶ Μελίτης, σάμιαι,
Ἀμφὼ, ἀραχναίοιο μίτου πολυδίνεα λάτριν
Ἄτρακτον, δολιχᾶς οὐκ ἄτερ ἀλακάτας,
Ἁ δὲ, πολυψαθέων μελεδήμονα κερκίδα πέπλων
Εὔθροον ἁ τριτάτα δ' εἰροχαρῆ τάλαρον,
Οἷς ἔσχον χερνῆτα βίον δηναιὸν, ἀθάνα
Πότνια, ταῦθ' αἱ σαὶ σοὶ θέσαν ἐργάτιδες.
Euphro, cum satire, simul heraclia, creata
Ex Xutho, ac Melite, tergeminæ Samiæ.
Licij Arachnæi famulum tulit vna rotantem
Fusum, cui compar addita longa colus.
Densi sollicitum radium tulit altera Pepli
Stridentem, calathum tertia lanigerum.
Queis sibi nendo diu manibus, Tritonia, victum
Quærunt, ancillæ hæc iam posuere tibi.

In Priapi Simulachrum: casta & honesta.

Τῇδέ με κυματοπλῆγος ἐπὶ σκοπέλοιο Πρίηπον
Ναῦται θρηΐκίῃ θέντο πόρου φύλακα.
Πολλάκις οἷς ἤϊξα ταχὺς καλέουσιν ἀρωγὸς
Ξεῖνε, κατὰ πρύμνης ἡδὺς ἄγων ζέφυρον.
Τοὔνεκεν οὔτ' ἄκνισσον, ὅπερ θέμις, οὔτ' ἐπιδευῆ
Εἴαρος ἀθρήσεις βωμὸν ἐμὸν στεφάνων,
Ἀλλ' αἰεὶ θυόεντα, καὶ ἔμπυρον. οὐδ' ἑκατόμβη
Τόσσον, ὅσον τιμὴ δαίμοσιν αἱ δαίεται.

Custodem hoc scopulo, quem percutit vnda, Priapum,
Nautæ Threicij me posuêre freti.
Sæpè quibus velox orantibus auxiliator
Accessi, Zephyrum puppibus atque dedi:
Hinc nunquam nostram nidore, & floribus aram
Frustratam vernis, vt decet, esse vides.
Igne sed assiduo fragrantem: tanta hecatomba
Diuis, vt sit honos, quanta placere solet.

In Marsyam Tibijs cum Apolline certantem, & ab eo suspensum.

Αἰωρῆ θήρειον ἱμασσόμενος δέμας αὔραις 416
Τλᾶμον ἀορτηθεὶς ἐκ λασίας πίτυος,
Αἰωρῆ. φοίβῳ γὰρ ἀνάρσιον εἰς ἔριν ἔσης,
Πρῶτα κελαινίτιν ναιετάων σάτυρε.
Σεῦ δὲ βοαὶ αὐλοῖο μελίβρομον, οὐκ ἔτι νύμφαι,
Ὡς πάρος ἐν φρυγίοις οὔρεσι ἀκουσόμεθα.
Corpore sublatus caprino, agitatus ab auris,
E densa pinu pendulus es miserè.
Pendulus es: cantando ausus contendere Phœbo,
Monte Celænarum, cui domus est, satyre.
Nec tua post nobis Nymphis volut ante sonabit,
Montibus in Phrygijs tibia mellisona.

In Priapi simulachrum, casta, & honesta.

Βαιὸς ἰδεῖν ὁ Πρίηπος, ἐπ' αἰγιαλίτιδα ναίω
Χηλὴν, αἰθυίαις οὔποτε ἀντιβίης,
Φοξός, ἄπους, οἷον κεν ἐρημαίῃσιν ἐπ' ἀκταῖς
Ξέσσειαν μογερῶν υἱέες ἰχθυβόλον.
Ἀλλ' ἤν τις γρίπευς με βοηθόον, ἢ καλαμευτὴς
Φωνήσῃ, πνοιῆς ἵεμαι ὀξύτερος.
Λεύσσω καὶ τὰ θέοντα καθ' ὕδατος. ἦ γὰρ ἀπ' ἔργων
Δαίμονες, οὐ μορφᾶς γνωστὸν ἔχουσι τύπον.
Incolo paruus ego propè litus pila Priapus,
Mergus vbi nullus peruolitare solet.
Cilo, pedes mutilus, deserto litore, qualem
Me piscatorum perpoliêre manus.
Sed si, quis Messor Piscatórue rogabit
Auxilium, ventis ocyor aduenio.
Et per aquas video, quæ currunt: cognita nempe
Ex opere, haud forma, nam fit imago Dijs.

Hæc Archiæ, quæ temporis iniuriæ erepta sunt carmina: pauca illa quidem sed non 417
indigna quæ a Cicerone commendentur. Præclarum est autē a laudato viro laudari. Tametsi an hæc ex ijs sint quæ accuratè scripsisse dicitur quæque ad veterum Poëtarum laudem accederent, non facilè est constituere. Illud saltem statuere licet huius-
modi

modi versus si ex ijs sint quos diceret in tempore, quæ desiderantur non potuisse non esse præstantissima. Quanquam quatuor prima Epigrammata quæ in Pana inscribūtur, sine dubio ex ijs sunt de quibus ait Cicero Quoties ego hunc Archiam vidi, iudices, (vtar enim vestra benignitate, quoniam me in hoc nouo genere dicendi tam diligenter attenditis) quoties ego hunc vidi, cum literam scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de his ipsis rebus, quæ tum agerentur, dicere ex tempore? quoties reuocatum eandem rem dicere commutatis verbis, atque sententijs? Sed ad reliqua: in quibus posteriorem Confirmationis partem aggreditur sic pergēs.

POSTERIOR CONFIRMATIONIS vel potiùs Refutationis pars,

In qua de Humanioribus literis ingenuisque disciplinis verba facit.



Væres a nobis, Gracche, cur tantopere hoc homine delectemur? quia suppeditat nobis, vbi, & animus ex hoc forensi strepitu reficiatur; & aures conuitio deesse, conquiescant. An tu existimas, aut suppetere nobis posse, quod quotidie dicamus in tanta varietate rerum, nisi animos nostros doctrina excolamus; aut ferre animos tantam posse contentionem, nisi eos doctrina eadem relaxemus? ego verò fateor, me ijs studijs esse deditum: cæteros pudeat si qui ita se literis abdiderunt, vt nihil posśint ex ijs neque ad communem afferre fructum, neque in adspectum, lucémque proferre: me autem quid pudeat? qui tot annos ita viuo, iudices, vt a nullius me vnquam tempore aut commodo, aut otium obstraxerit, aut voluptas auocarit, aut denique somnus retardarit. Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure succenseat, si quantum cæteris ad res suas obeundas, quātum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, & ad ipsam requiem animi, & corporis conceditur tēporis, quantum alii tribuunt tempestiuis conuiuiis, quantum denique aleæ, quātum
418 pilæ, tantum mihi egomet ad hæc studia recolenda sumpsero? atque adeo mihi concedendum est magis, quod ex hiis studiis hæc quoque crescit oratio, & facultas, quæ quantacunque in me est, nunquam amicorum periculis defuit: quæ si cui leuior videtur, illa quidem certè, quæ summa sunt, ex quo fonte hauriam, sentio: nam nisi multorum præceptis, multísque litteris mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in vita magnopere expetēdum nisi laudem, atque honestatem, in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis, atque exilij parui esse ducenda; nunquam me pro salute vestra in tot, ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obiecissem. sed pleni sunt omnes libri; plenæ sapientium voces; plena exemplorum vetustas: quæ iacerent in tenebris omnia, nisi literarum lumen accederet. quàm multas nobis imagines non solùm ad intuendum; verum etiam ad imitandum, fortissimorum virorum expressas scriptores, & Græci, & Latini reliquerunt? quas ego mihi semper in administranda Rep. proponens, animū, & mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium conformabam. Quæret quispiam, quid? illi ipsi summi viri, quorum virtutes literis proditæ sunt, istá ne doctrina, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt? difficile est hoc de omnibus confirmare: sed tamen est certum, quid respondeam. Ego multos homines excellenti animo, ac virtute fuisse, & sine doctrina, naturæ ipsius habitu, prope diuino per seipsos & moderatos, & graues extitisse, fateor: etiam illud adiungo, sæpius ad laudem, atque virtutem naturam sine doctrina, quàm sine natura valuisse doctrinam: atque idem ego contendo, cum ad naturam eximiam, atque illustrem accesserit ratio quædam, conformatióque doctrinæ, tum illud nescio quid præclarum, ac singulare solere existere: ex hoc esse hunc numero, quem patres nostri viderunt, diuinum hominem, Africanum, ex hoc C. Lælium, L. Furium, modestissimos homines, & continentissimos, ex hoc fortissimum virum, & illis temporibus doctissimum, M. Catonem illum senem. qui profecto si nihil ad percipiendam, colendámque virtutem literis adiuuarentur, nunquam se ad earum studium contulissent. Quod si non hic tantus fructus osten-

ostenderetur; & si ex his studiis delectatio sola peteretur, tamen, vt opinor, hanc ani- 419
mi remissionem humanissimam, ac liberalissimam iudicaretis: nam ceteræ neque
temporum sunt neque ætatum omnium, neque locorum: hæc studia adolescentiam
alunt, senectutem oblectant; secundas res ornant, aduersis perfugium, ac solatiũ præ-
bent; delectant domi, non impediunt foris; pernoctant nobiscum, peregrinantur, ru-
sticantur: quod si ipsi hæc neque attingere, neque sensu nostro gustare possumus, ta-
men ea mirari deberemus etiam cum in aliis videremus. Quis nostrum tam animo
agresti, ac duro fuit, vt Roscii morte nuper non commoueretur? qui cùm esset senex
mortuus, tamen propter excellentem artem, ac venustatem, videbatur omnino mori
non debuisse. Ergo ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat a nobis om-
nibus; nos animorum incredibiles motus, celeritatémque ingeniorum negligemus?
Quoties ego hunc Archiam vidi, iudices, (vtar enim vestra benignitate, quoniam me
in hoc nouo genere dicendi tam diligenter attenditis (quoties ego hunc vidi, cum
literam scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de his ipsis re-
bus, quæ tum agerentur, dicere ex tempore? quoties reuocatum eandem rem dicere
commutatis verbis, atque sententiis? quæ vero accuratè, cogitatéque scripsisset, ea sic
vidi probari vt ad veterum scriptorum laudem perueniret. hunc ego non diligam?
non admirer? non omni ratione defendendum putem? atqui sic a summis homini-
bus, eruditissimísque accepimus; cæterarum rerum studia, & doctrina, & præceptis,
& arte constare; poëtam natura ipsa valere, & mentis viribus excitari, & quasi diuino
quodã spiritu afflari, quare suo iure noster ille Ennius Sanctos appellat poëtas; quod
quasi Deorum aliquo dono, atque munere commendati nobis sint. Sit igitur, iudi-
ces, Sanctum apud vos, humanissimos homines, hoc poëtæ nomen; quod nulla vn-
quam barbaria violauit. saxa, & solitudines voci respondent; bestiæ sæpe immanes
cantu flectuntur, atque consistunt: nos instituti rebus optimis non poëtarum voce
moueamur? Homerum, Colophonii ciuem esse dicunt suum; Chii suum vindicãt,
Salaminii repetunt; Smyrnæi vero suum esse confirmant; itaque etiam delubrum
eius in opido dedicauerunt: per multi alii præterea pugnant inter se, atque conten- 420
dunt. ergo illi alienum, quia poëta fuit, post mortem etiam expetunt, nos hunc
viuum, qui & voluntate, & legibus noster est, repudiabimus? præsertim cum omne
olim studium, atque omne ingenium contulerit Archias ad populi Rom. gloriam,
laudémque celebrandam. nam & cimbricas res adolescens attigit, & ipsi illi C. Ma-
rio, qui durior ad hæc studia videbatur, iucundus fuit. neque enim quisquam est tam
auersus a musis, qui non mandari versibus æternum suorum laborum facilè præco-
nium patiatur. THEMISTOCLEM illum, summum Athenis virum, dixisse
aiunt, cum ex eo quæreretur, quod acroama, aut cuius vocem libentissimè audiret:
eius, a quo sua virtus optimè prædicaretur. itaque ille Marius, item eximiè L. Plo-
cium dilexit, cuius ingenio putabat ea, quæ gesserat, posse celebrari. Mithridaticum
vero bellum magnum, atque difficile, & in multa varietate terra, maríque versatum,
totum ab hoc expressum est, qui libri non modò L. Lucullum, fortissimum, & cla-
rissimum virum, verum etiam populi Rom. nomen illustrant. populus enim Rom.
aperuit Lucullo imperante, Pontum, & Regiis quondã opibus, & ipsa natura regio-
nis vallatũ; populi Rom. exercitus, eodem duce, non maxima manu innumerabiles
Armeniorum copias fudit: populi Rom. laus est, vrbem amicissimam Cyzicenorum
eiusdem consilio ex omni impetu regio, ac totius belli ore, ac faucibus ereptam esse,
atque seruatam. nostra semper feretur, & prædicabitur, L. Lucullo dimicante, cum
interfectis ducibus depressa hostium classis, & incredibilis apud Tenedum pugna il-
la naualis. nostra sunt trophæa, nostra monumenta, nostri triumphi. Quare quorum
ingeniis, hæc feruntur, ab his populi Rom. fama celebratur. Charus fuit Africano su-
periori noster Ennius: itaque etiam in sepulchro Scipionum putatur is esse consti-
tutus è marmore. at ijs laudibus certè non solùm ipsi, qui laudantur, sed etiam po-
puli Rom. nomen ornatur. in cælum huius Proauus Cato tollitur; magnus honos
populi Rom. rebus adiungitur: omnes denique illi Maximi, Marcelli, Fuluii non si-
ne communi omnium nostrum laude decorantur. Ergo illum, qui hæc fecerat, Ru-
dium hominem, maiores nostri in ciuitatem receperunt, nos hunc Heracliensem,
multis ciuitatibus expetitum, in hac autem legibus constitutum de nostra ciuitate
eiiciemus?

421 eijciemus? nam, ſi quis minorem gloriæ fructum putat ex Græcis verſibus percipi, quàm ex Latinis, vehementer errat: propterea quod Græca leguntur in omnibus ferè gentibus. Latina ſuis finibus, exiguis ſanè, continentur: quare ſi res eæ, quas geſſimus, orbis terræ regionibus definiuntur, cupere debemus, quò manuum noſtrarum tela peruenerint, eodem gloriam, famámque penetrare: quod, cum ipſis populis, de quorum rebus ſcribitur, hæc ampla ſunt; tum iis certè, qui de vita, gloriæ cauſa, dimicant, hoc maximum, & periculorum incitamentum eſt, & laborum. Quàm multos ſcriptores rerum ſuarum magnus ille Alexander ſecum habuiſſe dicitur? atque tamen cum in Sigæo ad Achillis tumulum adſtitiſſet, O fortunate, inquit, adoleſcens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inueneris. & verè; nam, niſi Ilias extitiſſet illa, idem tumulus, qui eius corpus contexerat, nomen eius obruiſſet. Quid noſter hic Magnus, qui cum virtute fortunam adæquauit? nónne Theophanem Mytilenæum, ſcriptorem rerum ſuarum, in concione militum ciuitate donauit: & noſtri illi fortes viri, ſed ruſtici, ac milites, dulcedine quadam gloriæ commoti, quaſi participes eiuſdem laudis, magno illud clamore approbauerunt? Itaque, credo, ſi Ciuis Rom. Archias legibus non eſſet, vt ab aliquo imperatore ciuitate donaretur, perficere non potuit. Sulla, cum Hiſpanos, & Gallos donaret, credo, hunc petentem repudiaſſet. quem nos in concione vidimus, cùm ei libellum malus poëta de populo ſubieciſſet, quod epigramma in eum feciſſet tantummodo alternis verſibus longiuſculis, ſtatim ex iis rebus, quas tunc vendebat, iubere ei præmium tribui, ſub ea conditione, ne quid poſtea ſcriberet, qui ſedulitatem mali poëtæ duxerit aliquo tamen præmio dignam, huius ingenium, & virtutem in ſcribendo, & copiam non expetiſſet? Quid? a Q. Metello Pio, familiariſſimo ſuo, qui ciuitate multos donauit, neque per ſe, neque per Lucullos impetrauiſſet? qui præſertim vſque eo de ſuis rebus ſcribi cuperet, vt etiam Cordubæ natis poëtis, pingue quiddam ſonantibus, atque peregrinum, tamen aures ſuas

422 dederet. neque eſt enim hoc diſſimulandum, quod obſcurari non poteſt, ſed præ nobis ferendum; trahimur omnes laudis ſtudio, & optimus quiſque maximè gloria ducitur. ipſi illi philoſophi etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt: in eo ipſo, in quo prædicationem, nobilitatémque deſpiciunt, prædicari de ſe, ac nominari volunt. Decimus quidem Brutus, ſummus ille vir, & Imperator Attii, amiciſſimi ſui, carminibus templorum, ac monumentorum aditus exornauit ſuorum. Iam verò ille, qui cum Aetolis Ennio comite, bellauit Fuluius non dubitauit Martis manubias Muſis conſecrare. Quare in qua vrbe Imperatores prope armati poëtarum nomen, & Muſarum delubra coluerunt, in ea non debent togati iudices a Muſarum honore, & poëtarum ſalute abhorrere. atque vt id libentiùs faciatis, iam me vobis, iudices, indicabo, & de me quodam amore gloriæ, nimis acri fortaſſe, verumtamen honeſto, vobis confitebor; nam, quas res nos in conſulatu noſtro vobiſcum ſimul pro ſalute huius vrbis, atque imperii, & pro vita ciuium, próque vniuerſa Rep. geſſimus, attigit hic verſibus, atque inchoauit: quibus auditis quod mihi magna res, atque iucunda viſa eſt, hunc ad perficiendum hortatus ſum: nullam enim virtus aliam mercedem laborum, periculorúmque deſiderat, præter hanc laudis, & gloriæ: qua quidem detracta, iudices, quid eſt, quod in hoc iam exiguo vitæ curriculo, & tam breui, tantis nos in laboribus exerceamus? certè, ſi nihil animus præſentiret in poſterum, & ſi quibus regionibus vitæ ſpatium circumſcriptū eſt, eiſdem omnes cogitationes terminaret ſuas, nec tantis ſe laboribus frangeret: neque tot curis, vigiliiſque angeretur, nec toties de vita ipſa dimicaret. nunc inſidet quædam in optimo quoque virtus, quæ noctes, & dies animum gloriæ ſtimulis concitat; atque admonet, non cum vitæ tempore eſſe dimetiendam cōmemorationem nominis noſtri: ſed cum omni poſteritate adæquandam. an vero tam parui animi videamur eſſe omnes, qui in republica, atque in his vitæ periculis, laboribúſque verſamur, vt cum vſque ad extremum ſpatium nullum tranquillum, atque otioſum ſpiritum duxerimus, nobiſcum ſimul moritura omnia arbitremur? an cum ſtatuas, & imagines, non animorum ſimulacra ſed corporum, ſtudioſè multi ſummi homines

423 reliquerint: conſiliorum relinquere, atque virtutum noſtrarum effigiem non multo malle debemus ſummis ingeniis expreſſam, & politam? ego vero omnia, quæ gerebam, iam tum in gerendo ſpargere me ac diſſeminare arbitrabar in orbis terræ

memoriam sempiternam. hæc vero siue à meo sensu post mortem absutura sunt, siue, vt sapientissimi homines putauerunt, ad aliquam animi mei partem pertinebunt; nunc quidem certè cogitatione quadam, spéque delector.

Hæc non minùs eruditè quàm eleganter ac perspicuè M. Tullius de ingenuis disciplinis. Quæ sanè nisi eluendæ accusationi tribura essent, ad laudationem per se pertinerent ac mixti generis orationem constituerent. sed vt dixi defensioni dicantur, & ideo pergit M. Tullius perorationem aggrediens,

Peroratio.

QVare conseruate, iudices, hominem pudore eo, quem amicorum studijs videtis comprobari, tum dignitate, tum etiã venustate; ingenio autem tanto, quantum id conuenit existimari; quod summorum hominum ingeniis expetitum esse videaris: causa verò eiusmodi, quæ beneficio legis, auctoritate beneficij, testimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur. Quæ cum ita sint, petimus a vobis, iudices si qua non modo humana, verum etiam diuina in tantis negotiis commendatio debet esse, vt eum, qui vos, qui vestros Imperatores, qui Pop. Rom. res gestas semper ornauit, qui etiam his recentibus nostris, vestrísque domesticis periculis æternum se testimonium laudum daturum esse profitetur; quisque est eo numero, qui semper apud omnes sancti sunt habiti, atque dicti, sic in vestram accipiatis fidem, vt humanitate vestra leuatus potiùs, quàm acerbitate violatus esse videatur.

Vbi tum summatim colligit quæ copiosè disputauerat, tum sigillatim defensionis capita Iudicibus reuocat in memoriam. Quanquam, quoniam reuera nouo quodam & inusitato dicendi genere vsus erat, vt omnem a se depellat inuidiam, paucissimis illis verbis concludit perorationem. Quæ de causa pro mea consuetudine breuiter, simpliciterque dixi, iudices, ea confido probata esse omnibus: quæ non fori, neque iudiciali consuetudine, & de hominis ingenio, & communiter de ipsius studio locutus sum, ea, iudices, a vobis spero esse in bonam partem accepta, ab eo qui iudicium exercet, certè scio. 424

Hæc summarim obseruare placuit in hac oratione pulcherrima. Tu lector eam & accuratiùs expendere, & scribendo imitari ne graueris vt vberiores in dies fructus percipias eloquentiæ. Interim, si placet, Præfationem percurrere ne graueris, quam in hac oratione habuimus aliquando dum eam publicè interpreraremur. Præfatio, de qua dixi, habetur inrer rostra Miscellanea opuscula: Quibus ascripsimus Volumen XII. Ibi igitur se se tibi offeret huiusmodi præfatio: in qua primùm Tullianæ huius orationis vtilitates commemoramus. tum verò Theoremata quædam proponimus quæ subinde magna ex parte reiecimus ad orationis explicatum, ac suo loco prosequuti sumus. Nunc tuum erit, Lector candide, ea recolere, vt maiore cum fructu rationem percurras. Nunc ad Marcellianam.



TITVLVS

Titulus est huiusmodi.

M. TVLLII CICERONIS pro M. Marcello.

O R A T I O.



A verò de causa hanc tibi, studiosè Lector, in exempli loco proferendam censui Orationem, quòd in Demonstratiuo genere mirificè commendetur, & inter laudationes eximia iudicetur. Cum enim prima Deliberatiuo, altera Iudiciali, aptissima sit, quid ni eam tertio loco proferam cui in Demonstratiuo palma deferri solet? Inscribitur autē pro Marcello, non quòd Marcellum sibi defendendum proposuerit M. Tullius, quemadmodum accidit in altera, quæ pro Archia inscribitur quem defendendum susceperat; sed quia Marcelli nomine, etsi absente atque inscio, Cæsari gratias, atque illas luculentas & immortales, agit Cicero. Cum enim Cæsar, senatu deprecante, M. Marcellum, quantumuis apertum hostem, in gratiam recepisset, placuit M. Tullio, quippe Marcelli amantissimo, suo ac totius Senatus nomine Cæsari pro tanto beneficio gratias agere. hinc fit vt oratio in Demonstratiuo genere versari censeatur: ornat enim Cæsarem ac diuinis propè laudibus illum extollit.

Quamquam (si me audias) hæc oratio in Deliberatiuo genere meritò collocetur.
425 Etsi enim in laude ponitur tota, eò tamen spectat (si quis attentiùs æstimet) vt Cæsari persuadeat Rempublicam in pristinum statum esse reuocandam: atque in hunc finē intuens, quem non sanè condit animo noster Cicero, sed apertè satis sibi ante oculos versari indicat, hanc instituit laudationem; itaut quantumuis fatear in speciem pertinere ad demonstratiuum genus, ac propterea laudantibus exemplo esse posse; veruntamen iure etiam affirmari possit M. Tullium Patriæ libertatem spectasse vel maximè, atque hanc Cæsari suadendam & Tyrannidi anteponendam sibi omnino proposuisse. Quod si alicui non modò noua verùm etiam absurda videatur nostra hæc sententia, quæso animaduertat quæ subijciam. Ac primò haud dubiè M. Tullius statim ac Senatus Marcello reditum in Patriam a Cæsare impetrauit, de Patriæ libertate cogitare ac sperare cœpit. Quapropter cum Seruium Sulpitium de tota hac re certiorē faceret sic scripsit. [Cæsar, accusata acerbitate Marcelli, (sic enim appellabat) laudatáque honorificentissimè & æquitate tua, & prudentia, repente præter spem dixit, se senatui roganti de Marcello, ne hominis quidem causa, negaturum. fecerat autem hoc Senatus, vt, cum a L. Pisone mentio esset facta de Marcello, & cum C. Marcellus se ad Cæsaris pedes abiecisset, cunctus consurgeret, & ad Cæsarem supplex accederet. Noli quærere: ita mihi pulcher hic dies visus est, vt speciem aliquā viderer videre quasi reuiuiscentis Reip. Itaque cum omnes ante me rogati gratias Cæsari egissent, præter Volcatium, (is enim si eo loco esset, negauit se facturum fuisse) ego rogatus mutaui meum consilium. nam statueram, nō mehercule inertia, sed desiderio pristinæ dignitatis, in perpetuum tacere: fregit hoc meum consilium, & Cæsaris magnitudo animi & Senatus officium. itaque pluribus verbis egi Cæsari gratias.] En M. Tullium statim atque in gratia ab Cæsare receptus est Marcellus, de Patriæ libertate non modò cogitare sed optimè sperare cœpisse. atque ita sanè eum decebat qui Patriam ab excidio
426 vindicasset, qui Pater Patriæ consalutatus esset, qui hac de causa alter Romulus dictus fuisset. Idcirco autem Sulpitio fatetur, se qui silere statuerat, cum amissam Patriæ libertatem videret, pristinum dicendi curriculum repetisse quòd iam de illa benè speraret. Sed videamus, obsecro, num proposita laudatio huc spectet, atque ita specter vt in ea Ciceronis cupiditas elucear, ac Cæsari in animum obrepere potuerit facilè. An non M. Tullius ab initio ipso orationis verbis illis [Omnibus ad benè de omni Repu-

R blica

blica sperandum quasi signum aliquod sustulisti] significauit beneficio quo & ipse Cicero & M. Marcellus Patriæ restituti fuerant, ad benè sperandum de Patriæ vniuersæ libertate adduci omnes? huc etiam pertinet quod subiicit paulo post [intellectum est te authoritatem huius ordinis dignitatémque Reipublicæ tuis vel doloribus vel suspicionibus anteferre] cum enim vereretur Cicero ne Cæsar hostium exacerbatus iniuriis, aut eorum qui in eum coniurasse dicebantur suspicione, renueret Patriam liberare, occupat atque ait ex summo illo quo Cæsar Patriam affecerat beneficio, intellectum, suspicionibus ac doloribus suis Patriæ libertatem anteponere, Huc rursus ea spectant verba [Te verò quem præsentem intuemur, cuius mentem sensúsque & os cernimus, vt quicquid belli fortuna reliquum Reipublicæ fecerit, id esse saluum velis, quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? qua beneuolentia complectemur?] excusat enim Cæsarem in ijs quæ ob bellicam virtutem in victoria, quoniam hæc insolens est, fecisset: celebrat ob ea quæ clementer, iustè, & sapienter ignoscendo ageret, hortatúrque vt quicquid belli fortuna reliquum fecisset, id eius clementia saluum esset. Huc quòd verbis illis [Parietes Mediusfidius C. Cæsar, huius Curiæ tibi gratias agere gestiunt] Curiæ parietes propemodum inducit qui Cæsari gratias agerent, Quorsum enim? quòd breui tempore (inquit,) authoritas in his (Senatores intelligit) Maiorum suorum & suis sedibus futura sit. Quæ verba libertatem sine dubio a Cæsare deposcunt ac flagitant. Huc referas illud [At verò hæc tua iustitia, & lenitas animi, florescet quotidie magis: ita ut quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat laudibus. Et cæteros quidem omnes victores bellorum ciuiliū iam ante æquitate, & misericordia viceras, hodierno verò die te ipsum vicisti. Vereor, ne vt hoc, quod dicam, perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio: ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quæ illa erat adepta victis remisisti. Nam cum ipsius victoriæ conditione iure omnes victi occidissemus, clementiæ tuæ 427
iudicio conseruati sumus] Nec dissimilis in cæteris illis verbis inest vis [Nam cum M. Marcellum deprecantibus vobis Reipublicæ conseruauit, memet mihi & item Reipublicæ nullo deprecante, reliquos amplissimos viros & sibi ipsis & Patriæ reddidit, quorum & frequentiam & dignitatem hoc ipso in consessu videtis] Et rursus [Vt mihi quidem videantur dij immortales, etiam si pœnas a Pop. Rom. ob aliquod delictum expetiuerint; qui ciuile bellum tantum, & tam luctuosum excitauerunt, vel placati iam, vel etiam satiati aliquando omnem spem salutis ad clementiam victoris, & sapientiam contulisse] Tale enim fuisse simulat quod peccatum est, quasi vindicta in Deum esset referenda: quæ tamen victoris clementia & sapientia, fatali periculo depulso aut perfuncto, hic saturata sit. Rursus illud [Tantus est enim splendor in laude vera, tanta in magnitudine animi, & consilij dignitas, vt hæc a virtute donata; cætera a fortuna commodata esse videantur] Huc præterea quòd eius clementia cū diuina confert: huc quòd ait Rempublicam immortalem esse debere; huc quòd addit [Omnia sunt excitāda tibi C. Cæsar vni quæ iacere sentis belli ipsius impetu, quod necesse fuit, perculsa; atque prostrata. Constituenda iudicia, reuocanda fides, comprimendæ libidines, propaganda soboles, omnia quæ dilapsa iam defluxerunt, seueris legibus vincienda sunt] Huc insuper [omnia belli vulnera sananda sunt: quibus præter te mederi nemo potest] Huc rursus illud reuocandum [Cum omnium salutem ciuium, cunctámque Rempub. res tuæ gestæ cōplexæ sint; tantum abes a perfectione maximorum operum, vt fundamenta, quæ cogitas, nondum ieceris] Huc dum ait [Quod si rerum tuarum immortalium C. Cæsar hic exitus futurus fuit, vt deuictis aduersarijs Rempubl. in eo statu relinqueres, in quo nunc est; Vide quæso, ne tua diuina virtus admirationis plus sit habitura, quàm gloriæ. Si quidem gloria est illustris, ac peruagata multorum, & magnorum, vel in suos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum; hæc igitur tibi reliqua pars est; hic restat actus, in hoc elaborandum est, vt Remp. constituas; eáque tu in primis composita summa tranquillitate, & otio perfruare.] certè hæc verba apertè satis ab illo Patriæ libertatem efflagitant; ac summatim ab initio ad finē vsq; hanc vnā spectasse M. Tulliū aut hanc præcipuè quæsijsse dubitare haud licet. Fateor quidem non tutum omnino fuisse rotundo ore Cæsarem ad tyrannidem deponendam ac Patriæ liberandam cohortari: & ideo satius fuisse inter laudationem hanc illi cogitationem inijcere: 428
sed

ſed in hoc Ciceronis enituit prudentia & eloquentia, qui ſic Cæſarem celebrauit ac diuinis propè laudibus ornauit, vt non obſcurè illi indicauerit, hoc vnum immortalibus illius meritis deeſſe vt Patriæ reſtitueret libertatem, Et hinc eſt vt in peroratione, ex qua maximè dicentis conſilium colligi ſolet, illis vſus ſit verbis [Obſtupeſcent poſteri certè Imperia, Prouincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera, triumphos audientes, & legentes tuos: Sed niſi hæc vrbs ſtabilita tuis conſilijs, & inſtitutis erit, vagabitur modo nomē tuum longè, atque latè, ſedem quidem ſtabilem, & domicilium certum non habebit. Erit inter eos etiam, qui naſcentur, ſicut inter nos fuit magna diſſenſio; cum alij laudibus ad cœlum res tuas geſtas efferent; alij fortaſſe aliquid requirent, idque vel maximum, niſi belli ciuilis incendium ſalute Patriæ reſtinxeris; vt illud fati videatur, hoc fuiſſe conſilij. Serui igitur ijs etiam iudicibus; qui multis poſt ſæculis de te iudicabunt: & quidem haud ſcio, an incorruptiùs, quàm nos: Nam & ſine amore, & ſine cupiditate, & rurſus ſine odio, & ſine inuidia iudicabunt:] Et huc etiā pertinet quòd eum excuſat quaſi per errorem Patriam oppugnarit & vrget vt pro ſua bonitate & clementia illam in priſtinū reuocet. quapropter haud dubiè præcipuus ac germanus
429 orationis ſcopus eſt Patriæ libertas, quam quantum locus patitur ac tempus, ac ſupra etiam quàm fortaſſe pateretur, ſuadet Cæſari; & ad hanc incredibiles illas laudes refert quibus Cæſarem ornat, & ad priſtinum Vrbi decus vnà cum priſtina authoritate reſtituendum inflammat.

Quod ſi aliqui mixti generis hanc cenſent orationem, quaſi verò dum Cæſarem laudat, in Demonſtratiuo verſetur, dum ſuſpicionem quandam ex eius animo depellere nititur, ſuaſionem habeat, & ad Deliberatiuum pertineat, id ego cum in ſpeciem verum eſſe conceſſero, re Patriæ libertatem ſummum Orationis ſcopum eſſe contendam, ac propterea ad deliberatiuum maximè, etſi alio nomine, pertinere. Quanquam eò ſpectat M. Tullius dum ſuſpicionem illam coniurationis ex Cæſaris pectore molitur excutere, vt eum in meliorem de Romanis Ciuibus opinionem adducat, proindéque conſolationem capiens, ad ſuos Ciues cōſeruandos, & in priſtinam libertatem reſtituendos, magis ac magis impellatur: facilè etiam eos ſpectauit vt minùs accuratè ſibi caueret; nimirum, vt ſi fortè Remp. in libertatem non vindicaſſet, incautus trucidaretur faciliùs: quod contigit non multò poſt. Interim tamen aliqui hanc Orationem inde contendunt eſſe miſti generis, quòd dicant defenſionem quoque continere; quaſi verò eos defendat Cicero, quos in Cæſarem conſpiraſſe rumor erat. hos enim negat eſſe vllos, quòd nullus ex Ciuibus ſit tam barbarus, qui tale tantúmque flagitium moliri audeat erga Cæſarem, Hoc inquam, & alijs quibuſdam argumentis videtur illos defendere ac perpurgare; ita ut iure hinc ad genus iudiciale declinaſſe affirmes. Veruntamen illud eſt diligenter obſeruandum, non in foro interim verſari M. Tullium & in iudicijs, vbi defenſio ſolet inſtitui, ſed in Curia, vbi deliberandi locus eſſe ſolet. Quin nec data opera id attingit ſed obiter & per tranſennam, ac pauciſſimis: nec tam vt illos defendat, quàm vt, quoniam eam Cæſaris ſuſpicionem attige-
430 rat, ne videatur illos ipſe etiam inſimulare aut accuſare, cum tandem ſuadeat Cæſari vt ſuæ ſaluti proſpiciat. Denique id totum alterius cauſa aſſumitur; vt ſcilicet hilariorem ac pacatiore animo habeat Cæſarem, ac proinde magis propenſum ad Rempub. priſtinæ dignitati reſtituendam. Ita ut ſi quid declinare videatur oratio ad genus iudiciale, id totum non per ſe attingatur, ſed alterius gratia aſſumatur. Certum eſt autem genus Orationis inde æſtimandum, quod per ſe & tanquam vltimus finis proponitur. Atque ex his intelligas iure hanc orationem tripartitò diſtribui: ac poſt exordium tum ad laudationem (eo ſcilicet quo expoſui cōſilio) tum denique ad ſuſpicionem illam delendam promanare. etſi ad extremam perorationem habet, ſed breuiſſimam: ita vt quadripartitò etiam diſtribui poſſit. Cætera, vt partes huiuſce Orationis, tempus, finis, affectio ad quā maximè mouet Cæſarem, ex genere diiudicari poſſunt. Oratio denique ipſa his quæ hactenus obſeruauimus, cognitis, planiſſima videri poterit. vt non neceſſe ſit lectoris induſtriam atque ingenium excitanti, longiùs facere. & tamen pauca quædam obſeruare lubet, quæ non inutilia fortaſſe accidant vel iniucunda. Primò circa exordium quod eſt huiuſmodi.

Exordium,

DIuturni silentij P. C. quo eram his temporibus vsus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia, finem hodiernus dies attulit; idémque initium quæ vellem, quæque sentirem, meo pristino more dicendi. tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam, inauditámque clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium, modum, tam denique incredibilem sapientiam, ac penè diuinam, tacitus nullo modo præterire possum. M. enim Marcello vobis P. C. Reique publicæ reddito, non solùm illius, sed meam etiam vocem & authoritatem, & vobis & Reipub. conseruatam ac restitutam puto. dolebam enim P. C. ac vehementer angebar: cum viderem virum talem, qui in eâdem causa, in qua ego, fuisset, non in eâdem esset fortuna. nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam: versari me in vestro veteri curriculo, ille æmulo atque imitatore studiorum, ac laborum meorum, quasi quodam socio a me, & comite distracto. ergo & mihi meæ pristinæ vitæ consuetudinem C. Cæsar interclusam aperuisti, & his omnibus ad benè de omni Rep. sperandum, quasi signum aliquod sustulisti. 431

Proœmium (si Propositionem exceperis) non esse necessarium in Oratione docet Aristoteles in 3. Rhetor. cap. 13. Vt enim in Mathematicorum ac Physicorum schola, quæstio & quæstionis explicatio, seu problematis demonstratio, complet vniuersum Philosophi munus, sic apud Oratores propositio & fides explet necessarias illius partes. quin neque propositio, si eam seiungas a Proœmio, vel auditoribus omnino compertum sit de re pertractanda, erit necessaria; ita vt probatio seu fides expleat munus vniuersum. Hinc sæpè videas apud Historicos & Poëtas conciones haberi in quibus vna fides ac probatio, aut ad summum res de qua quæritur, cum sua demonstratione exprimatur. Illud tamen verissimè affirmare licet, Proœmium valere plurimùm ad viam commodè fidei muniendam, vt omittam ornamentum quoque Orationi adiungere. Vt enim indecorum videri solet, athletam sine vlla brachiorum aut armorum ostentatione in arenam descendere, sic indecorum videri potest Oratorem præparatione vlla statim ad rem aggredi. Illud tamen fatendum est, neque etiam esse omnino necessarium vt Orator in Proœmio siue Exordio (si illo vtatur) tria illa obeat munera quæ passim ascribuntur Exordio: vt scilicet dociles reddat Auditores, attentos, beneuolos. fieri enim potest, vt interdum frustra reddantur dociles, cum sat sciant quid deliberandum aut tractandum sit: attentio etiam frustra quæratur, cum illorum res, ac magni momenti, agatur. Quod si de beneuolentia satis superque constet, neque etiam in hac captanda terendum est tempus. Denique sæpè temporis angustijs ita premimur, vt cum ex ordine sententia dicitur in Senatu, molestiam potius afferre possit exordium, quàm prodesse quicquam. Sed & illud verissimè affirmetur, licere interdum, si occasio id tulerit, ad alium vsum exordium adhibere vt suspicioni alicui vel crimini depellendo, aut quid simile præstandum, quod opportunè cadat. Id quod in eiusmodi exordio licet animaduertere, vbi tum causam exponit cur post diuturnum silentium eò ad dicendum venisset, tum suspicionem, quam de eo contraxerant ob tam diuturnum silentium, egregiè diluit. Ergo cum Cicero, postquam Cæsar perpetuam Dictaturam ne dicam Tyrannidem occupauerat, Curiam nõ magnopere frequentaret, in primis verò in ea sileret, nec vnquam, vt antea consueuerat, sententiam diceret, id ei Cæsaris timore contra quem dimicauerat, contigisse, plerique existimabant. Hanc igitur opinionem ac suspicionem depellit: simúlque in publicum prodire & concionem habere statuens, ne ex Heraclito Democritus aut ex Ephoro Theopompus, factus videretur; docet cur silentio abiecto nunc tandem Orationem sibi habendam statuerit. Ob id igitur ait [Diuturni silentij P. C. quo eram his temporibus vsus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia; finem hodiernus dies attulit: idémque initium quæ vellem, quæque sentirem, meo pristino more dicendi.] Vbi tum suspicionẽ illam falsam esse, séque non timore sed dolore & verecundia siluisse contendit,

432 433

tendit, tum causam subijcit propter quam nunc sibi silentium abijciendum iudicauerit. Et quoniam id quod posteriore loco proponebat (causa inquam ob quam dicendi munus repetebat) cum Cæsaris laude coniunctum erat, quem sibi beneuolum maximè optabat, idcirco hoc ipsum quod posteriore loco affirmauerat, luculentè demonstrat primùm: & ideo pergit [Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam, inauditámque clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium, modum, tam denique incredibilem sapientiam, ac penè diuinam, tacitus nullo modo præterire possum. M. enim Marcello vobis P. C. Reique publicæ reddito, non solùm illius, sed meam etiam vocem & authoritatem, & vobis, & Reip. conseruatam ac restitutam puto.] quo in loco Cæsaris clementia quàm mirificè extollit, sibi vocem propemodum redditam profitetur. Tum id quod priore loco proposuerat luculentè item declarat dum ait [Dolebam enim P. C. ac vehementer angebar: cum viderem virum talem, qui in eâdem causa, in qua ego, fuisset: non in eâdem esse fortuna. nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam: versari me in vestro veteri curriculo, illo æmulo atque imitatore studiorum, ac laborum meorum, quasi quodam socio a me, & comite distracto.] quibus verbis se dolore & verecundia siluisse confirmat. Ita quidem cum hæc duo demonstrauerit, se se ad Cæsarem conuertens ait [Ergo & mihi meæ pristinæ vitæ consuetudinem C. Cæsar interclusam aperuisti, & his omnibus ad
434 benè de omni Rep. sperandum, quasi signum aliquod sustulisti.] Itaut satis compertum sit Ciceronem exordium suspicioni propositæ depellendæ & causæ declarandæ, propter quam dicendi munus repereret, retulisse. Fateor tamen exordium præcipuè ad docilitatem, attentionem ac beneuolentiam captandam, prout res tulerit ac locus, destinari; Itaut ei qui aliò illud referat, huc etiam, si possit, referendum sit. Id quod egregiè facit in præsens M. Tullius: qui præter quam quod duo illa præstat de quibus diximus, beneuolentiam sibi côciliat apud Cæsarem, atque hanc tum a propria tum ab ipsius Cæsaris persona. a persona Cæsaris, dum illum tam multis laudibus ornat. a propria, dum sibi optimos mores affingit, præsertim verò fidem, beneuolentiam, ac studium erga M. Marcellum, qui tantopere diligeretur a Senatu. Quò etiam fit vt cũ eodem tempore satis indicet sibi Cæsarem laudandum atque admirabiles illius virtutes celebrandas, & attentionem & docilitatem gignere possit: præsertim verò quia dum interim in exordio Senatui ac Marcellis optatum M. Marcelli beneficium gratulatur, satis indicat quid sit id de quo dicendum sibi proposuit.

Hic verò duo sunt obseruanda. Primum est ea fortasse de causa Patres Conscriptos statim appellare, quia Cæsarem inter hos comprehenderet: vel quia more maiorum Patres Conscriptos primùm nominandos censuerit: alioquin Cæsar, quippe Dictator ac Princeps primò appellandus videbatur: præsertim cum ad illum habenda esset Oratio. Etsi crediderim silentij causam excusare voluisse apud patres tantùm quòd satis confideret fore vt eandem excusationem interim probaret Cæsari: apud quem tamen suspicionem illam excitatam esse fateri, minus opportunum fuisset. Satius
435 enim erat significare se illi præfidisse quàm hunc lapidem apud Cæsarem ipsum mouere. quanquam timore ac dolore potiùs quàm alia de causa siluisse, ex multis epistolis coniectare licet; ita ut eiusmodi suspicio ipsius Ciceronis indigeret eloquentia qua depelleretur. Alterum est Ciceronem qui sibi Cæsaris animum demulcendum & ad patriæ misericordiam libertatémque impellendum proposuerat, prudenter capiare occasionem ex beneficio a Cæsare in Marcellum collato, vnde sensim Cæsarem ad eam cogitationem suscipiendam adduceret. qui enim animo tale consilium omnino condebat M. Tullius, commodiorem & tutiorem viam rei pertentandæ aliam nullam inire poterat quàm Cæsarianæ clementiæ laudationem instituens, vt inde illam ad Patriæ libertatem propelleret. ac profectò cum M. Tullius olim Patriam atque adeo Romanum Imperium ab incendio & clade liberasset, ita ut Pater Patriæ atque alter Romulus fuisset consalutatus, par erat vt occasionem captaret, qua eandem Patriam, si fieri posset, a seruitute in libertatem vindicaret. Hæc de Exordio. Describamus iam priorem narrationis partem quæ est huiusmodi.

NARRATIONIS PARS PRIMA.

INtellectum est enim mihi quidem in multis, & maximè in me ipso, sed paulò ante in omnibus, cum M. Marcellum Senatui, Populóque Romano, Reique publicæ concessisti, commemoratis præsertim etiam offensionibus: te authoritatem huius ordinis, dignitatémque Reip. tuis vel doloribus, vel suspicionibus anteferre.



HAec est prima narrationis pars, si tamen hinc initium ducit narratio. Sæpè enim fit, vt Orator sic progrediatur ab Exordio ad Narrationem, vt difficilè statuas vbi nam terminetur Exordium, aut vnde initium ducat Narratio. Sanè in quibusdam Orationibus narrationis initium in promptu est, vt in Maniliana, vbi, *Atque vt inde* (inquit) *Oratio mea proficiscatur, vnde hæc omnis causa ducitur*. Sic in tertia 436
Catilinaria (prima enim & secunda carent exordio) *Principio, vt Catilina paucis ante diebus erupit ex Vrbe, cum sceleris sui socios & huiusce nefarii belli acerrimos duces Romæ reliquisset semper vigilaui & prouidi, Quirites, quemadmodum in tantis & tam absconditis insidijs salui esse possemus*. Sic in alijs multis, ita vt apertè Narratio distinguatur ab Exordio. hic tamen, quemadmodum in Oratione pro Flacco, & in alijs non paucis ita occultè se se infert in propositum argumentum aut quæstionem, vt non facilè statuas vbi nam terminetur exordium, aut vnde initium sumat Narratio. Quapropter si M. Tullium ab inferis liceret excitare, libenter de hac re quærerem, & Macedonem Alexandrum imitarer: qui cum ad Amonis oraculum peruenisset, nil aliud ex eo est percunctatus nisi vnde nam orietur Nilus. Cum enim per idem tempus de illius initio contenderent Geographi, Alexander (credo quod Oraculum illud non magni faceret) hac percunctatione Oraculi sapientiam pertentandam censuit. id quod admirationi fuit Ducibus illis qui cum eo Oraculum adierant; fore enim existimassent, vt in bellica expeditione illa de re aliqua grauissima oraculum consuleret. Ipse igitur quantumuis alia multa sciscitari optassem a M. Tullio, si tamē excitari posset, éaque grauissima, attamen in præsens hoc vnum requirerem, vnde nam sibi initium sumat huius Orationis Narratio. Quanquam, quoniam eum consulere haud licet, Alexandrum (ne ab eo discedam) imitabor, qui cum Gordium nodum dissoluere haud posset, scidit: Sic ego libenter sciderim periodum illam & conclusionem [ergo & mihi meæ pristinæ vitæ consuetudinem C. Cæsar interclusam aperuisti, & his omnibus ad benè de omni Rep. sperandum, quasi signum aliquod sustulisti.] Videtur enim Cicero in 437
priore huius periodi parte duo illa concludere quæ pertinebant ad silentium quod tum seruauerat antea, tum abijciebat eo tempore; & in altera tam ad laudationem quàm ad Reip. libertatem Cæsari suadendam initia sobijcere: ita ut hæc vna eadémque periodus sit exordii terminus & narrationis initium. Sic olim cum inter Pelloponesiacos & Ionios de regionis finibus certaretur, vnus idémque lapis, & Ioniæ terminus & Pelloponesi initium constitutus est; ita vt lapis, Strabone teste, hinc ea offerret verba, *Hac non quidem Pelloponesus sed Ionia:* illinc è contrario, *Hac Pelloponesus est non Ionia*. Hic igitur & exordij finis & narrationis initium, quo saltem ad laudationem se se insinuat, statuendum est. tametsi ipse necessitatis causa ab insequentibus verbis illis, [Intellectum est enim] narrationem duxi. Sed ad pensum. Cum dixisset Cæsarem veluti signum quoddam sustulisse, vnde optimè de Rep. vniuersa speraretur, quibus verbis clam in Cæsaris laudationem se se insinuare cœperat; iam istiusmodi dicti rationem affert: quæ ratio est planissima. etsi non ab re obseruentur quædam.

Primum est magnam vim habere verba illa [commemoratis præsertim offensionibus] cum enim illi ignosceret Cæsar a quo, multas offensiones accepisset, idque fecisset ne quid Senatui denegaret, hinc multò magis intelligebatur authoritatē Reip. ac dignitatem a Cæsare plurimùm æstimari. Offensiones verò erant clarissimæ: nam

præterquam quod illum latronis appellauerat nomine, retulerat, vt ei succederetur ante tempus: vt nulla absentis ratio haberetur, sed nisi præsens ac dimisso exercitu consulatum petere haud posset: obstitit Vatinianæ rogationi, effecitque vt ne posset nouum Comum Coloniam deducere, aut deductam retinere, quod etiam curauit non sine illius iniurijs qui coloniam Cæsaris nomine deduxisset nouum Comum.

Secundum fit inde ostendisse Cæsarem Consulum Reipublicaéque dignitatem au-
438 thoritatémque suis doloribus ac suspicionibus anteferre, quód Marcellus esset vir Consularis & pro illo Senatus ac Reip. supplicationes summa benignitate & clementia excepisset.

Tertium, suis doloribus antepofuit illius ordinis authoritatem ac Reip. dignitatẽ, quia cum non potuisset non grauiter dolere ob acceptas iniurias & offensiones, has tamen Reip. causa obliuioni tradebat: suspicionibus verò illam dignitatem anteponebat, quia quantumuis suspicaretur verè quosdam in eum conspirasse (id quod in refutatione explicabitur fusius) haud tamen placuit M. Marcellum quem hostem acerrimum expertus erat, ac talem experiri poterat, Senatui denegare.

Quartum & vltimum fit commodè M. Tullium id totum ad suum consilium traducere, cum interim occupet ac profiteatur Cæsarem Reip. dignitatem suis vel doloribus vel suspicionibus anteferre: quod est non abesse ab illo clementiæ gradu vt Remp. vniuersam eâdem qua Marcellum, Ciceronémque ipsum, atque alios multos exceperat clementia & benignitate prosequeretur.

PARS SECVNDA.

Ille quidem fructum omnis anteactæ vitæ hodierna die maximum cœpit, cum summo consensu Senatus tum præterea iudicio tuo grauissimo & maximo. ex quo profectò intelligis, quanta in dato beneficio sit laus: cum in accepto tanta sit gloria. est verè fortunatus ille, cuius ex salute non minor penè ad omnes, quàm ad illum ventura sit, lætitia peruenerit. quod ei quidem meritò atque optimo iure contingit. quis enim est illo aut nobilitate aut probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut vllo genere laudis præstantior?



439 Mirum videri potest vt institutam Cæsaris laudationem noua Marcelli interpellet laudatione: sed admirabilius quòd acerrimum Cæsaris hostem extollat, ac tantopere extollat præsente Cæsare atque audiente. qui enim vnum ex hostibus extollit, tacitè alterum deprimit; id quod eò magis accidere videtur in præsentia, quod cum Marcellum summæ probitatis laudet nomine & innocentiæ, satis confirmet iustè & arma sumpsisse & contra Cæsarem decertasse. Quo fit vt Cæsar tacitè Reip. hostis describatur ac perduellis. Sed nimirum Marcellis ac Senatui canere & gratificari statuerat, & suam erga amicum optimum beneuolentiam declarare, genióque indulgere. Quod tamen, ne Cæsarem irritaret, sed eius animo leniendo seruiret, aptè quidem retulit ad eius non modò clementiam, sed etiam iudicium ac sapientiam commendandam, qui Senatori nobilissimo ac summis virtutibus prædito, etsi iniurijs ab eo fuisset prouocatus, ignoscendum statuisset. Iam verò dum Cæsaris laudationem quam data opera fuerat aggressus, interpellat Marcelliana laudatione, Manilianam orationem imitatur. vt enim ibi Pompeij præconia Luculli laudibus anteuertit, sic in præsens Marcelli laudibus anteuertit præconia Cæsaris. id quod eò maiorem habet consensionem, quòd quemadmodum extrema Luculli actio in Maniliana laudatione funesta fuit, ita ut ingenti clade affectus sit ab hostibus, sic Marcelli extrema fuerunt funesta, cum rediens interfectus sit. Rursus quemadmodum in Maniliana Pompeium celebrauit qui ad extremum interfectus est & ab amico interfectus, ita in Marcelliana Cæsarem ornat qui tandem ab amicis necatus est. vt propterea (id quod obiter obseruare lubet) mihi quidem multò melior videatur Aristocratiæ & Reip. condi-

conditio, quàm summorum Principum ac Regum. hi enim vno eodémque die & longè ac latè imperant & ab amicis trucidantur: Optimates contra huiusmodi periculum declinant facilè, ibi in pueri capite sæpè nititur Imperium aut regnum, itaut regnum interim in vnius pueri capite periclitetur: Aristocratia & Resp. sic gubernat, 440
vt si vnus ex optimatibus fato concesserit, plures domi forísque claros & gubernationis experientissimos possit substituere, ac Remp. sartam ac tectam conseruare. vt mirum sit atque omnes rationis fines excedat, Turcarum Imperium quod passim in puero nititur ac periclitatur, tamdiu consistere potuisse, sed ad pensum.

Breuissimè igitur noster Author Marcellum celebrat ante quam Cæsarianæ laudis campum excurrat, quanquam etsi breuissimè, luculentè illum ornat, nam & a nobilitate & a probitate & ab optimarum artium studijs ducit argumentum, a nobilitate quæ sine dubio erat maxima, cum consulares viri multi ac triumphales in ea familia numerarentur; inter quos M. ille Marcellus, qui in Gallia fortitudinis argumēta edidit multa, cum præsertim ex singulari certamine victor sæpè discesserit, ac deindecum Annibale decertauit, Siracusásque expugnauit, honori ac virtuti templum dicauit. A probitate quia præclarum est quidem maiorum splendore fulgere ac nobilitate, sed multò præclarius propria virtute florere ac probitate. Sed cur addit innocentia? an fortè citra innocentiam probitate licet excellere? minimè verò. Sed tamen cum probitas latè pateat, iurè additur innocentia quæ est veluti flos probitatis, ac summam indicat probitatem. Dum verò eum quoque laudat ab optimarum artiū studiis, illud obseruandum, geminum virtutis genus proferri ab Aristotele, mentis vnum & intelligentiæ: inferioris animæ partis alterum, in qua irascendi & concupiscendi uis dominatur. Cum igitur a probitate Marcellum laudauerit & innocentia quibus Morales virtutes designantur, iam mentis virtutes commemorat, quæ ex do- 441
ctrinis ac scientia & sapientia proficiscuntur. vt propterea vniuerso virtutum choro illum exornet. Et hinc est vt continenter neget vllo genere laudis præstantiorem Ciuem reperiri. Nec fortasse, cum innocentiam post doctrinarum studium commemorarit, non illud spectauit, quod in primo Rhet. scriptum reliquit Aristoteles, disciplinam militarem, Eloquentiam, corporis pulchritudinem ac robur, scientiam ipsam posse a nobis in malam partem vsurpari, quemadmodum diuitijs vsu venire solet: solas virtutes morales nō posse nisi rectè vsurpari. neque enim fieri potest, vt quis iustè viuat aut temperatè, quin iustus ac temperatus censendus sit; cum tamen docti viri interdum aut eloquentes, flagitiosè viuere possint. Ob id igitur fortasse subiecit innocentiam. Etsi enim probitas satis esse posset, innocentia tamen cumulatiùs docebat Marcellum cum intelligentiæ virtutibus morales quoque virtutes coniunxisse. Sed quî obsecro Marcellus nobilissimus prædicatur cum eius familia non Patritia esset sed plebeia? Sed profectò cum centum illi Patres quos Romulus præfecerat Senatui, & a quibus Patritiæ familiæ dimanassent, longo illo sæculorum decursu, a reliquis familijs, ple raéque virtute ac rerum gestarum gloria superatæ sint, nihil prohibebat, quò minùs ij etiam qui ex plebeis maioribus orti essent, nobilitate clarescerent: tales fuerunt Decii, Bruti, Metelli, atque alii plurimi, qui non a Patritiis illis procreati sunt.

At enim sint isthæc, verùm quî obsecro in accepto beneficio collocat gloriam? nam iure dato beneficio laudem tribui, id verò compertum est, cum hinc diuinam beneficentiam ac largitatem imitemur. Ergo sunt qui hoc in loco illud Aristotelis reuocant in memoriam; liberalitatem in beneficio quoque accipiendo declarari, ita ut 442
quemadmodum laudandus est nomine liberalitatis qui beneficium opportuno loco ac tempore tribuit, ita ut non indigno & quantum res postulat ac prompto animo tribuat; ita qui accipit, & cum indiget, & quantum indiget, & ab eo qui abundet accipiat, liberalitatis laudem mereatur. Sed non apparet qua ratione in dato beneficio collocet gloriam his de causis: quin neque de liberalitate agitur hoc in loco sed de clementia quam nemo dixerit certo loco ac tempore accipiendam quemadmodum de liberalitate dictum est. Crediderim igitur in accepto beneficio laudem ponere, non quia Marcellus debitè accipiendo laudem mereatur, præsertim quia nondum quicquam resciërat, sed ita loqui quod cum Senatu vniuerso deprecante Marcellus beneficio afficeretur, id in Marcelli gloria redundabat. Spectat igitur Cicero non actū
vllum

vllum accipientis vnde beneficium laudem mereatur, sed gloriam quæ in Marcello ob Senatus deprecationem redundat cui destinatur beneficium. Hæc vt dubitationes quoque diluerem, quæ in Marcelli se se offerunt laudatione. tametsi noua quoque se se offert dubitatio, nam quî fieri potest, vt M. Tullius probitatis & innocentiæ nomine laudet Marcellum, quem in prima Catilinaria fecerat Catilinæ ipsius comitem & propugnatorem. Denique sagacissimum illum appellat atque ita describit, vt pessimè audisse videatur. An non pessimè audiat qui contra Remp. conspirauit? Sed profectò duos Marcellos ibi profert Cicero: vnum iam grandem ætate: quem facit Catilinæ socium atque improbum. quod si ibidem illum appellat optimum, ironicè loquitur (id quod egregiè obseruauit Quintilianus lib. 9. cap. 2. ac locus ipse satis clamat) significans eiusdem ordinis fuisse cum Catilina. Alterum profert paulo post, quem iuuenem facit, quíque optimè audiret. & hic est noster Marcellus: qui sanè Catilinæ tempore erat admodum iuuenis. & de hoc illud profert. *At si hoc idem* (vt
443 scilicet egrederetur ex Vrbe ac se ad Malliana Castra conferret) *huc adolescenti optimo, P. Sextio, si fortissimo viro, M. Marcello dixissem: iam mihi Consuli hoc ipso in templo iure optimo Senatus vim & manus intulisset. de te autem Catilina cum quiescunt, probant: cum patiuntur, decernunt: cum tacent, clamant.* Atque hic est etiam quem in Bruto & alibi tantopere laudat. Cum enim ad inuidiam declinandam sui sæculi Oratores prætermittat, Marcellum tamen ac Cæsarem (an Dictatorem intelligat an verò alium, alij viderint) prætermittendum non censuit: quod scilicet ij sua se eloquentia ab omni eximerent inuidia.

TERTIA PARS.

Nullius tantum est flumen ingenij, nulla dicendi aut scribendi tanta vis, tantáque copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare C. Cæsar res tuas gestas possit. tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua, nullam in his esse laudem ampliorem quàm eam, quam hodierno die consecutus es. Soleo sæpè ante oculos ponere, idque libenter crebris vsurpare sermonibus: omnes nostrorum Imperatorum, omnes exterarum gentium, potentissimorúmque populorum, omnes clarissimorum Regum res gestas, cum tuis nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri. nec verò disiunctissimas terras citius cuiusquam passibus potuisse peragrari, quàm tuis non dicam cursibus, sed victorijs illustrata sunt. quæ quidem ego nisi ita magna esse fatear, vt ea vix cuiusquam mens aut cogitatio capere possit, amens sim.

444 Vm in laudando Marcello sibi satisfecerit satis Noster Cicero, iam veluti ad institutum rediens, in suscepta Cæsaris laudatione vela pandit. Mira verò perspicuitate, non modò eloquentia, enitet hæc narratio; ita vt, si pauca quædam exceperis, quæ habentur ad extremum (hæc suo loco agnoscentur) planissima sit. Iraque satius fuerit eiusmodi narrationem lectitare atque imitari, quàm ex explicatu enarrare. Ipse tamen, ne ab explanatoris munere recedere videar, pauca quædam obseruabo, idque quadripartito eam distinguens, nimirùm in Exordium, de quo multa satis diximus Narrationem, Refutationem, Perorationem. Nam Peroratio quoque, etsi breuissima, in conspectum se dabit ad extremum. Quod si quis pugnet in hac Oratione Confirmationem quoque se se obijcere, eámque a Narratione distinctam, ita vt quinquepartito distribuenda sit Oratio, non magnopere altercabor. Nam reuera in laudatione Marcelli egregium Cæsaris factum narratur, vnde postea ducitur Cæsarianæ laudationis argumentatio. Quò fit vt Narratio a Confirmatione, Confirmatio a Narratione disiuncta occurrat. Illud tamen compertum est, Ciceronem statim post Marcelli laudationem, alia Cæsaris narrasse facta, ex quibus ducit laudationem; ita

ita vt adhuc Narratio cum Confirmatione implicetur. Ac reuera in Iudiciali genere passim, in Deliberatiuo frequenter, Narrationem a Confirmatione disiungas: sæpè enim Confirmationi præmittitur Narratio quædam, vnde coniecturæ & argumenta suasionis aut accusationis, seu dissuasionis, & defensionis eliciuntur; ita vt Narratio verè sit sedes argumentorum. In Demonstratiuo tamen genere Narratio perraro reperitur: sed laudatio aut vituperatio ipsa Narratione continetur: vel si quid narratur, vix a laudatione aut vituperatione disiungitur. Id quod fermè accidit in præsentia, vbi duæ istæ partes, Narratio inquam & Confirmatio permiscentur. Sed iam quæ obseruanda sunt, prosequamur.

Primum est Ratiocinationem vniuersim in eo esse positam vt bellica Cæsaris facta extollat primùm: tum clementiam quam erga Marcellum ostenderat, bellicis factis anteponat: ac denique doceat fore vt posteritas factum quoque istud ac talem tantámque clementiam floccifaciat, nisi illam ad totius Reip. salutem deriuet: quod est Remp. in pristinam dignitatem libertatémque restituat. Alterum (quod circa primam partem, ac sigillatim, obseruauerim) est verborum illorum [Nullius tantum est flumen ingenij, nulla dicendi aut scribendi tanta vis, tantáque copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare, C. Cæsar, res tuas gestas possit.] sententia, vsum esse in Oratione post reditum in Senatum, dum sic differit. ferè ad initium [Quæ enim tanta potest existere vbertas ingenij, quæ tanta dicendi copia, quod tam diuinum atque incredibile genus Orationis, quo quisquam possit vestra in nos vniuersa pro merita, non dicam complecti orando, sed percensere enumerando?] Certè artificio ac sententia non differunt hæc duo loca. 445

Tertium sit, persimilem industriam in his verbis [Omnium nostrorum Imperatorum, omnes exterarum gentium potentissimorúmque populorum, omnes clarissimorum Regum res gestas cum tuis nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri.] obseruari posse in Maniliana, dum eodem modo laudat Pompeium verbis istis [qui sæpiùs cum hoste conflixit quàm quisquam cū inimico concertarit: plura bella gessit quàm cæteri legerint: plures prouincias cōfecit quàm alij concupierint. quod verò genus belli esse potest in quo illum non exercuerit fortuna Reip. Ciuile, Africanum, Transalpinum, Hispaniense, mixtum ex Ciuitatibus atque ex bellicosissimis nationibus, seruile, nauale.] sanè hic quoque sententia vna eadémque videri potest. præsertim cum celeritatem quoque paulò post admiretur in Pompeio. Sic sanè quod in Archia tantopere extollit qui semel atque iterum, tertiò etiam eandem sententiam variata oratione ac stylo fœliciter exprimeret, hoc in M. Tullio agnoscere satis liceat. Sed de hac re copiosiùs infra. 446

Quartum sit num Oratorio more ac non sine amplificatione, an Historico & verè, affirmet Cæsarem Duces omnes & Imperatores tam Romanos quàm Græcos aut Barbaros bellica laude superasse magnopere dubitari posse. & sanè cur non facilè assentiamus, Pompeius statim prohibet, qui de tribus terrarum Orbis partibus tres insignes tryumphos reportarat: qui denique plures prouincias confecerat, hoc est Populo Romano subiecerat, dum Orientem peragrasset victoriis, ac plura regna in prouinciam redegerat, quàm quisquam concupierit; quasi diceret neminem vnquam fuisse tam audacem vt a se tot ac tanta Regna subiugari posse speraret, aut subiugari expetiuerit. Nec mihi quisquam obijciat quòd Pompeius tandem a Cæsare sit superatus: nam res non ex euentu æstimandæ sunt, sed tum ex consilio ac iudicio, tum ex præstantia ac dignitate: præsertim cum in victoriis bellicis sors magnam partem obtineat. Certè Pompeius innitus pugnauit nec sine lacrymis, ob Romanorum scilicet importunitatem, classicum cecinit: alioqui in sibi Cæsarianos fame necandos proposuerat, nec cum desperatis pugnandum iudicabat; ita ut casu potiùs quàm bellicæ virtutis magnitudine visus sit Cæsar victoriam de Pompeio reportasse. Contra tamē Mario & Syllæ Cæsarem præferendum haud dubitarim: nam præterquam quod isti nec tot bella gesserunt, nec tot prouincias confecerunt, victorias & tryumphos ira & crudelitate inflammarunt: cum tamen Cæsar clementia victorias decorarit. & idcirco M. Tullius obseruabat gladium vagina vacuum in Vrbe haud visum ex victoria Cæsaris: quasi verò Mario & Syllæ satis superque anteponendum iudicaret qui pro- 447

scriptionibus

ſcriptionibus, cædibus ac ſanguine fœdaſſent omnia. De duobus verò Lucullis, de Metellis, de Marcellis nihil attinet dicere, cum vnus Cæſar plures victorias quàm iſti omnes, retulerit. Nec ſigillatim egregium factum vllum cum vllo ex præcipuis Cæſarianis conferri poteſt, qui vnus illud efferre potuit, Veni, vidi, vici. Niſi fortè Claudium Neronem proferas dum Aſdrubalem cecidit, Annibalémque decepit. De quo Italicus Lyricus exclamauit,

Egli bebbe al veder' occhi, al volar penne.

c. 42. Sed nimirum pro temporum illorum neceſſitate factum illud ſumma commendatione dignum eſt, præconióque ingenti digniſſimum: ſed tamen audax fuit nec vacuum temeritate. Si enim illicò eius diſceſſum perſenſiſſet Annibal quod facilè contingere & poterat & debebat, extremam illi cladem intuliſſet; ita vt hoc tempore admiratione potiùs eſſet proſequendum, quàm imitandum. Scipio tamen eſt in promptu qui Cæſari non modò æqualis ſed ſuperior videri poſſit bellica gloria, quod tamē hinc inde diſputatum eſt ab hiſtoricis, ita ut lis diu ſub iudice fuerit, Veruntamen Italicus Lyricus, vel potiùs Lyricorum noſtrorum Princeps, viſus eſt Scipioni principem laudem tribuere. Cum enim Famæ Triumphum conderet, ac primò dubitare viſus eſſet cui nam primus locus apud Famam ex Romanis Imperatoribus tribuendus eſſet, illud cecinit

Da man deſtra, oue prima gli occhi porſi
La bella donna hauea Ceſare, e Scipio:
Ma qual più appreſſo a gran pena m'accorſi.
L'vn di virtute, e non d'amor mancipio
L'altro d'entrambi —— en Scipioni palmam attribui; præſertim pro-

448 pter pudicitiam ac morum probitatem qua mirificè excelluit. etſi cum eos interim commemoraret ex Romanis, qui bellica virtute floruiſſent, non tam anteferendus erat Scipio Cæſari propter pudicitiam, quàm propter vnam bellicam virtutem, alioquin inde etiam Scipio anteponendus vel maximè fuit Cæſari, quòd Patriæ fuerit ſtudioſiſſimus, cum Cæſar non modò contra illam cum Piſone fortaſſe etiam cum Catilina coniurarit, verùm etiam eandem vnus tandem oppreſſerit. Nam ſi dicas noſtrum Lyricum interim illos canere qui fama celebrarētur, ac propterea iure Scipionem Cæſari prætuliſſe quod his pudicitiam violaſſet. cur igitur continenter ad eos celebrandos progrediens qui doctrinis ac virtutibus famam ſibi peperiſſent cecinit

—— *Pon mente a l'altro lato,*
Che s'acquiſta ben pregio altro che d'arme.

Cur Romanos quos celebrauerat Martis populum appellauit? certè ob laudem bellicam: ita ut bellica virtus ſpectanda eſſet in illis, cæterarum virtutum ratio habenda nulla. Porrò iam expectet quiſpiam vt Cæſarem cum Græcis Imperatoribus ac Barbaris Regibus comparem, atque his omnibus præſtitiſſe doceam. ego verò de Milciade, Themiſtocle, Pericle, Alcibiade nihil dicam, quod longè impares fuerint Cæſari & tryumphis & victorijs & prælijs. Denique vnus Alexander Macedo ex Græcis inſtar omnium eſſe poteſt, qui propterea ab Annibale optimo huius controuerſiæ iudice omnibus Imperatoribus ac Ducibus prapoſitus eſt. Quid plura? is fuit Alexander qui nullam vnquam Vrbem obſedit quam non expugnarit: nullum prælium inſtituit ex quo non diſceſſerit victor. Sed tamen huic quoque fortuna ſeu fœlicitate tantam gloriæ acceſſionem factam exiſtimes: cum præſertim eius facta ſæpè cum temeritate coniuncta videri poſſint; ita vt ipſemet tanta euentuum fœlicitate inflammatus, ſe non Philippi ſed Iouis filium eſſe ſuſpicaretur. Adde quod cum mollibus populis fuit illi decertandum. Quare ſi in congreſſum veniſſet cum Cæſare, fortaſſe hinc etiam agnouiſſet ſe non Iouis ſed Philippi eſſe progeniem. Sed quicquid ſit Alexandri facta fuerunt ſemper admiratione pleniſſima, Scipionis æquitate, Cæſaris quoniam cum fortiſſimis hoſtibus dimicauit & centum ac ſeptuaginta hoſtium non dicam millia ſed millia millium, cecidit, fortitudine, Pompeii gloria.

QVARTA

QVARTA PARS.

Sed tamen sunt alia maiora. nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, eásque detrahere ducibus, communicare eum militibus ne propria sint Imperatorum. & certè in armis, militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus, multum iuuant. maximam verò partem quasi suo iure fortuna sibi vendicat, & quicquid prosperè gestum est, id penè omne ducit suũ. At verò huius gloria C. Cæsar, quam es paulò ante adeptus, socium habes neminem. totum hoc, quantumcunque est, quod certè maximum est: totum enim inquam tuum est. nihil tibi ex ista laude Centurio, nihil Præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. quinetiam illa ipsa rerum humanarum domina fortuna in istius se societatem gloria non offert; tibi cedit, tuam esse totam, & propriam fatetur. nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur: nec ad consilium casus admittitur. 449



Postquam bellica Cæsaris facta celebrauit, eiusdem celebrat clementiam, quam illis, etsi longè admirabilia videri possint, longo interuallo anteponit. quod non modò semel atque iterum, verùm etiam tertiò facit & quartò, quemadmodum constabit continenter. Tametsi aliis planè verbis ac vario stylo semper. Cum enim totum Ciceronis fundamentum atque omnis spes Reip. subleuandæ in Cæsaris clementia collocaret, hanc non modò semel atque iterum verùm etiam tertiò & quartò illius auribus insinuandã censuit. Denique si non eandẽ planè sententiã complectitur in quadripartita hac ratiocinatione, ita vt nõ omninò cũ Archiæ de quo diximus artificio sit conferendus, ab eo non longiùs recedit: cum eandem conclusionẽ non omninò dissimilibus suadeat argumentis: & tamen hæc verbis magnopere variet ac stylo. Tanta verò est huius loci vniuersi in quo primùm Cæsaris clementiam amplificat, perspicuitas, vt explicatu indigeat nullo; ita ut inoffenso pede percurri possit. Tametsi quoniam illius pulchritudo cum perspicuitate certat, dignus est qui legatur ac septies repetatur: præsertim dum a rebus bellicis & a fortuna iam enucleatè ducit argumentum. Sed iam qui eandem clementiam secũdo extollat audiamus.

QVINTA PARS.

Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes. Sed tamen ea vicisti, quæ & naturam & conditionem vt vinci possent, habebant. nulla est enim tanta vis, tanta copia, quæ non ferro ac viribus debilitari frangique possit: verùm animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduersarium nobilitate, ingenio, virtute, præstantem non modò extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem; hæc qui faciat, non ego cum summis viris comparo, sed simillimum deo iudico. 450



Incredibile dictu est quantopere gentes extollat quas bello superauerat Cæsar; sed tamen multò admirabilius & incredibilius est artificiũ quo Cæsaris extollit clementiam. itaut ipse in hac parte silere malim & vos ad imitationem cohortari, quàm longius facere explicando. tantùm dicam eò rem prouehere M. Tullium, vt Cæsar hinc Deo simillimum faciat. quod tamen assentationi tribuendum & ad hyperbolem reuocandum. Etsi dum tantum audet pro Patria, est illi magna ex parte ignoscendum. Sed tertium locum prosequamur.

SEXTA

SEXTA PARS.

Itaque C. Cæsar bellicæ tuæ laudes celebrabuntur, illæ quidem non solùm nostris, sed penè omnium gentium literis, atque linguis: neque vlla vnquam ætas de tuis laudibus conticescet. Sed tamen eiusmodi res nescio quomodo, etiam dum audiuntur aut dum leguntur, obstrepi clamore militum videntur, & tubarum sono. at verò cùm aliquid clementer, mansuetè, iustè, moderatè, sapienter factum, in
451 *iracundia præsertim, quæ est inimica consilio, & in victoria, quæ natura insolens & superba est, aut audimus, aut legimus, quo studio incendimur? non modò in gestis rebus, sed etiam in fictis? vt eos sæpè, quos nunquam vidimus, diligamus. te verò quem præsentem intuemur, cuius mentem, sensusque, & os cernimus, vt quicquid belli fortuna reliquum Reip. fecerit, id esse saluum velis; quibus laudibus efferemus? quibus studijs prosequemur? qua beneuolentia complectemur? parietes mediusfidius C. Cæsar, vt mihi videtur; huius curiæ tibi gratias agere gestiunt, quod breui tempore futura sit illa authoritas in his maiorum suorum & suis sedibus.*



Atiocinationem ducit a laude & gloriæ faces subijcit Cæsaris animo; ita tamen vt clementiæ laudem & cupiditatem cuicunque laudi anteponat. & quoniam clementiæ decus iam satis ostenderat ac Cæsari commendauerat, hinc sensim eò refert ratiocinationem quò maximè spectabat; vt scilicet Cæsarem ingenti laudis cupiditate facilè incensum, ad eam in Remp. exerendam impellat. & huc pertinet quod ait, *Vt quicquid belli fortuna reliquum Reip. fecerit, id esse saluum velis.* hæc enim verba non Cæsaris clementiam erga Marcellum spectant, aut erga Ciceronem ipsum & quemcunque supplicem a Cæsare exceptum, sed ad Remp. vniuersam ob pristinam libertatem, quam adhuc efflagitabat. & ideo pergit *quibus laudibus efferemus? quibus*
452 *studijs prosequemur? qua beneuolentia complectemur?* Quæ omnia optatum bonum ac speratum respiciunt. Et hac de causa pergit, *Parietes mediusfidius huius Curiæ tibi gratias agere gestiunt.* Cur autem M. Tulli? *quod breui tempore illa futura sit authoritas in his maiorum suorum & suis sedibus.* Quid clarius, vt intelligatur deposcere & efflagitare a Cæsare pristinam Reip. libertatem? certè parietes illi quibus idcirco sensum & vocem tribuit, liberis Ciuibus assueti erant. Vbi obserua M. Tullium talem ac tantam huius rei spem præseferre, (occupat enim vt Cæsaris clementiæ præfidere videatur) & Cæsari ostendere, vt parietes ipsi gestire dicantur cupiditate gratias agendi, quasi postulatum illud beneficium iam adnentaret. Atque hîc obserues argumentum quod ducit a rebus fictis ad veras a tragœdijs duci in quibus eximia interdum huiusmodi facta plausibus excipiuntur ab auditoribus. tale est quod scribit de Pylade & Oreste in lib. de Amicitia, vbi in re ficta cum ingentes plausus ob duorum amicorum pietatem & beneuolentiam excitarentur, significat longè maximos rei veræ tribuendos. Et ad hos laudis plausus exoptandos impellit Cæsarem. Nunc quartum locum agnoscamus.

SEPTIMA PARS.

EQuidem cum C. Marcelli viri optimi & commemorabili pietate ac virtute præditi lacrymas modò vobiscum viderem, omnium Marcellorum meum pectus memoria effodit. quibus tu etiam mortuis M. Marcello conseruato, dignitatem suam reddidisti, nobilissimámque familiam, iam ad paucos redactam, penè ab interitu vindicasti. hunc tu igitur diem tuis maximis, & innumerabilibus gra- 453
tulationibus iurè antepones. hæc enim res vnius est propria Cæsaris. cætera duce te gestę magna illa quidem, sed tamen multo magnóque comitatu. huius autem rei tu idem dux es, & comes: quę quidem tanta est, vt tropheis monumentisque tuis nulla vnquam sit finem allatura ætas. nihil est enim opere, aut manufactum, quod aliquando non conficiat, & consumat vetustas, at verò hęc tua iustitia, & lenitas animi florescet quotidie magis: ita vt quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat laudibus, & cęteros quidem omnes victores bellorum ciuilium iam ante pietate & misericordia viceras, hodierno verò die te ipsum vicisti, vereor ne vt hoc, quod dicam non perinde intelligi auditu possit: atque ego ipse cogitans sentio: ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quę illa erat adepta, victis remisisti. nam cum ipsius victorię conditione iure omnes victi occidamus, clementia tuę iudicio conseruati sumus. rectè igitur vnus inuictus es, a quo etiam ipsius victorię conditio, visque deuicta est.



COlligit ratiocinationem: sed ita colligit vt priùs magnum illi addat pondus, ducto argumento a conseruata Marcellorum familia. Etsi ne hoc vno beneficio contentus satis videatur, adhuc Cæsari campum ostendit in quē latiùs excurrere possit eius clementia, præsertim cum dicat *hæc tua iustitia & lenitas animi florescet quotidie magis*. quanquam ne videatur vrgere acriùs, postquam sagittam iecit, arcum abdit ac manum; & quasi Marcelli causa dicendi munus suscepisset, beneficium in Marcellum collatum celebrat sigillatim. vbi poëticis quoque luminibus amplificat 454
beneficium, quasi victoriam vicisset ipsam: idque dum Marcello victo (quod sibi etiam ac cæteris quotquot conseruasset Cæsar, euenisse fatetur) omnes iniurias remisisset.

Hic ratiocinationem concludit M. Tullius quam vnam eandémque quadripartitò variauit ad Cæsaris clementiam exaggerandam atque Reip. libertatem procurandam. Multa verò in ea sparsa sunt quæ tum ex Historicorum antiquitate, tum ex penetralibus Philosophorum, tum ex Rhetorum officina deriuantur ad hanc exornandam Orationem: quæ tamen prætermittere lubet quòd & quæ attigimus satis esse possint ad ratiocinationis momenta æstimanda, & verò ad posteriorem narrationis partem quæ paulò est difficilior nostra festinet Oratio. Describamus igitur partem hanc: tum eam declarabimus.

OCTAVA

OCTAVA SEV POSTREMA NARRATIONIS PARS.

ATque hoc C. Cæsaris iudicium P.C. quam latè pateat, attendite. omnes enim qui ad illa arma fato sumus nescio quo Reip. misero funestóque compulsi, etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, a scelere certè liberati sumus. nam cum M. Marcellum deprecantibus vobis, Reip. conseruauit, memet mihi, & item Reip. nullo deprecante, reliquos amplissimos viros & sibi ipsis, & patriæ reddidit: quorum & frequentiam, & dignitatem hoc ipso in consessu videtis: non ille hostes induxit in Curiam: sed indicauit a plerisque ignoratione potius, & falso atque inani metu, quàm cupiditate aut crudelitate ciuile bellum esse susceptum. quo quidem in bello semper de pace agendum, audiendúmque esse putaui: sempérque do-
455 *lui non modò pacem, sed Orationem etiam ciuium pacem efflagitantium repudiari. neque enim ego illa, nec vlla vnquam secutus sum arma ciuilia: sempérque mea consilia pacis, & togæ socia, non belli atque armorum fuerunt. hominem sum secutus priuato officio, non publico: tantúmque apud me grati animi fidelis memoria valuit, vt nulla non modò cupiditate, sed ne spe quidem, prudens & sciens tanquam ad interitum ruerem voluntarium, quod quidem meum consilium minimè obscurum fuit. nam & hoc in ordine integra re, multa de pace dixi, & in ipso bello eadem etiam cum capitis mei periculo sensi. ex quo nemo erit tam iniustus rerum æstimator, qui dubitet, quæ Cæsaris voluntas de bello fuerit, cum pacis authores conseruandos statim censuerit, cæteris fuerit iratior. Atque id minùs mirum videretur fortasse tum, cum esset incertus exitus, & anceps fortuna belli. qui verò victor, pacis authores diligit: is profectò declarat, maluisse se non dimicare, quàm vincere. Atque huius quidem rei M. Marcello sum testis. nostri enim sensus, vt in pace semper, sic tum etiam in bello congruebant. quoties ego eum, & quanto cum dolore vidi? cum insolentiam certorum hominum, tum etiam ipsius victoriæ ferocitatem extimescentem? quò gratior tua liberalitas C. Cæsar nobis, qui illa vidimus, debet esse. non enim iam causæ sunt inter se, sed victoriæ comparandæ. vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam: gladium vagina vacuum in Vrbe non vidimus. quos amisimus ciues, eos Martis vis perculit, non ira victoriæ. vt dubitare debeat nemo: quin multos si fieri posset, C. Cæsar ab inferis excitaret: quoniam ex eâdem acie conseruat, quos potest. alterius verò partis*
456 *nihil ampliùs eo dicam quàm id, quod omnes verebamur, nimis iracundam futuram fuisse victoriam. Quidam enim non modò armatis, sed interdum etiam ociosis minabantur; nec quid quisque sensisset, sed vbi fuisset, cogitandum esse dicebant. vt mihi quidem videantur dij immortales, etiam si pœnas a Populo Romano ob aliquod delictum expetiuerint; qui ciuile bellum tantum, & tam luctuosum excitauerunt: vel placati iam, vel etiam satiati aliquando omnem spem salutis ad clementiam victoris, & sapientiam contulisse. Quare gaude tuo isto tam excellenti bono: & fruere cum fortuna, & gloria, tum etiam natura & moribus tuis. ex quo quidem maximus est fructus, iucunditásque sapienti. cætera cum tua recordabere, etsi persæpe virtuti, tamen plerunque fœlicitati tuæ congratulabere. de nobis, quos in Rep. tecum simul saluos esse voluisti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficijs, toties de mirabili liberalitate, toties de singulari sapientia tua cogitabis. quæ non modò summa bona, sed nimirùm audebo vel sola dicere.*

S 2 tantus

tus est enim splendor in laude vera, tanta in magnitudine animi, & consilij dignitas: vt hæc a virtute donata, cætera a fortuna commodata esse videantur. noli igitur in conseruandis bonis viris defatigari, non cupiditate aliqua præsertim aut prauitate aliqua lapsis, sed opinione officij, stulta fortasse, certè non improba, & specie quadam Resp. non enim culpa vlla tua est, si te aliqui timuerunt: contráque summa laus quod plerique minimè timendum fuisse senserunt.



Tsi perspicua videri potuit ac plana superior narratio ac laudatio: postrema tamen hæc pars spinosa & subobscura videri posset: quorsum enim tam multa ac varia congerit & commemorat M.Tullius? Paulus Manutius eò pertinere censet, vt declaretur Cæsaris iudicium patere latius, & non modò ad Marcellum ac Ciceronem ipsum atque huiusmodi alios multos pertinere sed longiùs ac latiùs patere. Ego verò vbi Manutio ipsi concessero hinc declarari Cæsaris iudicium ac sapientiam patere latiùs, illud tamen contendam hanc rerum varietatem quas commemorat, pertinere ad Cęsaris beneuolentiam captandam, & clementiam magis ac magis excitandam, vt tandem ad Patriæ libertatem impelleretur, & Resp. in pristinam authoritatem vindicaretur. Id quòd per singula licet cursim agnoscere. Quanquam enim impedimenta interim remouere nititur vnde Cæsar retardari potuisset, & omnem scrupulum ex eius pectore euellere, id tamen totum beneficentiæ & clementiæ seruit excitandæ ac publicæ libertati procurandæ. Sed ad singula. Cæsaris iudicio eos a scelere liberatos dicit qui in eum arma sumpsissent: quod probat quia tum a Cæsare in Vrbem & Curiam inducti sint, satis constaret Cæsarem iudicasse illos non scelere, hoc est non odio & crudelitate, sed timore & ignoratione peccasse. quo in loco quoniam Resp. priùs Cæsarem declarauerat perduellem & hostem, itaut videri posset Cæsar suo iure in Remp. conuertisse arma, ac proinde, cum victori victo pro arbitratu vti liceat, Remp. seruitute premi, idcirco tacitè etiam hunc scrupulum atque hanc cogitationem euellit, quòd Cæsar omni scelere suos Ciues liberauerit cum per ignorationem peccasse declarauerit. Quo in loco (vt alterum punctum attingam) Cicero occasione correpta sibi canit, quasi sic sumpserit arma vt semper de pace cogitarit ac verba fecerit, & inter arma ipsa non sine capitis periculo pacem suaserit. at enim cur tu M.Tulli cum Pompeio, qui ne verbum quidem de pace audire sustinuit, consensisti, téque illi comitem adiunxisti? ego vero (inquit) id feci ne ingrati animi vitium subire iudicarer, cum multis ac maximis beneficiis a Pompeio affectus essem. Quare malui sciens ac prudens ad interitum ruere quàm ingrati animi crimen subire. hæc & id genus alia de se Cicero: quæ plana sunt. Sed & tertio eandem Cæsari attribuit voluntatem, idem pacis studium: quod probat quia cum post victoriam se pacis studiosum ostenderit cum omnia in eius essent potestate; multò magis in eadem fuerit sententia ante bellum, cum exitus esset incertus. hæc item & alia huiusmodi de Cæsare. Contra tamen de Pompeio fuisse existimandum significat quarto loco si victor decessisset. Quam rem non paucis confirmat. id quod verè fortasse enunciat. Certè in epistola quadam fatetur se si de pace pluribus egisset, veritum ne Pompeius in eum Gorgoneum vultum intorqueret & Dionysij caput. Etsi enim pulcherrimus esset Pompeius & placidis moribus, veruntamen ad extremùm, nescio quo pacto, quandam veluti sæuitiam induere visus erat, vt trucem etiam aspectum præseferret, ac fortasse Strabonem patrem imitaretur, profectò hæc omnia beneuolentiæ captandæ & clementiæ excitandæ inseruiunt: sed illud maximè quòd commemorat de Numine. hoc enim cum animaduerteret fore vt Cæsar clementiam adamaret, ei victoriam concessisse ait: ita vt tum humana tum diuina Cæsaris virtutem clementiámque declarent. Hæc, inquam, omnia ad eum finem pertinent quem exposui: & ideo iurè (id quod magis ac magis declarat eius cõsiliũ in hac postrema laudationis parte ea spectare quæ nos obseruauimus) *Quare* (inquit) *tuo isto tam excellenti bono: & fruere cum fortuna & gloria, tum etiam natura & moribus tuis*. vbi sic hortatur Cæsarem vt ex Philosophiæ penetralibus ducat argumen-

457 458 459

gumentum, quod dum explico ac declaro, quæso diligenter attendite. Fieri nullo modo potest vt homo ad summam gloriam perueniat ac fœlicitatem huius vitæ assequatur, nisi multis ac magnis tum naturæ tum artis, ac tam externis quàm intimis animis adiumentis ac præsidijs ad eam gloriam & fœlicitatem euehatur. Primò igitur sunt necessaria Naturæ præsidia & adiumenta, quæ præclara indole continentur, vnde ingenium, iudicium, perspicacia, industria ducit initium. Vt enim arbor, nisi optimo semine & generosa stirpe fuerit propagata, nunquam ad suam fœlicitatem, hoc est vbertatem & fœcunditatem, peruenerit; ita homo sine præsidijs Naturæ iaceat necesse est. Neque verò non statim exercitatio vsúsque requiritur, qua Naturæ semina excolantur. Vt enim arbor, etsi generosa stirpe sata, nunquam optatos afferat fructus, nisi agricolæ accedat cultura; ita homo nunquam fœlicitatis culmen attingat, nisi exercitatione ingenium excolat ac mentem vnde solers euadat. Sed & fortuna eidem arrideat necesse est. vt enim arbor, nisi tempestiuis imbribus opportunóque sole Cœlíque clementia foueatur, quæ omnia extrinsecus adueniunt ac veluti a fortuna communicantur, ferax minimè euadat aut fœcunda; ita homo nisi prosperitate & secunda fortuna illi arrideat, atque extrinsecus multa largiatur, ad optatam gloriæ ac fœlicitatis metam nunquam perueniat. quin si fortè aduersa sit, eum deprimat & calamitosum reddat. biceps enim seu bifrons est fortuna, atque hinc capillata illinc calua. quod si cui capillatam frontem offerat, nec crines ac rei benè gerendæ occasionem arripiat facilè sibi caluicium obtrudi sentiat ac se spe quacunque deiici. Itaque industria præsto sis oporteat, qua oblatam occasionem ne è manibus elabi sinas, sed teneas. Verè enim dici potest hominem suæ fortunæ artificem esse ac fabrũ. Deus enim industrios fermè iuuat & laborantes, non stertentes & dormientes. Nec
460 mihi obijcias ociosam esse nostram industriam vbi arrideat fortuna: quin Virtutis ipsius præsidia contemni posse omnia, cum plus fortunæ drachma valeat quàm magnum Virtutis pondus. Nam vt quam fortuna offert rei benè gerendæ occasionem arripias ac teneas, útque prosperitate non insolens euadas, solertia & Virtus requiritur. Alioquin præceps agaris è summa fortunæ rota. Id quod Luculli confirmare licet exemplo, qui priore Asiaticæ expeditionis anno ob miram solertiam, ita fœliciter decertauit semper, vt fortunam in manu habere diceretur. & tamen cum insequenti anno industriæ neruos remisisset, ac superbus & rapax euasisset, tanta fortunæ commutatio facta est, vt quotidie magis calamitosus euaserit donec omnino attritus sit. At enim sint isthæc, esto tum Naturæ, tum exercitationis atque Artis, tum fortunæ adiumenta sint necessaria, at vbi virtus? nonne huius adiumenta maximè requiruntur? sanè vt ad summam gloriam perueniamus, virtus dux est, fortuna comes tantùm. Rectè. Sed tamen ob id gloriam quoque requirit M. Tullius. Verè enim gloria vera virtute paratur; ita ut qui non solum Naturæ & exercitationis ac fortunæ, verùm etiam solidæ gloriæ adiumenta requirat ad fœlicitatem, is virtutem quoque, cúmque excellentem requirat. An non meministis ad Gloriæ siue Honoris templum non patuisse aditum nisi ex Virtutis ac Laboris templo? an non eo cõsilio virtutis templum ita cum templo honoris copulabatur, vt intelligeremus labore ac virtute veram Gloriam comparari? quod si quis etiam moribus Virtutem designari affirmet, cum boni mores germanæ Virtutes sint, non repugnabo: præsertim quod vno eodémque tempore Artem & industriam intelligere possumus quæ Naturæ iungi solet è vestigio, vel è regione collocari. Ita quidem per gloriam intelligeret gloriam ipsam quæ interim ad excellens illud Cæsaris bonum constituendum conflueret. Ob id igitur M. Tullius bonum quo Cæsari fruendum edicit quódque excellens appellat, Natura, moribus, fortuna, & gloria contineri affirmat. Hæc habui quibus Ciceronis hortationem ex philosophiæ penetralibus deriuatam declararem. Et interim Fortunæ nomen Tulliano more ac more maiorum hoc est licentiùs vsurpare non dubitaui. alioquin fortuna fictum numen ac nomen est, ita vt iurè Satyricus ille cecinerit

Nullum numen habes si sit prudentia: sed te
Nos facimus fortuna Deam Cœlóque locamus.

Tametsi Aristoteleo more fortunam pro occulta causa capientes quæque nobis admirationem potiùs afferat quàm scientiam, tolerabiliter philosophemur. Rectè omnino si in numinis potestate sortes nostras sitas fateamur & abditas in diuino de-

cœlo, atque hoc, quoniam nos planè latet, esse nostrarum fortunarum vel potiùs fortissim fontem ac pelagus; ita vt quicquid euenit, etsi causa a nobis ignoretur ac propterea a fortuna effici dicatur, a Deo proficiscatur. Sed redeo ad M. Tullium, qui sane cùm indicasset in quo sit situm excellens bonum vnde Cæsari fruendum esset, præclarius illum hortabatur, vt bona in primis animi & virtutis æstimaret quæ mirabilis illius eloquentia indicari satis possit aut laudari. Vos totam illam hortationem diligenter percurrite. ipse enim, quoniam narrationem absoluimus, ad Confutationem me cōfero, quæ bipartita est, vt docebo: ac prior quidē pars est huiusmodi.

REFVTATIONIS PARS PRIOR.

Nunc venio ad grauissimam querelam, & atrocissimam suspicionem tuam: quæ non tibi ipsi magis, quàm cum omnibus ciuibus, tum maximè nobis, qui à te conseruati sumus, prouidenda est, quam etsi spero esse falsam, nunquam tamen verbis extenuabo. tua enim cautio, nostra cautio est; vt si in alterutro peccandum sit: malim videri nimis timidus, quàm parum prudens. Sed quisnam iste tam demens, qui tibi scilicet insidiaretur? de tuis ne? tametsi qui magis sunt tui, quàm quibus tu salutem insperantibus reddidisti? an ex eo numero, qui vnà tecum fuerunt? non est credibilis tantus in illo furor: vt quo duce omnia summa sit adeptus, huius vitam non anteponat suæ. At si tui nihil cogitant sceleris, cauendum est, ne quid inimici. qui? omnes enim, qui fuerunt, aut sua pertinacia vitam amiserunt, aut tua misericordia retinuerunt: vt aut nulli supersint de inimicis: aut qui superfuerunt, amicissimi sint. sed tamen, cum in animis hominum tantæ latebræ, & tanti recessus: augeamus sanè suspicionem tuam: simul enim augebimus diligentiam. nam quis est omnium tam ignarus rerum, tam rudis in Rep. tam nihil vnquam nec de sua, nec de communi salute cogitans, qui non intelligat tua salute contineri suam? & ex vnius tui vita vitam pendere omnium. Equidem dies noctésque de te, vt debeo, cogitans, casus duntaxat humanos, & incertos euentus valetudinis, & naturæ communis fragilitatem extimesco: doleóque, cùm Resp. immortalis esse debeat, eam in vnius mortalis anima consistere. Si verò ad humanos casus, incertósque euentus valetudinis sceleris etiam accedat, insidiarúmque consensio: quem Deum, etiam si cupiat, opitulari posse Reip. credamus? Omnia sunt excitanda tibi C. Cæsar vni: quæ iacere sentis belli ipsius impetu, quod necesse fuit, perculsa, atque prostrata: constituenda iudicia: reuocanda fides: comprimendæ libidines: propaganda soboles: omnia, quæ delapsa iam fluxerunt, seueris legibus vincienda sunt: non fuit recusandum in tanto ciuili bello, tantóque animorum ardore & armorum, quin quassata Resp. quicunque belli euentus fuisset, multa perderet & ornamenta dignitatis, & præsidia stabilitatis suæ: multáque vterque dux faceret armatus, quæ idem togatus fieri prohibuisset. quæ quidem tibi nunc omnia belli vulnera sananda sunt: quibus præter te mederi nemo potest.



Vantum latet Exordii ac Narrationis initium in hac Oratione, tantum in aperto est eiusdem Narrationis finis & Refutationis initium. Neque verò hic illud commemoret quisquam, nihil refutari hoc in loco, sed potius nouum genus Orationis attingi: cùm ii excusentur ac purgentur a crimine qui in Cæsarem conspirasse dicerentur: quod pertinet ad Iudiciale genus & continet defensionem. Neque rursus quisquam obijciat huc postea genus quoque Deliberatiuum recurrere: quod

Cæsari

Cæsari suadeat M. Tullius, vt suæ saluti prospiciat & custodes corporis retineat; ne, si forte verus esset rumor ille, imparatus offendatur. Nam si hæc duo per se attingerentur non autem Cæsaris solandi causa, & vt hilarior & placabilior ac beneuolentior haberetur, ac facilius ad Patriam liberandam impelleretur, essent cur genera misceri fateremur. Sed cum finis propositus sit patriæ libertas, cætera assumantur huiusmodi gratia, retinendum est vnum Deliberatiuum genus: cætera, qualia qualia sint, huic inseruiunt. Ita fit vt dum elaborat Cicero ac blandientis eloquentiæ neruos intendit, vt è Cæsaris animo suspicionem illam depellat, id Refutationis obtineat locum, cum quæ impedimenta se se obijcere viderentur suasioni propositæ, ea eleuare nititur. atque idem dicendum dum in Deliberatiuum aliunde relabi dicebatur. Iam verò his positis & constitutis prior hæc Refutationis pars perspicua satis videri potest. Etsi vnum atque alterum obseruare non dubitabo. Vnum est a partium enumeratione argumentum ducere quo probet neminem esse qui insidias struat Cæsari. Quod probabile videri quidem potuit, cum Brutus, Cassius, ac cæteri illi cum Cæsare in gratiam redijssent, sed tamen res aliter cecidit, partim libertatis studio, quod magnam vim habet in libero populo, partim quod Brutus per noctem ad Patriam liberandam solicitaretur a multis. hinc voces illæ, Brute dormis? quibus ne a suis maioribus degenerare videretur ad Cæsarem necandum impulsus est. Quanquam vindicis quoque numinis voluntas apparere potuit, cum Cæsarem adulterum a proprio filio quem ex adulterio susceperat turpiter; trucidari permissum sit. Brutus enim Cæsaris ex adulterio filius erat occultus. itaque illud etiam exclamauit Cæsar, Tu quoque fili? Adde quod cum Cæsaris gladio tam multæ hominum miriades cecidissent, quid mirum si ipse etiam gladio cecidit tandem? itaque iustiùs inde Cæsar dictus esset quod tandem casus sit quàm quod è cæso matris vtero (hinc enim renera nomen inuenit) eductus sit. Quanquam cum in vtero matrem enecasset. Quo præmonstratum est fore ut alteram matrem Patriam scilicet opprimeret & enecaret, satius fuit, vt ex vtero Cæsaris nomen acciperet. Alterum est satis a M. Tullio indicari quàm lubricum & offensionibus obuium sit regnum, cum in vnius capite nitatur. Et huc in primis ea pertinent verba, quibus humanæ vitæ fragilitatem describit; huc maximè dum ait, *Doleòque cum Resp. immortalis esse debeat: eam in vnius mortalis anima consistere*. Vbi obserues illud [anima] significare spiritum quem ducimus & auram; quasi diceret in modico illo flatu positum esse Romanum Imperium. verè enim homo bulla. itaut vel ex hoc satis supérque intelligere liceat Aristocraticam Politicámque gubernationem præstabiliorem esse, cum non in vnius anima Resp. collocetur, His addo tertium impietatem redolere ea verba, *Quem Deum, etiam si cupiat, opitulari posse Reip. credamus?* Siquidem diuinum numen mortuos excitare potest, non modò periculis hominem liberare. Sed Oratoria amplificatione vsus est Cicero, atque adeo Poëtarum quorundam more locutus est. Mallem tamen vt Academicos ac Platonem in primis, quem diligenter euoluit, secutus esset, & immensam Dei vim ac prouidentiam agnouisset. Etsi crediderim eo loquendi genere vsum vt timorem verè ac dolorem propter Cæsaris periculum exprimeret; eúmque sibi magis beneuolum & audientem efficeret. Laudandus tamen dum omnia Reipub. vulnera sanari flagitat, & Patriæ prospicit pro sua virili parte.

PARS

PARS POSTERIOR.

*ITaque illam tuam præclarissimam & sapientissimam vocem inuitus audui:
satis te diu vel natura vixisse, vel gloria. satis si ita vis, naturæ fortasse; ad- 464
du etiam, si placet, gloriæ: at quod maximum est, patriæ certè parum. quare omit-
te quæso istam doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam: noli nostro
periculo sapiens esse. sæpè enim venit ad aures meas te idem istud nimis crebro di-
cere: satis te tibi vixisse credo, sed tum id audirem, si tibi soli viueres: aut si
tibi etiam soli natus esses: nunc cum omnium salutem ciuium, cunctamque Remp.
res tuæ gestæ complexæ sint, tantum abes a perfectione maximorum operum: vt
fundamenta, quæ cogitas, nondum ieceris. Hic tu modum vitæ tuæ, non salute
Reip. sed æquitate animi definies? quid? si istud, ne gloriæ quidem tuæ satis est?
cuius te esse auidissimum, quamuis sis sapiens, non negabis. parumne igitur in-
quies gloriam magnam relinquemus? imò verò alijs, quamuis multis, satis; tibi
vni parum. quicquid enim est, quamuis amplum sit, id certè parum est tum, cum
est aliquid amplius. quod si rerum tuarum immortalium C. Cæsar hic exitus futu-
rus fuit, vt deuictis aduersarijs Remp. in eo statu relinqueres, in quo nunc est;
vide quæso, ne tua diuina virtus admirationis plus sit habitura, quàm gloriæ. si
quidem gloria est illustris ac peruagata multorum, & magnorum vel in suos ci-
ues, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum. hæc igitur ti-
bi reliqua pars est. hic restat actus, in hoc elaborandum est, vt Remp. constituas,
eáque tu in primis composita summa tranquillitate & ocio perfruare. Tum te si
voles, cum & patriæ quod debes, solueris: & naturam ipsam expleueris satietate
viuendi, satis diu vixisse dicito. quid enim est omnino hoc ipsum diu, in quo est
aliquid extremum? quod cum venerit omnis voluptas præterita pro nihilo est, 465
quia postea nulla futura sit. quanquam iste tuus animus nunquam his angustijs,
quas natura nobis ad viuendum dedit, contentus fuit. semper immortalitatis
amore flagrauit. Nec verò hæc tua vita dicenda est, quæ corpore & spiritu con-
tinetur. illa inquam illa vita est tua, Cæsar, quæ vigebit memoria sæculorum om-
nium, quam posteritas alet, quam ipsa æternitas semper intuebitur. huic tu in-
seruias, huic te ostentes oportet. quæ quidem quæ miretur iam pridem multa ha-
bet; nunc etiam quæ laudet expectat. Obstupescent certè imperia, Prouincias, Rhe-
num, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumen-
ta, munera, triumphos audientes & legentes tuos. Sed nisi hæc Vrbs stabilita tuis
consilijs, & institutis erit, vagabitur modò nomen tuum longè, atque latè; sedem
quidem stabilem, & domicilium certum non habebit. Erit inter eos etiam, qui
nascentur, sicut inter nos fuit, magna dissensio; cum alij laudibus ad cœlum res
tuas gestas efferent; alij fortasse aliquid requirent, idque vel maximum; nisi bel-
li ciuilis incendium salute patriæ restrinxeris; vt illud fati fuisse videatur, hoc
consilij. serui igitur ijs etiam iudicibus; qui multis post sæculis de te iudicabunt;
& quidem haud scio, an incorruptiùs quàm nos. Nam & sine amore, & sine cupi-
ditate, & rursus sine odio, & sine inuidia iudicabunt. id autem, etiam si tunc ad
te, vt quidem falsò putant, non pertinebit; nunc certè pertinet, te esse talem, vt 466
tuas laudes obscuratura nulla vnquam sit obliuio. Diuersæ voluntates ciuium fue
runt, distractæque sententiæ. non enim consilijs solùm & studijs sed armis etiam
& castris dissidebamus. erat autem obscuritas quędam; erat certamen inter cla-
rissimos duces: multi dubitabant, quid optimum esset: multi quid sibi expediret:
multi quid deceret: nonnulli etiam quid liceret: perfunctáque Resp. est hoc misero,*

fata-

fatalique bello, vicit is, qui non fortuna inflammaret odium suum, sed bonitate leniret: neque omnes, quibus iratus esset: eosdem etiam exilio, aut morte dignos iudicaret. arma ab alijs posita, ab alijs erepta sunt. ingratus est iniustúsque ciuis, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum; vt etiam ille sit melior, qui in acie cecidit, quàm qui in causa animam profudit. quæ enim pertinacia quibusdam, eadem alijs constantia videri potest. Sed quia iam omnis fracta dissensio est armis, & extincta æquitate victoris; restat vt omnes vnum velint: qui habent aliquid non solùm sapientiæ, sed etiam sanctitatis, quia nisi te C. Cæsar saluo, & in ista sententia, qua cum antea, tum hodie vel maximè vsus es,
467 *manente, salui esse non possumus. Quare omnes te, qui hæc salua esse volumus, & hortamur, & obsecramus, ut vitæ, ut saluti tuæ consulas: omnésque tibi, ut pro alijs etiam loquar, quod de me ipse sentio: quoniam subesse aliquid putas, quod cauendum sit: non modò excubias & custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus, & corporum pollicemur.*


D alteram Refutationis partem descendit: in qua Cæsari blanditur de more qui dictaret se Naturæ & gloriæ vixisse satis. Quæ sanè præclara vox parum ab illa distat quam de se pronunciauit ipse Cicero. *Itaque mihi* (inquit lib. 10. famil. epist. 1.) *maximè cura est non de mea quidem vita, cui satis feci vel ætate vel factis, vel, si quid etiam hoc ad rem pertinet gloria*. Ita tamen blanditur Cæsari hoc in loco M. Tullius, seque illius voce commoueri significat, & ægrè ferre tantam illius vitæ despicientiam, vt multa ex Philosophiæ penetralibus prudenter sapientérque depromat. Quæ tamen omnia sunt facillima. etsi vnum atque alterum interim obseruare non dubitabo. Primum est, nihil esse cur, sibi blandiatur Cæsar quòd diu satis Naturæ vixerit. Siquidem alij quoque plurimi numerari possunt qui ad eam ætatem peruenissent, & tamen inutile terræ pondus haberentur; quíque animam pro sale accepisse dicerentur; ob id igitur continenter addit se gloriæ etiam vixisse satis: vt nimirùm intelligeretur se non inutile terræ pondus fuisse sed gloriam semper spectasse, ac perpetuas laboribus & vigilijs ad gloriam contendisse. Alterum est verè quidem dici posse Cæsarem gloriæ diu satis vixisse: nam præterquam quod trecenta prælia obiuit, ac totidem ferè victorias retulit, quinquies triumphauit, trecentos Regios pueros obsides & captiuos obtulit Populo Romano, ingentem auri vim vel potiùs Thesauros maximos detulit in ærariũ, erranté manum emendauit, atque alia multa vnus peregit quæ multi simul vix ac ne vix quidẽ patrarunt vnquam quantũuis Scipionem ac Pompeium proferas.

Peroratio.

SEd vt vnde est orsa, in eodem terminetur Oratio mea, maximas tibi omnes gratias agimus C. Cæsar, maiores etiam habemus. Nam omnes idem sentiunt, quod ex omnium precibus, & lacrymis sentire potuisti. Sed quia non est stantibus omnibus necesse dicere; a me certè dici volunt; cui necesse est, quodammodo & quod volunt, & quod M. Marcello a te huic ordini, populóque Romano, & Reipub. reddito, præcipuè id a me fieri debere intelligo. Nam lætari omnes, nõ vt de vnius solùm, sed, vt de communi omnium salute, sentio. Quod autem summæ beneuolentiæ est, quæ mea erga illum omnibus semper nota fuit, vt vix C. Marcello optimo, & amantissimo fratri, præter eum quidem cederem nemini, tum id sollicitudine, cura, labore tamdiu præstiterim, quamdiu est de illius salute dubitatum; certè hoc tempore magnis curis, molestiis, doloribus liberatus præstare debeo. Itaque C. Cæsar, sic tibi gratias ago vt omnibus me rebus a te non conseruato solùm, sed etiam ornato, tamen ad tua innumerabilia in me vnum merita, quod fieri iam posse non arbitrabar, maximus hoc tuo facto cumulus accesserit.

Quod diximus de Exordio, posse nimirum ad varia adhiberi, vt suspicioni alicui
468 delendæ aut officij rationi reddendæ quod fecit M. Tullius in hac Marcelliana, idem de Peroratione dicendum. Quantumuis enim quatuor illis muneribus seruiat in primis quæ ab Aristotele in 3. Rhet. extremò commemorantur, vt tum amplificationi,

tum

tum affectibus permiscendis, tum auditoribus conciliandis, tum denique ijs quæ di-
cta sint per capita enumerandis referatur, nihil tamen prohibet aliò interdum detor-
queri. id quod facit M. Tullius in præsentia: qui tum causam affert cur ipse vnus Se-
natus nomine Cæsari gratias egerit, tum suam ergà Marcellum voluntatem & quan-
tum Cæsari debeat exponit. Etsi non tam mihi perorare videtur hoc in loco, quàm
ad perorandam viam sternere. nam peroratio videtur verbis illis contineri.
Itaque C. Cæsar & cæteris quæ sequuntur ad finem vsque. Itaut priùs de sua illa volun-
tate déque suscepto dicendi munere admoneat Cæsarem, tum hinc perorandi occa-
sione arrepta se illi addictissimum ostendat, vnde illum sibi magis ac magis concilat,
& finem dicendi facit. Illud tamen interim obseruandum, videri tandem voluisse eo
tantùm nomine dicendi munus suscepisse, vt Senatus nomine illi gratias ageret pro-
pter restitutum Marcellum (etsi reuera alio consilio, eóque nobiliore, dicendi curri-
culum repetebat) fortasse ad inuidiam declinandam, vt si fortè minùs grata esset Cæ-
sari ea postulatio, videretur quasi per transennam de illa verba fecisse ac Reip. liber-
tatem suasisse. & tamen cum interim dicat se a Cæsaris laudatione orsum, non tamen
inficiatur se eum quem huic orationi præfiximus, finem spectasse. Nihil enim prohi-
bet quominus a gratiarum actione incœperit cum eas publicæ libertatis procuran-
dæ retulerit. Sed vt vt sit, planum est de suscepto munere Cæsarem interim admone-
re atque illi se arctiùs obstringere. Hæc in proposita Oratione. Quanquam quo-
niam laudationis vias amplissimas commonstraui, tum in Maniliana, tum in Oratio-
ne pro Archia, tum maximè in Marcelliana, vituperationis ad quam interdum ob re-
ligionis ac iustitiæ vel Patriæ hostes profligatósque homines descendendũ est, Exem-
plum proposui nullum, Iubet Pisonianam subijcere: in qua dentem Cicero in Pisonẽ
meritò acuit, séque acerbitate plenum ostendit. Vbi eò magis profeceris, quòd hanc
tibi solo argumento, vt scilicet Delius Natator euadas, instructam obijcio. Quod si
adhuc efflagites vt aliquod etiam tibi dissuasionis aut accusationis exemplum pro-
ponam, quemadmodum suasionis feci ac defensionis, tuum erit Ciceronis Philippi- 469
cas per ocium euoluere, quæ patribus dissuadent concordiam cum Antonio (quam-
quam multa sunt quibus ob uituperationem, & consultationem demonstratiuũ ac
deliberatiuum se se immiscet genus) tum Vertinas lectitare, quæ accusationem spi-
rant totæ. Atque his præsidijs ad eloquentiæ metam contendes.

Sed iam Pisanianã subijciamus: cui tñ, quoniã initio caret veréque diminuta est ca-
pite, equidẽ initiũ & caput, quale quale erit, restituere, vel potiùs affingere, nõ grauа-
bor. Cũ.n.nõ is sim qui Coæ Veneris faciẽ & Caput pro dignitate absoluere valeã, cui
vnus Oratorũ Zeuxis & Eloquẽtiæ parẽs M. Tullius sit par, vt tñ intelligẽter percurri
possit oratio, quod sine initio fieri nequit, eiusmodi laborẽ subire nõ dubitabo: ita tñ,
vt quoniã perexiguæ quædã imminuti capitis reliquiæ extant apud veteres nõnullos,
has interim prætereã, ne industriã iactare videar potiùs & curiositati seruire, quã ne-
cessitati ac Lectoris vtilitati. Denique tum demũ iudicandũ erit rem bellè procedere,
cũ initiũ hoc nostrũ, in Tullianũ, quale quale est, optimè cadat, & cũ illo & orõne reli-
qua omnino cohæreat atq; cõsentiat. Et sanè dũ hanc tibi orationẽ ad vituperationis
exẽplũ propono, magnopere optaßẽ vt tu Lector oratione reliqua, quæ sanè integra
est ac perampla & copiosa, diligẽter perspecta & cognita, initij instaurares iacturã, &
incomodũ, quod sanè accessit orationi nõ exiguũ, resarcires: neq. n. inficiari licet exor
diũ totũ & Narrationis partẽ non exiguã desiderari. quin quod Archiã fecisse didici-
sti, vt idẽ argumentũ non modò iterũ ac tertiò nobis carminibus repeteret, sed quar-
tò ẽt, tu exercitationis graria & vtilitatis factitasses. Neque verò hoc dixerim ꝙ Vene-
ris Coæ caput tibi exprimẽdũ imponã, quasi verò cũ Apelle statim aut Zeuxi certare
possis, sed vt hinc vires colligas vberiores in hoc genere. Denique quod in Curtio fa-
ctũ videmus vt nõ ingratũ acciderit initiũ alienũ, dũ illo careret Historia, sic fortasse
in præsentia nec tu malè locaueris operã si nõ dissimili industria in hac oratione ela-
boraueris. Interim tamen ne in hoc quoque opellam requiras nostram, Iubet idẽ expe
riri, ac tibi in hoc labore pulcherrimo authorem me tibi præbere ac ducem. Sed hoc 470
paulò post. Nunc Inscriptionẽ, quæ adhuc extat, proponamus: ac subinde Argumen-
tum afferamus. Ita enim fier, vt argumento proposito, atque initio instaurato, intel-
ligenter & commodè percurri possit Oratio. Inscriptio seu Titulus est huiusmodi.

M. TVLLII

M. TVLLII CICERONIS in L. Calpurnium Pisonem Oratio.

At verò Argumentum tale est.

Marco Tullio Cicerone & Ca. Antonio in Consulatu post quadriennium, successerat L. Piso & A. Gabinius. Cum verò interim Clodius Trib. Ple. rogationem iniquissimam tulisset, qua eo clam spectabat vt in M. Tullium insultaret, eùmque in exilium pelleret, boni isti Consules non modò non intercesserunt aut obstitère prout debuerunt, verùm etiam nefarios Clodij Conatus iuuerunt. Cum autem Consulatu exacto consularem quisque prouinciam ex Semprouiana lege obtinuisset, Piso Macedoniam, cui Achaia, Thessalia, Bœotia, Græcia, addita est. Gabinius Syriã, adiuit. Postero anno Prouincias istas, quoniam annuæ erant sibi confirmari postularunt. Id quod eodem tempore petebat Cæsar, cui iamdiu vlterior Citeriórque Gallia decreta fuerat. Cicero igitur memor Pisonis iniuriarum, fortasse etiam reputans id conducere Reipublicæ, Cæsari fauit egregiè, Pisoni & Gabinio sese opposuit. Itaque cum animaduerteret Cæsarem magno cum Populi Romani bono ac dignitate Gallias administrare, illos contra flagitiosè ac perditè se gerere, hinc occasionem nactus, orationem illam dixit quæ de Prouincijs extat Consularibus, effecitque vt Cæsar in
471 *Prouincia confirmaretur, Pisoni & Gabinio succederetur. Cum igitur Piso spe deiectus, ad Vrbem rediÿsset, non dubitauit in Senatu plena concione in M. Tullium inuehi, atque odij & doloris sui, nec sine ingenti Ciceronis criminatione, virus euomere. Ergo Pisoni in hac Oratione par pari refert Cicero, qui vsque adeo acuit stylum, vt perpetua illum obruat infamia. Atque hinc percommodè intelligere licebit orationem quæ Pisonianam antegreditur, de Prouincijs Consularibus. Quibus etiam fiet vt multa de ipsius Ciceronis Consulatu, de Catilinæ Coniuratione, de Prouincijs ac de Romana antiquitate vniuersa, perdiscas: sigillatimque intelligas quales fuerint egregij Consules isti qui M. Tullium Clodij rogatione opprimi permiserunt. Siquidem Gabinium quoque perstringit ac lacerat M. Tullius. Itaque verba illa, Nemo quæritur Syrum nescio quem de grege nouitiorum factum esse Consulem, ad Gabinium pertinent, tum quia in Syria non semel versatus erat, tum quia Syri apud Romanos serui ac seruiles habebantur: atque ob id fortasse Syrum pro seruili persona vsurpauit Terentius, cui, opinor, alludit Cicero. Atque eundem Gabinium procedente oratione arpi ac dilacerari senties, vt qui in flagitio pares fuerant, pari plectantur pœna, pari ignominia infamiáque notentur. Quapropter amplissimus tibi sese offeret campus, in quo ad omnem Eloquentiæ partem studium referas, & Ciceronem in tripartito causarum genere imiteris. Siquidem Pisoniana sine vlla dubitatione in Demonstratiuo genere versatur tota: altera verò quæ de Prouincijs Consularibus inscribitur, citra omnem Controuersiam in Deliberatiuo genere posita*
472 *est. Verrinas autem quas tibi commendauimus, Iudiciali genere contineri compertum est satis. Itaque ijs priùs diligenter perspectis & cognitis quæ nos vel in Maniliana obseruauimus copiosè, vel in altera pro Archia, aut pro Marcello, strictim attigimus, licebit tibi ad Eloquentiæ metam in quocunque genere fœliciter prosperare.*

Vide septimam digressionem quæ ad Pisonianã pertinet, habetur To. 12.

Tametsi inde etiam plurimum subsidij tibi compares ad omne dictionis & scriptionis genus, si per te ipsum omnes quotquot extant Ciceronis Orationes tripartita veluti acie distribuas, diligentèrque percurras. Ita quidem cum oratione pro lege Maniliana & altera de Prouincijs Consularibus quas nos interim tibi proposuimus in Deliberatiuo genere, magno cum bono illas coniungas quæ in eodem versantur genere aut solùm aut maximè. Tum pari cum fructu & vtilitate ad Licinianam iudiciales cæteras referas quæ plurimæ quidem sunt & nobiles: inter quas Miloniana fortasse sibi vindicat principatum, si defensionem spectes. Nam in accusatione Verrinis & Catilinarijs princeps locus est tribuendus. denique cum Marcelliana, quoniam in speciem saltem pertinet ad genus Demonstratiuum, reliquas copulabis quæ istæ sunt in hoc genere. talis est oratio post reditum & in Senatu & ad Quirites, & si quæ huiusmodi. Nec sine magno Eloquentiæ compendio & quæstu illas interim obseruabis quæ vel mixti generis sunt & argumenti, cuiusmodi Philippicas maximè dixeris, vel saltem ad varia genera dicendi suppeditant copiam; cuiusmodi sunt Maniliana & Liciniana aut etiam Catilinariæ nonnullæ. Id inquam magnum tibi in Oratorio curriculo subsidium præbeat & adiumentum. Etsi enim interim non magna temporis ratio

tio haberi poterit quo dictæ sint, habebitur tamen generis (id quod caput est) & argumenti vnde oratio dicendi facultas efflorescat.

Et quoniam addidi fore vt istbinc ad omne scriptionis genus plurimum emolumenti colliges, 473
*ne (te obsecro) obseruare pigeat & diligenter æstimare M. Tullium in Orationibus sæpè historico
more narrare, ita vt hinc Historicum scriptionis genus (id quod nos copiosè animaduertimus in
nostris de Historia libris) haurire possis & imitari, Sed & illud obserues quandoque non modò
ornatam & elegantem sed pictam & illuminatam orationem sic effingere, vt eam Metaphoris,
tropis ac pigmentis omnibus illustret ac variet: ex quibus maxima tibi adiumenta parare possis
ad Poësim: præsertim quia precibus, obtestationibus, lachrymis, moribus, affectibus plenus est, vnde
ad Tragicum stylum informeris. Neque verò non facetiis atque vrbanitatibus Atticisque sali-
bus conditus est noster Cicero, quibus Comicum stylum perdiscas & exprimas. Sæpè etiam refert
granditatem ac magniloquentiam, ita vt classicum canere, imò verò tonare ac fulminare, videa-
tur: quod sanè ad Heroicum magna tibi præsidia offerat, & ornamenta. Nam ad philosophicum
quoque dicendi genus ac temperatum, vt istud quoque suauitate respergas & elegantia, si non
passim tibi præsidio sint Orationes, certè Tusculanæ Disputationes ac cæteri philosophici libri
qui sunt permulti, præsto sunt; idque siue de vita & moribus ac bonorum fine beatáque vita, siue
de rebus naturalibus ac diuinis (si placet) candidè & eleganter disputare cupias. Ipse certè sic Na-
turalem omnem atque Diuinam Platonis & Aristotelis Philosophiam triginta integris libris com-
plexus sum, vt mihi a Cicerone minimè discedendum existimauerim; vsque adeo commodum no-
bis aperit campum vt eo duce subtiliores quoque Controuersias non ineleganter persequamur. De-* 474
*nique hoc scribendi genere vnam Moralem & Politicam Philosophiam (idque iustis de causis)
conformare interim supersedebo, eam breui editurus. Neque verò mihi obiciat quisquam, eius
orationem nescio quo pacto redundare aliquando, ita ut non tam Atticam siccitatem quàm Asia-
ticam redundantiam exprimere videatur. Sed videant isti ne hebetiores veriùs ac pingues quàm
teretes atque Atticas aures nacti sint. Siquidem fieri quidem potest vt vocem aliquam ex M.
Tullio detrahas nec sententiam corrumpas, sed vt non aliquid de venustate detrahas fieri nullo mo-
do potest. Id quod in Demosthene multóque magis in Platone obseruabit antiquitas: tametsi quod
in Græcis per partes obserues, id in quocunque dicendi aut scribendi genere deprehendes in M. Tul-
lio. Is enim est M. Tullius qui si διαλογικῶς scribat; Platonis delicias æmuletur: si αὐτοπροσώπως
& solitarius, Isocratem ac Demosthenem æquet, interdum etiam non parum superet. Cum tamen
apud Græcos nullus se se efferat qui vtrunque istud dicendi genus coluerit, aut saltem in vtroque
floruerit: præsertim dum & docendi & dicendi partes implendæ sunt, & interiores literæ non mi-
nùs quàm humaniores disciplinæ attingendæ ac pertractandæ. Ita demum (vt in circulum recur-
rat oratio) habeas in M. Tullio vnde ad omne non modò dictionis sed scriptionis genus informeris
& perpoliaris egregiè. Sed iam ad Pisonianam deuenio, initia itidem instauraturus.*



M. TVLLII

M. TVLLII CICERONIS in L. Calpurnium Pisonem Oratio.



Vod turpe videri poterat ac flagitiosum, vt tu ornatissimum hunc locum attingere auderes; Piso; atque in illum virum polluto ore inuehi, cuius vigilantia in tuo Consulatu, quoad posses, tibi fuerat imitanda, turpissimum sanè ac flagitiosissimum apparebit hodierno die. Et quidem cum in hac Curia loqui ausus sis, cuius parietes, si loqui possent, se vnà cum Vrbe vniuersa diligentia nostra ac vigilantia stare profiterentur; atque apud illos dicere non dubitaueris, qui laborum nostrorum testes essent locupletissimi, aliqui etiam consortes præclarissimi, quæ te obsecro peruersa cępit stultitia, quis talis ac tantus inuasit furor, vt impurā linguam in nos tanquam gladium intendere, ac tam postiferum virus è pectore euomere auderes? quid si non pingue ac putidum sonaret oratio tua? quid si non flagitijs coopertus esses totus? Et tamen (me miserum) de huius, huius inquam, moribus ac vita mihi dicendum in hac lectissima Patrum Corona, déque homine impudentissimo ac stultissimo loquendū apud pudentissimos ac sapientissimos viros. Vos quæso P. Amplissimi pro singulari humanitate vestra patiamini, vt siue ad perfrictam Pisonis audaciam frangendam, qui vestras aures turpiter compleuit maledictis, vel ad innocentiam nostram magis ac magis declarandam, quæ iamdiu huic Curiæ dicata est, concionem habeamus. Spero enim fore vt si fortè innocentes aures vestras Pisonianis flagitijs obtundam, aditum saltem imposterum ijs præcludam, qui Pisoniana audacia honestissimum hunc locum ac sanctissimum attingere, atque illius dignitatem dedecorare, non vererentur.

Quæ crudeliter ac flagitiosè in Macedonia administranda gesserit L. Piso, quàm ingentes rapinas non modò in Macedonia, verùm etiam in Achaia, Thessalia, Bœotia, Græcia tota, exercuerit, vobis P.C. qui & pro vestra singulari in eas gentes pietate indoluistis, & publicum hunc raptorem & expilatorem reuocandum esse statuistis, omnino compertum est. Cum enim quotidie ferè de huius auaritia & crudelitate ad vos deferretur & expostularetur, vos sanè, quæ vestra est vigilantia ac prouidentia, illi non modò non prorogandum Imperium iudicastis, sed vt primo quoque tempore succederetur, eiusmodique monstrum ex finibus illis arceretur, mira consensione decreuistis. Quapropter nisi quis illud in hoc facto reprehendat aut miretur, quòd multò seriùs reuocatus est Piso, quàm eius vel libido & auaritia vel crudelitas postularet, ac minori quàm decuisset celeritate frenum iniectum sit huic belluæ, quid insimulare possit non video. Nisi tamen illud adhuc queratur aliquis ac lamentetur, quòd cum monstri huius teterrimi aspectus ac forma satis indicaret quales animo affectus, quales mores turpissimos ac truces, conderet, quæ voragines auaritiæ in imo illius pectore latitarent, quas oculis ac vultu carnificinas spiraret, huic Respublica commissa sit gubernanda. etenim non defuerunt tum ex calamitosa gente ex nostratibus plurimi qui id planè in hac bellua, id in hoc portento, in hoc mo... demirarentur passim & obstupescerent; Macedoniam aut vllam Reipublicæ part... huic commissam & commendatam: atque helluoni spurcissimo & impurissimo to... gentium fortunas, liberos, dignitatem, vitam denique ipsam, creditam esse.

Hic iam iā sese ofsert Tullianus Codex.

IAM ne vides bellua? iam ne sentis? quæ sit hominum querela frontis tuæ? nemo queritur Syrum nescio quem de grege nouitiorum factum esse Consulem. nō enim nos color iste seruilis, non pilosæ genæ, non dentes putridi deceperunt. Oculi, supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est: hic in fraudem homines impulit: hic eos, quibus erat ignotus: decepit, fefellit, in fraudem induxit: pauci ista tua lutulenta vitia noueramus: pauci tarditatem ingenij, stuporem debilitatémque linguæ: nunquam erat audita vox in foro: nunquam periculum factum consilij:

consilij: nullum non modò illustre, sed ne notum quidem factum aut militiæ, aut domi. obrepsisti ad honores errore hominum; commendatione fumosarum imaginũ: quarum simile habes nihil, præter colorem. is mihi etiam gloriabitur: se omnes magistratus sine repulsa assecutum. mihi ista licet de me vera cum gloria prædicare. Omnes enim honores Populus Romanus mihi ipsi homini nouo detulit. Nam tu cum Quæstor es factus: etiam qui te nunquam viderant: tamen illum honorem nomini mandabant tuo. Aedilis es factus; Piso est a Populo Romano factus: non iste Piso. Prætura item maioribus delata est tuis, noti erant illi mortui, te viuum nõ dum nouerat quisquam; me cum Quæstorem in primis; Aedilem priorem, Prætorem primum cunctis suffragijs Populus Rom. faciebat; homini ille honorem, non generi, moribus, non maioribus meis, virtuti perspectæ, nõ auditæ nobilitati deferebat. Nam quid ego de consulatu loquar? parto vis, ánne gesto? miserum me, cum hac me peste atque labe confero; sed nihil comparandi causa loquar; ac tamen ea, quæ sunt longissimè disiuncta, comprehendam, Tu Consul es renunciatus (nihil dicam grauius quàm quod omnes fatentur) Impeditis Reip. temporibus, dissidentibus Conss. Cæsare & Bibulo, cum hoc non recusares, quin hi, a quibus dicebare Consul, te luce dignum non putarent; nisi nequior quàm Gabinius extitisses, Me cuncta Italia, me omnes ordines, me vniuersa ciuitas non prius tabella, quàm voce priorem Consulem declarauit, Sed omitto vt sit factus vterque nostrum, sit sanè fors domina campi. magnificentius est dicere, quemadmodum gesserimus consulatum, quàm quemadmodum cœperimus. Ego Calendis Ian. Senatum & bonos omnes legis Agrariæ, maximarúmque largitionum metu liberaui, ego agrum Campanum, si diuidi non oportuit, conseruaui: si oportuit, melioribus authoribus reseruaui. ego in C. Rabirio perduellionis reo X L. annis ante me Consulem interpositam Senatus authoritatem sustinui contra inuidiam, atque defendi. ego adolescentes bonos & fortes, sed vsos ea conditione fortunæ, vt si essent magistratus adepti, Reip. statum conuulsuri viderentur, meis inimicitijs nulla Senatus mala gratia comitiorum ratione priuaui. ego Antonium Collegam cupidum prouinciæ multa in Rep. molientem, patiẽtia atque obsequio meo mitigaui. ego prouinciam Galliam Senatus authoritate, exercitu, & pecunia instructam, & ornatam, quam cum Antonio communicaui, quod ita existimabam tempora Reip. ferrè: in concione deposui reclamante Populo Romano. ego L. Catilinam cædem Senatus, interitum vrbis, non obscurè, sed palàm molientem egredi ex vrbe iussi: vt a quo legibus non poteramus, mœnibus tuti esse possemus. ego tela extremo mense Consulatus mei intenta iugulis ciuitatis de coniuratorum nefarijs manibus extorsi, ego faces iam accensas ad huius vrbis incendium comprehendi: protuli: extinxi. me Q. Catulus princeps huius ordinis & author publici consilij frequentissimo Senatu Parentem Patriæ nominauit, mihi hic vir clarissimus, qui propter te sedet, L. Gellius his audientibus ciuicam coronam deberi a Rep. dixit. mihi togato Senatus, non vt multis bene gestæ, sed vt nemini, conseruatæ Reip. singulari genere supplicationis deorum immortalium templa patefecit. ego cum in cõcione abiens magistratu dicere à Tribuno Pl. prohiberer, quæ constitueram, cumque is mihi tantummodo vt iurarem, permitteret, sine vlla dubitatione iuraui, Remp. atque hanc vrbem mea vnius opera esse saluam. mihi Populus Rom. vniuersus illa in concione non vnius diei gratulationem, sed æternitatem immortalitatémque donauit: cum meum iusiurandum tale, atque tantum iuratus ipse vna voce & consensu approbauit. quo quidem tempore is meus domum fuit è foro reditus: vt nemo, nisi qui mecum esset, ciuium esse in numero videretur. Atque ita est a me Consulatus peractus: vt nihil sine consilio Senatus, nihil non approbante Populo Rom. egerim: vt semper in rostris Curiam, in Senatu populum defenderim; vt multitudinem cum principibus, Equestrem cum Senatu coniunxerim. Exposui breuiter Consulatum meum. Aude nunc ò furia de tuo dicere. cuius fuit initium ludi Compitalicij, tum primum facti post L. Lucellium, & C. Marium Conss. contra authoritatem huius ordinis: quos Q. Metellus (facio iniuriam fortissimo viro mortuo, qui illum, cuius paucos pares hæc ciuitas tulit: cum hac importuna bellua conferam) sed ille designatus Consul, cum quidam Tribunus Pl. suo auxilio magnos ludos contra Senatus consultum

tum facere iussisset: priuatus fieri vetuit: atque id, quod nondum potestate poterat: obtinuit authoritate. Tu cum in Calendas Ian. Compitaliciorum dies incidissent: Sex. Clodium, qui nunquam antea prætextatus fuisset, ludos facere, & prætextatum volitare passus es, hominem impurum, atque non modo facie sed etiam oculo tuo dignissimum. Ergo his fundamentis positis Consulatus tui, triduo post inspectante & tacente te, a P. Clodio, fatali portento, prodigióque Reipub. lex Elia & Fusia euersa est, propugnacula, murique tranquillitatis, atque ocij; collegia, non ea solùm, quæ Senatus sustulerat, restituta sunt: sed innumerabilia quædam noua ex omni fece vrbis ac seruitio concitata. ab eodem homine in stupris inauditis, nefariisque versato, vetus illa magistra pudoris & modestiæ seueritas censoria sublata est: cum tu interim bustum Reipublicæ, qui te Consulem tum Romæ dicis fuisse: verbo nunquam significaris sententiam tuam tantis in naufragiis ciuitatis. Nondum quæ feceris, sed quæ fieri passus sis, dico: neque vero multum interest, præsertim in Consule, vtrum ipse perniciosis legibus, improbis concionibus Rempub. vexet: an alios vexare patiatur. An potest vlla esse excusatio non dicam malè sentienti, sed sedenti, cunctanti, dormienti in maximo Reipub. motu Consuli? centum prope annos legem Eliam & Fusiam tenueramus: quadringentos iudicium; rationémq; Censoriã. quas leges ausus est non nemo improbus, potuit quidem nemo vnquam conuellere, quam potestatem minuere, quominus de moribus nostris quinto quoque anno iudicaretur: nemo tam effusè petulans conatus est: hæc sunt O carnifex in gremio sepulta Consulatus tui. persequere connexos his funeribus dies. pro Aurelio Tribunali ne conniuente quidem te, quod ipsum esset scelus; sed etiam hilarioribus oculis, quàm solitus eras, intuente, delectus seruorum habebatur ab eo: qui nihil sibi vnquam nec facere, nec pati turpe esse duxit: arma in templo castoris, O proditor templorum omnium, vidente te constituebantur ab eo latrone: cui templum illud fuit te Consule, arx ciuium perditorum, receptaculum veterum Catilinæ militum, castellum forensis latrocinij, bustum legum omnium, ac religionum. erat non solum domus mea, sed totum Palatium Senatu, Equitibus Romanis, ciuitate omni, Italia cuncta, refertum: cum tu non modo ad eum Ciceronem (mitto enim domestica: quæ negari possunt, hæc commemoro quæ sunt palàm) non modò inquam ad eum, cui primam comitijs tuis dederas tabulam prærogatiuæ, quem in Senatu sententiam rogabas tertium, nunquam aspirasti: sed omnibus consilijs, quæ ad me opprimendum parabantur, non interfuisti solum: verum etiam crudelissimè præfuisti. mihi vero ipsi coràm genero meo propinquo tuo, quæ dicere ausus es? egere foris esse Gabinium: sine prouincia, stare non posse: spem habere a Tribuno Pleb. si tua consilia cum illo coniunxeris: sed a Senatu quidem desperasse. huius te cupiditati obsequi: sicuti ego fecissem in Collega meo. nihil esse quod præsidium Consulum implorarem: sibi quemque consulere oportere. Atque hæc dicere vix audeo. vereor ne qui sit, qui istius insignem nequitiam frontis inuolutam integumentis nondum cernat. dicam tamen. ipse certè agnoscet, & cum aliquo dolore flagitiorum suorum recordabitur. Meministi ne cænum? cum ad te quinta ferè hora, cum C. Pisone venissem, nescio quo è gurgustio te prodire, inuoluto capite, soleatum? & cum isto ore fœtido teterrimam nobis popinam inhalasses: excusatione te vti valetudinis; quod diceres, vinolentis te quibusdam medicaminibus solere curari? quam nos causam cum accepissemus: quid enim facere poteramus? paulisper stetimus in illo ganeatum tuarum nidore, atque fumo. vnde tu nos cum improbissimè respondendo, tum turpissimè eructando eiecisti. Idem illo ferè biduo productus in concionem ab eo, cui sic æquatum præbebas consulatum tuum: cum esses interrogatus quid sentires de Consulatu meo, grauis author. Calatinus credo aliquis, aut Africanus, aut Maximus, & non Cesonius Semiplacentinus Caluentius, respondes, altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio, crudelitatem tibi non placere. hic te ille homo dignissimus, tuis laudibus collaudauit. Crudelitatis tu furcifer Senatum Consul in concione condemnas? non enim me, qui Senatui parui. nam relatio illa salutaris & diligens fuerat consulis; animaduersio quidem, & iudicium Senatus. quæ cum reprehendis,

ostendis qualis tu, si ita fortè accidisset, fueris illo tempore consul futurus. stipendio mehercule & frumento Catilinam esse putasses iuuandum. quid enim interfuit inter Catilinam, & eum, cui tu Senatus authoritatem, salutem ciuitatis, totam Rempub. prouinciæ præmio vendidisti? quæ enim L. Catilinam conantem Consul prohibui; ea P. Clodium facientem Consules adiuuerunt. voluit ille Senatum interficere: vos sustulistis; leges incendere: vos abrogastis; interire patriam; vos adiuuistis. quid est vobis Coss. gestum sine armis? incendere illa coniuratorum manus voluit vrbem: vos eius domum, quem propter vrbs incensa non est. ac ne illi quidem, si habuissent vestri similem Consulem: de vrbis incendio cogitassent; non enim se tectis priuare voluerunt: sed his stantibus, nullum domicilium sceleri suo fore putauerunt. cædem illi ciuium, vos seruitutem expetistis. hic vos etiam crudeliores. huic enim populo ita fuerat ante vos Coss. libertas insita: vt emori potiùs, quàm seruire præstaret. Illud verò geminum consilijs Catilinæ & Lentuli: quod me domo mea expulistis: Cn. Pompeium domum suam compulistis. neque enim me stante & manente in vrbis vigilia, neque resistente Cn. Pompeio omnium gentium victore, vnquam se illi Rempub. delere posse duxerunt. a me quidem etiam pœnas expetistis; quibus coniuratorum manes mortuorum expiaretis: omne odium inclusum nefarijs sensibus impiorum in me profudistis: quorum ego furori nisi cessissem, in Catilinæ busto vobis ducibus mactatus essem. Quod autem maius iudicium expectatis, nihil inter vos & Catilinam interfuisse? quàm quod eandem illam manum ex intermortuis Catilinæ reliquijs concitastis: quod omnes vndique perditos collegistis; quod in me carcerem effudistis: quod coniuratos armastis: quod eorum ferro meum corpus, atque omnium bonorum vitam obijcere voluistis. Sed iam redeo ad præclaram illam concionem tuam. Tu es ille, cui crudelitas displicet? cui, cum Senatus luctum ac dolorem suum vestis mutatione declarandum censuisset: cum videres mœrere Rempub. amplissimi ordinis luctu: O noster misericors quid facis? quod nulla in barbaria quisquam Tyrannus, omitto enim illud, consulem edicere, vt Senatus senatusconsulto ne obtemperet. quo fœdius nec fieri nec cogitari quicquam potest. ad misericordiam redeo eius: cui nimis videtur Senatus in conseruanda patria fuisse crudelis. Edicere est ausus cum illo suo pari: quem tamen omnibus vitijs superare cupiebat: vt Senatus, contra quàm ipse censuisset, ad uestitum rediret. quis hoc facit vlla in Scythia Tyrannus? vt eos, quos luctu afficeret, lugere non sineret? mœrorem relinquis; mœroris aufers insignia: eripis lachrymas non consolando, sed minando. Quod si vestem non publico consilio patres conscripti, sed priuato officio, aut misericordia mutauissent: tamen id iis non licere per interdicta crudelitatis tuæ, potestatis erat non ferendæ. cum vero id Senatus frequens censuisset; ordines reliqui iam ante fecissent: tu ex tenebricosa popina Consul extractus, cum illa Saltatrice tonsa, Senatum reipublicæ occasum atque interitum lugere vetuisti. At quærebat etiam paulo ante de me, quid suo mihi opus fuisset auxilio? cur non meis inimicis meis copijs restitissem? quasi vero non modo ego, qui multis sæpè auxilio fuissem: sed quisquam tam inops fuerit vnquam, qui isto non modo propugnatore tutiorem se, sed aduocato aut adstipulatore paratiorem fore putaret. ego istius pecudis, ac putidæ carnis consilio scilicet, aut præsidio niti volebam? ab hoc eiecto cadauere quicquam mihi aut opis, aut ornamenti expectabam? consulem ego tum requirebam, consulem inquam, non illum quidem, quem in hoc animali inuenire non possem, qui tantam Reip. causam grauitate & consilio suo tueretur, sed qui tanquam truncus atque stipes, si stetisset modo, posset sustinere tamen titulum consulatus. cum enim esset omnis causa illa mea consularis, & Senatoria: auxilio mihi opus fuerat & consulis, & Senatus. quorum alterum etiam ad perniciem meam erat a vobis consulibus conuersum, alterum Reip. penitus ereptum. Attamen si consilium exquiris meū; neque ego cessissem: & me ipsa suo cōplexu patria tenuisset, si mihi cum illo bustuario gladiatore, & tecū, & cum Collega tuo decertandum fuisset. alia enim causa præstantissimi viri Q. Metelli fuit; quem ego ciuem meo iudicio cum deorum immortalium laude coniungo, qui C. illi Mario fortissimo viro & consuli, & sextum consuli, & eius inuictis legionibus ne armis

confligeret

confligeret cædendum esse duxit. Quod mihi certamen esset huiusmodi? cum C. Mano scilicet? aut cum aliquo pari? an cum altero barbato Epicureo? cum altero Catilinæ laternario? quos neque hercule ego, neque supercilium tuum, neque Collegæ tui cymbala, ac crotalia fugi: neque tam fui timidus, vt qui maximus turbinibus, ac fluctibus Reip. nauem gubernassem, saluámque in portu collocassem, frontis tuæ nubeculam, tum collegæ tui contaminatum spiritum pertimescerem. alios ego vidi ventos: alias prospexi animo procellas: alijs impendentibus tempestatibus, non cessi: sed his vnum me pro omnium salute obtuli. itaque discessu tum meo omnes illi nefarij gladij de manibus crudelissimis exciderunt. cum quidem tu, ò vecors & amens, cum omnes boni abditi, inclusique mœrerent: templa gemerent, tecta ipsa vrbis lugerent; complexus es illud funestum animal ex nefarijs stupris, ex ciuili cruore, ex omnium scelerum importunitate, & flagitiorum impunitate cōcretum. atque eodem in templo, eodem & loci vestigio, & temporis, arbitria non mei solū, sed patriæ funeris abstulisti. Quid ego illorum dierum epulas, quid lætitiam & gratulationem tuam, quid cum tuis sordidissimis gregibus intemperatissimas perpotationes prædicem? quis te illis diebus sobrium? quis agentem aliquid, quod esset libero dignum? quis denique in publico vidit? cum collegæ tui domus cantu, & cymbalis personaret: cúmque ipse nudus in conuiuio saltaret; in quo ne tum quidem, cum illum suum saltatorium versaret orbem; fortunæ rotam pertimescebat. hic autem non tam concinnus helluo, nec tam musicus iacebat in suo græcorum fętore atque vino. quod quidem istius in illis Reip. luctibus, quasi aliquod Lapitarum aut Centaurorum conuiuium ferebatur: in quo nemo potest dicere, vtrum iste plus biberit; an vomuerit; an effuderit. Tu etiam mentionem facies Consulatus tui? aut te fuisse Romæ Consulē dicere audebis? quid? tu in lictoribus, in toga, & prætexta esse Consulatum putas? quæ ornamenta etiam in Sex. Clodio te Consule esse voluisti? huius tu Clodiani canis insignibus Consulatū declarari putas? animo Consulem esse oportet, consilio, fide, grauitate, vigilantia, cura, toto denique munere Consulatus, omni officio. ego Consulem esse putem: qui Senatum esse in Rep. non putauit? & sine eo consilio Consulem numerem? sine quo Romæ ne reges quidem esse potuerunt? Etenim illa iam omitto; cum seruorum delectus haberetur in foro; arma in templo castoris luce, & palàm comportarentur; id autem templum sublato aditu, reuulsis gradibus, a coniuratorum reliquijs, atque a Catilinæ præuaricatore quondam, tum vltore, armis teneretur, cum Equites Rom. relegarentur; viri boni lapidibus è foro pellerentur; Senatui non solùm iuuare rempublicam, sed ne lugere quidem liceret: cum ciuis is, quem hic ordo assentiente Italia, cunctisque gentibus conseruatorem patriæ iudicatat; nullo iudicio, nulla lege, nullo more, seruitio atque armis pelleretur, non dicam auxilio vestro, quod verè licet dicere; sed certè silentio; tum Romæ fuisse Consules quisquam existimabit? qui latrones igitur, si quidem vos Consules; qui prædones, qui hostes, qui proditores, qui tyranni nominabuntur? Magnum nomen est, magna species, magna dignitas, magna maiestas Consulis; non capiunt angustiæ pectoris tui, non recipit leuitas ista, non egestas animi, non infirmitas ingenij sustinet, non insolentia rerum secundarum tantam personam tam grauem tam seueram. Seplasia mehercle, vt dici audiebam; te vt primùm aspexit, Campanum Consulem repudiauit. audierat Decios, Magios, & de Taurea illo Iubelio aliquid acceperat; in quibus si moderatio illa, quæ in nostris solet esse Consulibus, non fuit; at fuit pompa, fuit species, fuit incessus, saltem Seplasia dignus, & Capua. Gabinium denique si vidissent Duumuirum vestri illi vnguentari; citiùs agnouissent. erant illi compti, capilli, & madentes cincinorum fimbriæ, & fluentes pulsatæque buccæ dignæ Capua, sed illa vetere. nam hæc quidem, quæ nunc est, splendissimorum hominum. fortissimorum virorum, optimorum ciuium, mihique amicissimorum multitudine redundat. quorum Capuæ te prætextatum nemo aspexit; qui non gemeret desiderio mei, cuius cōsilio cum vniuersam Remp. tum illā ipsam vrbem meminerant esse seruatam. me inaurata statua donarant, me patronum vnum asciuerant; a me se habere vitam, fortunas, liberos, arbitrabantur, me & præsentem contra latrocinium tuum suis decretis legatisque defenderunt; & absentem

T 3 principe

principe Cn. Pompeio referente, & de corpore Reipub. tuorum scelerum tela reuellente, reuocarunt. an tu eras Consul? cum in palatio mea domus ardebat, non casu aliquo, sed ignibus iniectis instigante te. Et quod in hac vrbe maius vnquam incendium fuit? cui nõ Consul subuenerit? At tu illo ipso tempore apud socrum tuam propè a meis ædibus, cuius domum ad meam exhauriendam patefeceras: sedebas non extinctor, sed author incendij; & ardentes faces furijs Clodianis penè ipse Consul ministrabas. An verò reliquo tempore Consulem te quisquam dixit? quisquam tibi paruit? quisquam in curiam venienti assurrexit? quisquam consulenti respondendum putauit? numerandus est ille annus denique in republica? cum obmutuisset Senatus: iudicia conticuissent; mœrerent boni: vis latrocinij vestri tota vrbe volitaret: neque ciuis vnus ex ciuitate, sed ipsa ciuitas tuo & Gabinij sceleri, furoríque cessisset. At ne tum quidem emersisti lutulente ceso ex miserrimis naturæ tuæ sordibus: cum experrecta tandem virtus clarissimi viri celeriter & verum amicum, & optimè meritum ciuem, & suum pristinum morem requisiuit: neque est ille vir passus, in ea Rep. quam ipse decorarat, atque auxerat, diutius vestrorum scelerum pestem morari; cum tamen ille, qualiscunque est, qui est ab vno te improbitate victus Gabinius, collegit ipse se vix: sed collegit tamen, & contra suum Clodium primum simulatè, deinde non libenter, ad extremum tamen pro Cn. Pompeio verè vehementérque pugnauit, quo quidem in spectaculo mira Reip. æquitas erat: vter eorum perisset, tanquam lanista, in eiusmodi pari lucrum fieri putabat; immortalem vero quæstum, si vterque cecidisset, sed ille tamen agebat aliquid: tuebatur authoritatem summi viri: erat ipse sceleratus: erat gladiator: cum scelerato tamen & cum pari gladiatore pugnabat. tu scilicet homo religiosus, & sanctus, fœdus, quod meo sanguine in pactione prouinciarum ieceras, frangere noluisti. cauerat enim sibi ille sororius adulter, vt si tibi prouinciam, si exercitum, si pecuniam ereptam ex Reip. visceribus dedisset, omnium suorum scelerum socium te, adiutorémque præberes. itaque in illo tumultu fracti fasces: ictus ipse: quotidie tela, lapides, fugæ: deprehensus denique cum ferro ad Senatum is, quem ad Cn. Pompeium interimendum collocatum fuisse constabat. Et quis audiuit non modo actionem aliquam, aut relationem, sed vocem omnino, aut querelam tuam? Consulem tum te fuisse putas? cuius in imperio, qui Remp. Senatus authoritate seruarat; idemque in Italia qui omnes omnium gentium partes tribus triumphis deuinxerat, is se in publico tuto statuit esse non posse. an tum eratis Consules? cum quacunque de re verbum facere cœperatis, aut referre ad Senatum, cunctus ordo reclamabat, ostendebátque nihil esse vos acturos: nisi priùs de me retulissetis? cum vos quanquam fœdere obstricti tenebamini; tamen cupere vos diceretis: sed lege impediri. quæ lex priuatis hominibus, esse lex non videbatur, inusta per seruos, incisa per vim, imposita per latrocinium, sublato Senatu, pulsis è foro bonis omnibus, capta Repub. contra omnes leges, nullo scripta more; hanc qui se metuere dicerent, Consules, non dicam animi hominum, sed fasti vlli ferre possunt? nam si illam legem non putabitis: quæ erat, contra omnes leges, indemnati ciuis, atque integri capitis, bonorúmque tribunitia proscriptio; hac tamen obstricti pactione tenebamini; quis vos non modo Consules, sed liberos fuisse putet? quorum mens fuerit oppressa præmio, lingua astricta mercede? sin illam vos soli legem putabatis; quisquam vos Consules tunc fuisse, aut nunc esse Consulares putet? qui eius ciuitatis, in qua in principum numero vultis esse, non leges, non instituta, non mores, non iura noritis? An cum proficiscebamini paludati in prouincias vel emptas, vel ereptas; Consules vos quisquam putauit? itaque credo, si minùs frequentia sua vestrum egressum ornando, atque celebrando, at hominibus saltem bonis, vt Consules, non tristissimis, vt hostes aut proditores persequebantur. tu ne etiam immanissimum ac fœdissimum monstrum ausus es meum discessum illum testem sceleris, & crudelitatis tuæ maledicti & contumeliæ loco ponere? quo quidem tempore cœpi P.C. fructum immortalem vestri in me & amoris & iudicij, qui non admurmuratione, sed voce, & clamore abiecti hominis, & semiuiui furorem petulantiámque fregistis. tu luctum Senatus, tu desiderium equestris ordinis, tu squalorem Italiæ, tu curiæ taciturnitatem annuam, tu silentium perpetuum iudiciorum,

ciorum, ac fori, tu cætera illa in maledicti loco pones? quæ meus discessus Reipub. vulnera inflixit? qui si calamitosissimus fuisset: tamen misericordia dignior, quàm contumelia, & cum gloria potiùs esse coniunctus, quàm cum probro putaretur; atque ille, dolor meus duntaxat, vestrum quidem scelus, ac dedecus haberetur. tum vero forsitan hoc, quod dicturus sum, mirabile auditu esse videatur; sed certè id dicam, quod sentio. Cum tantis a vobis P.C. beneficijs affectus sim, tantis honoribus; non modo illam calamitatem esse non duco; sed si quid mihi potest a Rep. esse seiunctum, quod vix potest, priuatim ad meum nomen augendum: optandam duco mihi fuisse illam, expetendámque fortunam. Atque vt tuum lętissimum diem cum tristissimo meo conferam; vtrum tandem bono viro & sapienti optabilius putas; sic exire a patria; vt omnes sui ciues salutem, incolumitatem, reditum precentur: quod mihi accidit; an quod tibi proficiscenti euenit, vt omnes execrarentur; malè precarentur: vnam tibi illam viam & perpetuam esse vellent? mihi mediusfidius in tanto omnium mortalium odio iusto præsertim & debito, quæuis fuga potius, quàm vlla prouincia esset optatior. Sed perge porro. nam si illud meum turbulentissimum tempus profectionis, tuo tranquillissimo præstat; quid conferam reliqua? quæ in te dedecoris plena fuerunt: in me dignitatis? Me Calendis Ian. qui dies post obitum occasúmque nostrum Reip. primus illuxit, frequentissimus Senatus, concursu Italiæ, referente clarissimo, atque fortissimo viro P. Lentulo, consentiente Populo Rom. atque vna voce reuocauit, me idem Senatus exteris nationibus, me legatis, magistratibúsque nostris authoritate sua consulatibus literis, non vt tu nuper dicere ausus es, orbatum patria, sed vt Senatus illo ipso tempore appellauit, ciuem conseruatorem Reip. commendauit. ad meam vnius salutem Senatus auxilium omnium ciuium cuncta ex Italia, qui Rempub. saluam esse vellent, Consulis voce & literis implorandum putauit. mei capitis seruandi causa Romam vno tempore quasi signo dato Italia tota conuenit. de mea salute P. Lentuli præstantissimi viri, atque optimi Consulis, Cn. Pompei clarissimi, atque inuictissimi ciuis, cæterorúmque principum celeberrimæ & gratissimæ conciones fuerunt. de me Senatus ita decreuit, Cn. Pompeio authore, & eius sententiæ principe: vt si quis impedisset reditum meum, in hostium numero putaretur; hisque verbis ea de me Senatus authoritas declarata est; vt nemini sit triumphus honorificentiùs, quàm mihi salus restitutióque perscripta. de me, cum omnes magistratus promulgassent, præter vnum Prætorem, a quo non fuit postulandum, fratrem inimici mei, prætérque duos de lapide emptos Tribunos plebis; legem comitijs Centuriatis tulit P. Lentulus Consul de Collegæ Q. Metelli sententia, quem mecum eadem Resp. quæ in Tribunatu eius disiunxerat, in Consulatu virtute optimi, ac iustissimi viri, sapientiáque coniunxit. Quæ lex quemadmodum accepta sit, quid me attinet dicere? ex vobis audio nemini ciui vllam, quominus adesset, satis iustam excusationem esse visam; nullis comitiis vnquam multitudinem hominum tãtam neque splendidiorem fuisse. hoc certè video, quod indicant tabulæ publicæ; vos rogatores, vos distributores, vos custodes fuisse tabularum: & quod in honoribus vestrorum propinquorum non facitis, vel ætatis excusatione, vel honoris; id in salute mea nullo rogante vos vestra sponte fecistis. confer nunc Epicure noster ex hara producte, non ex scola, cõfer, si audes, absentiam tuam, cum mea. Obtinuisti prouinciam Consularem finibus ijs, quos lex cupiditatis tuæ, non quos lex generi tui pepigerat. nam lege Cæsaris iustissima, atque optima, populi liberi, planè, & verè erant liberi: lege autem ea, quam nemo legem præter te, & Collegam tuum putauit, omnis erat tibi Achaia, Thessalia, Athenæ, cuncta Græcia addicta: habebas exercitum tantum, quantum tibi non Senatus, aut Populus Rom. dederat; sed quantum tua libido conscripserat. ærarium exhauseras. quas res gessisti in Imperio, exercitu, prouincia consulari? quas res gesserit quæro? qui vt venit statim; nondum commemoro rapinas, nondum exactas pecunias, non captas, non Imperatas, non neces sociorum, non cædem hospitum, non perfidiam, non immanitatem, non scelera prædico; mox, si videbitur, vt cum fure, vt cum sacrilego, vt cum sicario disputabo: nunc meam spoliatam fortunam conferam cum florente fortuna imperatoris. Quis vnquam prouinciam cum exercitu obtinuit? qui nullas ad

Senatum

Senatum literas miserit? tantam vero prouinciam cum tanto exercitu, Macedoniam præsertim, quæ tantis barbarorum gentibus attingitur; vt semper Macedonibus imperatoribus iidem fines prouinciæ fuerint, qui gladiorum atque pilorum. ex qua aliquot Prætorio Imperio, Consularis quidem nemo rediit, qui incolumis fuerit; qui non triumpharit. est hoc nouum: multo illud magis. appellatus est hic Vulturius illius prouinciæ (si diis placet) Imperator. ne tum quidem Paule noster tabulas Romam cum laurea mittere audebas? misi inquit. quis vnquam recitauit? quis vt recitarentur, postulauit? nihil enim mea refert, vtrum tu conscientia oppressus scelerum tuorum nihil vnquam ausus sis scribere, ad eum ordinem, quem despexeras, quem afflixeras, quem deleueras: an amici tui tabulas abdiderint, iidémque silentio suo temeritatem atque audaciam tuam condemnarint. Atque haud scio an malim te videri nullo pudore fuisse in literis mittendis: an amicos tuos plus habuisse & pudoris & consilii, quàm aut te videri pudentiorem fuisse quàm soles, aut tuũ factum non esse condemnatum iudicio amicorum. Quod si non tuis nefariis in hunc ordinem contumeliis, in perpetuum tibi Curiam præclusisses: quid tandem erat actum, aut gestum in illa prouincia: de quo ad Senatum cum gratulatione aliqua scribi abs te oporteret? vexatio Macedoniæ? an oppidorum turpis amissio? an sociorum direptio? an agrorum depopulatio? an munitio Thessalonicæ? an obsessio militaris viæ? an exercitus nostri interitus, ferro, fame, frigore, pestilentia? Tu verò qui ad Senatum nihil scripseris: vt in vrbe nequior inuentus es, quàm Gabinius; sic in prouincia paulo tamen quàm ille demissior. nam ille gurges atque helluo natus abdomini suo, non laudi, atque gloriæ, cum Equites Rom. in prouincia, cum publicanos nobiscum & voluntate, & dignitate coniunctos, omnes fortunis, multos fama, vitáque priuasset: cum egisset aliud nihil in illo exercitu; nisi vt vrbes depopularetur: agros vastaret: exhauriret domos: ausus est, quid enim ille non auderet? a Senatu supplicationem per literas postulare. O dii immortales, tu ne etiam, atque adeo vos geminæ voragines, scopulíque Reip. vos meam fortunam deprimitis? vestram extollitis? cum de me ea senatus consulta absente facta sint: eæ conciones habitæ: is motus fuerit municipiorum & coloniarum omnium: ea decreta publicanorum: ea collegiorum; ea denique generum, ordinúmque omnium: quæ ego nõ modo optare nunquam auderem; sed cogitare non possem: vos autem sempiternas fœdissimæ turpitudinis notas subieritis. An ego, si te & Gabinium cruci suffixos viderem, maiore afficerer lætitia ex corporis vestri laceratione, quàm afficior ex infamia? nullum est supplicium putandum, quo affici casu aliquo etiam boni viri fortésque possunt. Atque hoc quidem etiam isti tui dicunt voluptarii græci: quos vtinam ita audites, vt erant audiendi: nunquam te in tot flagitia ingurgitasses. verum audis in præsepibus: audis in stupris: audis in cibo, & vino. sed dicunt ipsi, qui mala dolore, bona voluptate definiunt. Sapientem, etiam si in Phalaridis tauro inclusus, succensis ignibus torreatur, dicturum tamen, suaue illud esse: se séque ne tantulum quidem commoueri. tantam virtutis esse vim voluerunt; vt non posset vnquam esse vir bonus, non beatus. quæ est igitur pœna? quod supplicium? id mea sententia: quod accidere nemini potest, nisi nocenti: suscepta fraus, impedita & oppressa mens conscientia, bonorum omnium odium, nota iusti Senatus, amissio dignitatis. nec mihi ille, M. Regulus, quem Carthaginenses resectis palpebris, illigatum in machina, vigilando necauerunt, supplicio videtur affectus: nec C. Marius, quem Italia seruata ab illo, demersum in Minturnensium paludibus, Africa deuicta ab eodem, expulsum & naufragum vidit. fortunæ enim ista tela sunt, non culpæ. supplicium autem est pœna peccati. neque vero ego si vnquam vobis mala precarer, quod sæpè feci; in quo dii immortales meas preces audiuerunt; morbum, aut mortem, aut cruciatum precarer. thyestea ista execratio est, poëtæ vulgi animos non sapientum mouentis. vt tu naufragio expulsus vspiam saxis fixus asperis euisceratus latere penderes (vt ait ille) saxa spargens tabo sanie sanguine atro. Non ferrem omnino moleste: si ita accidisset; sed id tamen esset humanum. M. Marcellus, qui ter Consul fuit; summa virtute, pietate, gloria militari, periit in mari. qui tamen ob virtutem, gloriæ laude viuit. in fortuna quadam est illa mors, non pœna putanda. quæ est igitur pœna?

pœna? quod supplicium? quæ saxa? quæ cruces? Ecce duos duces in prouincijs Populi Rom. habere exercitus, appellari Imperatores, horum alterum sic fuisse infirmatum conscientia scelerum, & fraudum suarum: vt ex ea prouincia, quæ fuerit ex omnibus vna maximè triumphalis; nullas sit ad Senatum literas mittere ausus. ex qua prouincia modo vir omni dignitate ornatissimus L. Torquatus magnis rebus gestis me referente absens Imperator sit appellatus: vnde his paucis annis Cn. Dolobellæ, C. Curionis, M. Lucilli iustissimos triumphos vidimus, ex ea te Imperatore nuncius ad Senatum allatus est nullus. Ab altero allatæ literæ, recitatæ, relatum ad Senatum. dij immortales id ne ego optarem? vt inimicus meus, ea, qua nemo vnquam, ignominia notaretur? vt Senatus is, qui in eam iam benignitatis consuetudinem venit, vt eos, qui bene Rempub. gesserint, nouis honoribus afficiat, & numero dierum, & genere verborum, huius vnius literis nunciantibus non crederet? postulantibus denegaret? his ego rebus pascor, his delector, his perfruor, quod de vobis hic ordo opinatur, non secus ac de teterrimis hostibus, quod vos Equites Romani quod ceteri ordines, quod cuncta ciuitas odit, quod nemo bonus, nemo denique ciuis est, qui modo se ciuem esse meminerit, qui vos non oculis fugiat, auribus respuat, animo aspernetur, recordatione denique ipsa Consulatus vestri perhorrescat. Hæc ego semper de vobis expetiui, hæc optaui, hæc precatus sum. plura etiam acciderunt, quàm vellem. nam vt amitteretis exercitum, nunquam me hercule optaui. illud etiam accidit præter optatum meum, sed valde ex voluntate. mihi enim non venerat in mentem furorem & insaniam optare vobis, in quam incidistis. atqui fuit optandum. me tamen fugerat deorum immortalium has esse in impios & consceleratos pœnas certissimas constitutas. nolite enim putare P. C. vt in scena videtis, homines consceleratos impulsu deorum terreri furiarum tædis ardentibus, sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat. hæ sunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces. ego te non vecordem, non furiosum, non mente captum, non tragico illo Oreste aut Athamante dementiorem putem? qui sis ausus primum facere: nam id est caput, deinde paulo ante Torquato grauissimo, & sanctissimo viro premente confiteri, te prouinciam Macedoniam, in quam tantum exercitum transportasses, sine vlla milite reliquisse? mitto de amissa maxima parte exercitus: sit hoc infelicitatis tuæ. dimittendi vero exercitus quam potes afferre causam? quam potestatem habuisti? quam legem? quod Senatus Consultum? quod ius? quod exemplum? quid est aliud furere? nisi non cognoscere homines, non cognoscere leges, non Senatum, non ciuitatem; cruentare corpus suum? maior hæc est vitæ, famæ, salutis suæ vulneratio. si familiam tuam dimisisses, quod ad neminem nisi ad ipsum te pertineret, amici te tui constringendum putarent. præsidium tu Populi Romani, custodiam prouinciæ, iniussu populi Senatúsque dimisisses, si tuæ mentis compos fuisses? Ecce tibi alter effusa iam maxima præda, quam ex fortunis publicanorum, ex agris, vrbibúsque sociorum exhauserat: cum partim eius prædæ profundæ libidines deuorassent, partim noua quædam, & inaudita luxuries, partim etiam in illis locis, vbi omnia diripuit, emptiones, partim permutationes ad hunc thusculanum montem extruendum, cum illa eius immensa & intolerabilis ædificatio constitisset, se ipsum, fasces suos, exercitum Populi Romani, numen interdictúmque deorum immortalium, responsa sacerdotum, authoritatem Senatus, iussa populi, nomen, ac dignitatem Imperij, Regi Aegyptio vendidit. cum finis prouinciæ tantos haberet: quantos voluerat, quantos optauerat, quantos mei capitis precio periculóque emerat: his se tenere non potuit, exercitum eduxit ex Syria. qui licuit extra prouinciam? tribuit se mercenarium comitem Regi Alexandrino. quid hoc turpius? In Aegyptum venit: signa contulit cum Alexandrinis. quando hoc bellum aut hic ordo, aut populus susceperat? cœpit Alexãdriam. quid aliud expectamus a furore eius, nisi vt ad Senatum tantis de rebus gestis literas mittat? hic si mentis esset suæ, nisi pœnas patriæ, diisque immortalibus eas, quæ grauissimæ sunt, furore atque insania penderet, ausus esset, mitto exire de prouincia, educere exercitum, bellum sua sponte gerere, in regnum iniussu populi aut Senatus accedere. quæ cum plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia maiestatis,

Iulia

Iulia de pecuniis repetundis planissimè vetant. sed hæc omitto. ille si non accerrimè fureret, auderet quam prouinciam P. Lentulus amicissimus huic ordini, cum & authoritate Senatus, & sorte haberet, interposita religione sine vlla dubitatione deposuisset, eam sibi tum adsciscere; cum, etiam si religio non impediret: mos maiorum tamen, & exempla, & grauissimæ legum pœnæ vetarent. Sed quoniam fortunarum contentionem facere cœpimus, de reditu Gabinii omittamus: quem, & si sibi ipse præcidit, ego tamen os vt videam hominis expecto. tuum si placet reditum cum meo conferamus. At meus quidem is fuit; vt a Brundusio vsque Romam agmen perpetuum totius Italiæ viderem. neque enim regio fuit vlla, neque municipium, neque præfectura, aut colonia: ex qua non publicè ad me venerint gratulatum. quid dicam aduentus meos? quid effusiones hominum ex oppidis? quid concursum ex agris patrumfamilias cum coniugibus ac liberis? quid eos dies, qui quasi deorum immortalium, festi, atque solemnes sunt aduentu meo, reditúque celebrati? vnus ille dies mihi quidem immortalitatis instar fuit, quo in patriam redii, cum Senatum egressum vidi, populúmque Romanum vniuersum, cum mihi ipsa Roma propè conuulsa sedibus suis ad complectendum conseruatorem suum procedere visa est. quæ me ita accepit vt non modo omnium generum, ætatum, ordinum omnes viri, ac mulieres omnis fortunæ ac loci, sed etiam mœnia ipsa viderentur, & tecta vrbis ac templa lætari. me consequentibus diebus in ea ipsa domo, qua tu me expuleras, quã expilaras, quam incenderas, Pontifices, Consules, Patres conscripti collocauerunt, mihíque (quod ante me nemini) pecunia publica ædificandam domum censuerunt. habes reditum meum. confer nunc vicissim tuum, quando quidem amisso exercitu nihil incolume domum, præter os illud pristinum tuum retulisti. qui primum qua veneris cum laureatis tuis lictoribus quis scit? quos tu Meandros, dum omnes solitudines persequeris, quæ diuerticula, flexionésque, quæsisti? quod te municipium vidit? quis amicus inuitauit? quis hospes aspexit? nónne tibi nox erat pro die? non solitudo pro frequentia? caupona pro oppido? non ut redire ex Macedonia nobilis Imperator, sed vt mortuus infamis videretur. Romam vero ipsam, fędauit aduentus tuus: O familiæ non dicam Calphurniæ, sed Caluentiæ, neque huius vrbis, sed placentini municipii, neque paterni generis, sed Brachatæ cognationis dedecus, quemadmodum venisti? quis tibi, non dicam horum, aut ciuium cæterorum, sed tuorum legatorum obuiam venit? mecum enim tum L. Flaccus vir tua legatione indignissimus, atque iis cõsiliis, quibus mecum in Consulatu meo coniunctus fuit, ad conseruandam Rempub. dignior, mecum fuit: tum cum te quidam non longè à porta cum lictoribus errantem visum esse narrabat. scio item virum fortem in primis belli ac rei militaris peritum familiarem meum Q. Martium, quorum tu legatorum prælio Imperator appellatus eras, cum longè abfuisses: aduentu isto tuo domi fuisse ociosum. sed quid ego enumero qui tibi obuiam non venerint? qui dico venisse penè neminem: ne de officiosissima quidem natione candidatorum, cum vulgo essent & illo ipso, & multis ante diebus admoniti & rogati. togulæ lictoribus ad portam præsto fuerunt, quibus illi acceptis, sagula reiecerunt, & cateruam Imperatori suo nouam præbuerunt. sic iste tanto exercitu, tanta prouincia, triennio post Macedonicus Imperator in vrbem se intulit, vt nullius negociatoris obscurissimi reditus vnquam fuerit desertior. in quo me tamen, qui esset paratus ad se defendendum, reprehendit. cum ego Celimontana porta introisse dixissem, responsione me numinica Esquilina introisse homo promptissimus lacessiuit. quasi vero id, aut ego scire debuerim, aut vestrum quispiam audierit, aut ad rem pertineat, qua tu porta introieris, modo ne Triumphali, quæ porta Macedonicis semper consulibus ante te patuit. tu inuentus es, qui Consulari Imperio præditus ex Macedonia non triumphares. At audistis P. C. philosophi vocem. negauit se triumphi cupidum vnquã fuisse. O scelus, ô pestis, ô labes, cum extinguebas Senatum, vendebas authoritatem huius ordinis, addicebas Tribuno Pl. Consulatum tuum: Remp. euertebas, prodebas caput & salutem meam vna mercede prouinciæ, si triumphum non cupiebas, cuius tandem rei te cupiditate arsisse defendes? sæpè enim vidi, qui & mihi & cæteris cupidiores prouinciæ viderentur, triumphi nomine tegere atque velare

cupi-

cupiditatem suam. hoc modo Decimus Syllanus Consul in hoc ordine, hoc meus etiam Collega dicebat. neque enim quisquam potest exercitum cupere, apertéque petere, vt non prætexat cupiditatem triumphi. quod si te Senatus populúsq; Rom. aut non appetentem, aut etiam recusantem, bellum suscipere, exercitum ducere coëgisset, tamen erat angusti animi, atque demissi, triumphi honorem, atque dignitatem contemnere. nam vt leuitatis est inanem aucupari rumorem, & omnis vmbras etiam falsæ gloriæ consectari, sic leuis est animi, lucem, splendorémque fugientis, iustam gloriam, qui est fructus veræ virtutis honestissimus, repudiare. cum vero non modo postulante, atque cogente, sed inuito, atque oppresso Senatu, non modo nullo Populi Rom. studio, sed nullo ferente suffragium libero, prouincia tibi ista manu precium fuerit non euersæ per te, sed perditæ ciuitatis; cúmque omnium tuorum scelerum hæc pactio extiterit, vt si tu totam Rempub. nefarijs latronibus tradidisses: Macedonia tibi ob eam rem, quibus tu finibus velles redderetur, cum exhauriebas ærarium, cum orbabas Italiam iuuentute, cum mare vastissimum hyeme transibas, si triumphum contemnebas, quæ te prædo amentissime, nisi prædæ, ac rapinarum cupiditas tam cæca rapiebat? non est integrum Cn. Pompeio consilio iam vti tuo. errauit enim, non gustarat istam tuam philosophiam: ter iam homo stultus triumphauit. Crasse pudet me tui. quid est, quod confecto formidolosissimo bello, coronam illam lauream tibi tantopere decerni volueris a Senatu? P. Seruili, Q. Metelle, C. Curio, P. Africane, cur non hunc audistis tam doctum hominem, iam eruditum, priùs quàm in istum errorem induceremini? C. ipsi Pontino necessario meo iam non est integrum, religionibus enim susceptis impeditur. ò stultos Camillos, Curios, Fabritios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos; ò amentem Paulum, rusticum Marium, nullius consilij patres istorum amborum Consulum, qui triumpharunt. Sed quoniam præterita mutare non possumus, quid cessat hic homulus ex argilla & luto fictus Epicureus, dare hæc præclara præcepta sapientiæ clarissimo & summo Imperatori genero suo? fertur ille vir mihi crede gloria: flagrat, ardet cupiditate iusti & magni triumphi, non didicit eadem ista, quæ tu. mitte ad eum libellum. sed iam si ipsi coràm congredi poteris, meditare quibus verbis incensam illius cupiditatem comprimas, atque restinguas. valebis apud hominem volitantem gloriæ cupiditate vir moderatus & constans, apud indoctum eruditus, apud generum socer. dices enim, vt es homo facetus, ad persuadendum, concinnus, perfectus, politus è schola. quid est Cæsar, quod te supplicationes totiens decretæ, tot dierum, tantopere delectent? in quibus homines errore ducuntur, quas dij negligunt, qui (vt noster ille diuinus dixit Epicurus) neque propitij cuiquam esse solent, neque irati. non facies fidem scilicet cum hæc disputabis. tibi enim & esse & fuisse deos videbis iratos. vertes te ad alteram scholam: disseres de triumpho. quid tandem habet iste currus? quid vincti ante currum duces? quid simulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati in equis & tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? inania sunt ista mihi crede, delectamenta penè puerorum, captare plausus, vehi per vrbem, conspici velle. quibus ex rebus, nihil est, quod solidum tenere, nihil, quod referre ad voluptatem corporis possis. quin tu me vides, qui ex qua prouincia T. Flaminius, L. Paulus, Q. Metellus, T. Didius, innumerabiles alij, leui cupiditate commoti triumpharunt: ex ea sic redijt, vt ad portam Esquilinam Macedonicam lauream conculcarim, ipse cum hominibus quindecim malè vestitis ad portam Celimontanam sitiens peruenerim, quo in loco, mihi libertus præclaro Imperatori domum ex hac die biduo ante conduxerat, quæ vacua si non fuisset, in campo Martio mihi tabernaculum collocassem. nummus interea mihi Cæsar neglectis vehiculis triumphalibus domi manet, & manebit. rationes ad ærarium retuli continuò, sicut tua lex iubebat, neque alia vlla in re legi tuæ parui. quas rationes si cognoris; intelliges nemini plusquam mihi literas profuisse: ita enim sunt perscriptæ scitè, & literatè: vt scriba, ad ærarium qui eas retuli, perscriptis rationibus secum ipse caput sinistra manu perfricans, commurmuratus sit. Ratio quidem hercle apparet, argentum οἴχεται. Hac tu oratione non dubito, quin illum iam ascendentem in currum possis reuocare. O tenebræ, ò lutum, ò sordes, ò

paterni

paterni generis oblite, materni vix memor, ita nescio quid istuc fractum, humile, demissum, sordidum, inferius etiam est, quàm vt Mediolanensi præcone auo tuo dignum esse videatur. L. Crassus homo sapientissimus nostræ ciuitatis speculis propè scrutatus est alpes, vt vbi hostis non erat, ibi triumphi causam aliquam quæreret. eadem cupiditate vir summo ingenio præditus C. Cotta nullo certo hoste flagrauit. eorum neuter triumphauit, quod alteri illum honorem collega, alteri mors ademit. Irrisa est abs te Paulo ante M. Pisonis cupiditas triumphandi, a qua te longè dixisti abhorrere. qui etiam si minus magnum bellum gesserat, vt abs te dictum est, tamen istum honorem contemnendum non putauit. tu eruditior quàm Piso, prudentior quàm Cotta, abundantior consilio, ingenio, sapientia, quàm Crassus, ea contemnis, quæ illi idiotæ, vt tu appellas, præclara duxerunt. quod si reprehendis quod cupidi laureæ fuerint, cum bella aut parua aut nulla gessissent, tu tantis nationibus subactis, tantis rebus gestis, minimè fructum laborum tuorum, præmia periculorum, virtutis insignia contemnere debuisti. neque vero contempsisti, licet themista sapientior, si os tuum ferreũ Senatus conuicio verberare noluisti. Iam vides, quandoquidem ita mihimet fui inimicus, vt me tecum compararem, & digressum meum, & absentiam, & reditum ita longè tuo præstitisse, vt mihi illa omnia immortalem gloriam dederint, tibi sempiternam turpitudinem inflixerint. nunc etiam in hac quotidiana, assidua, vrbanáque vita splendorem tuum, gratiam, celebritatem domesticam, operam forensem, consilium, auxilium, authoritatem, sententiam Senatoriam nobis, aut verius dicam, cuiquam es infirmissimo ac desperatissimo ante laturus? age Senatus odit te, quod eum tu facere iure concedis, afflictorem, & proditorem non modo dignitatis & authoritatis, sed omnino ordinis, ac nominis sui, videre Equites Rom. non possunt, quo ex ordine vir præstantissimus L. Elius est te Consule relegatus, plebs Romana perditum cupit, in cuius tu infamiam ea, quæ per latrones, & per seruos de me egeras, contulisti, Italia cuncta execratur, cuius idem tu superbissimè decreta & preces repudiasti. fac huius odij tanti, ac vniuersi periculum si audes. instant post hominum memoriam paratissimi, magnificentissimi ludi, quales nõ modo nunquam fuerunt, sed ne quomodo fieri quidem post hac possint, possum vllo pacto suspicari. da te populo, committe ludis. sibilum metuis? vbi sunt vestræ scholæ? ne acclametur? me id quidem est curare philosophi. manus tibi ne afferantur, times. dolor enim est malum, vt disputas. existimatio, dedecus, infamia, turpitudo, verba sunt, atque ineptiæ. sed de hoc non dubito, non audebit accedere ad ludos. conuiuium publicum non dignitatis causa inibit, nisi fortè, vt cum P. Clodio hoc est comptoribus suis cœnet. sed planè animi sui causa ludos nobis idiotis relinquet. solet in disputationibus suis oculorum, & aurium delectationi abdomini voluptates anteferre. nam quod vobis iste tantummodo improbus, crudelis olim furunculus, nunc vero etiam rapax, quod sordidus, quod contumax, quod superbus, quod fallax, quod perfidiosus, quod impudens, quod audax esse videatur, nihil scitote esse luxuriosius, nihil libidinosius, nihil posterius, nihil nequius. luxuriã autem in isto nolite hanc cogitare, est enim quædam, quanquam omnis est viciosa, atque turpis, tamen ingenuo, ac libero dignior. nihil apud hunc lautum, nihil elegans, nihil exquisitum (laudabo inimicum) ne magnopere quidem quicquam præter libidines sumptuosum. toreuma nullum, maximi calices, & hi, ne contemnere suos videatur, placentini, extructa mensa non conchylijs aut piscibus, sed multa carne subrancida, serui sordidati ministrant, nonnulli etiam senes, idem coquus, idem atriensis, pistor domi nullus, nulla cella, panis & vinum a propola, atque de cupa: Græci stipati, quini in lectulis, sæpe plures; ipse solus, bibiturus quæ eodem de solio ministrentur. vbi galli cantum audiuit, auum suum reuixisse putat, mensam tolli iubet. Dicet aliquis vnde tibi hæc nota sunt? non mehercule contumeliæ causa describam quemquam, præsertim ingeniosum hominem, atque eruditum. cui generi esse ego iratus, ne si cupiam quidem, possum. Est quidam græcus, qui cum isto vixit; homo, verè vt dicam, sic enim cognoui, humanus, sed tamdiu, quamdiu cum aliis est, aut ipse secum. is cum istum adolescentem iam tum cum hac dijs irata fronte vidisset, non fugit eius amicitiam, cum esset præsertim appetitus, dedit se in consuetudinem,

ſuetudinem, ſic, vt prorſus vna viueret, nec ferè ab iſto vnquam diſcederet. non apud indoctos, ſed vt ego arbitror, in hominum eruditiſſimorum, & humaniſſimorum cętu loquor. audiſtis profectò dici, philoſophos Epicureos omnis res, quæ ſunt homini expetendæ, voluptate metiri. rectè an ſecus, nihil ad nos, aut ſi ad nos, nihil ad hoc tempus. ſed tamen lubricum genus orationis, adoleſcenti non acriter intelligenti ſæpè præceps. itaque admiſſarius iſte ſimul atque audiuit a philoſopho voluptatem tantopere laudari, nihil expiſcatus eſt, ſic ſuos ſenſus voluptarios omnis incitauit, ſic ad illius hanc orationem adhinniit, vt non magiſtrum virtutis, ſed authorem libidinis a ſe illum inuentum arbitraretur. græcus primo diſtinguere, atque diuidere illa quemadmodum dicerentur. iſte claudus (quomodo aiunt) pilam retinere, quod acceperat teſtificari, tabulas obſignare velle: Epicurum diſertum decernere: & tamen dictum opinor, ſe nullum bonum intelligere poſſe demptis corporis voluptatibus. quid multa? græcus facilis, & valde venuſtus, nimis pugnax contra Senatorem Populi Rom. eſſe noluit. eſt autem hic, de quo loquor, non philoſophia ſolum, ſed etiam literis, quod ferè cæteros Epicureos negligere dicunt, perpolitus. Poëma porrò facit ita feſtiuum, ita concinnum, ita elegans; nihil vt fieri poſſit argutius. in quo reprehendat eum licet, ſi qui volet: modo leuiter, non vt impurum, non vt improbum, non vt audacem: ſed vt græculum, vt aſſentatorem, vt poëtam. deuenit, aut potiùs incidit in iſtum eodem deceptus ſupercilio græcus, atque aduena, quo tam ſapiens, & tanta ciuitas. ſe reuocare non poterat familiaritate implicatus, & ſimul inconſtantiæ famam verebatur: rogatus, inuitatus, coactus, ita multa ad iſtum de iſto ſcripſit, vt omnes hominis libidines, omnia cœnarum genera, conuiuiorúmque, adulteria eius delicatiſſimis verſibus expreſſerit. in quibus, ſi quis velit, poſſit iſtius tanquam in ſpeculo vitam intueri, ex quibus multa a multis lecta & audita recitarē, niſi vererer, ne hoc ipſum genus orationis, quo nunc vtor, ab huius loci more abhorreret. & ſimul de ipſo, qui ſcripſit, detrahi nolo. qui ſi fuiſſet in diſcipulo comparando meliore fortuna, fortaſſe auſterior & grauior eſſe potuiſſet. ſed eum caſus in hanc conſuetudinem ſcribendi induxit philoſopho valde indignam, ſiquidem philoſophia vt fertur virtutis cōtinet, & officii, & beneuiuendi diſciplinam. quam qui profitetur, grauiſſimam mihi ſuſtinere perſonam videtur. ſed idem caſus illum ignarum quid profiteretur, cum ſe philoſophum eſſe diceret, iſtius impuriſſimæ ac intemperatiſſimæ pecudis cœno & ſordibus inquinauit, qui modo res geſtas Conſulatus mei cum laudaſſet, quæ quidem laudatio hominis turpiſſimi mihi ipſi erat penè turpis, non vlla tibi inquit inuidia nocuit, ſed verſus tui. nimis magna pœna te Conſule conſtituta eſt, ſiue malo poëtæ, ſiue libero. ſcripſiſti enim verſus. Cedant arma togæ. quid tum? hæc res tibi fluctus illos excitauit. at hoc nuſquam opinor ſcriptum fuiſſe in illo elogio, quod te Conſule in ſepulchro Reipub. inciſum eſt, velitis, iubeatis, vt, non quod M. Cicero verſum fecerit: ſed quod vindicarit. verum tamen, quoniam te non Ariſtarchum, ſed Phalarin grammaticum habemus, qui non notam apponas ad malum verſum, ſed poëtam armis perſequare: ſcire cupio quid tandem iſto in verſu reprehendas? Cedant arma togæ. tuæ dicis, inquit, togæ ſummum Imperatorem eſſe ceſſurum. quid nunc te aſine literas doceam? non opus eſt verbis, ſed fuſtibus. non dixi hanc togam, qua ſum amictus, nec arma, ſcutum, & gladium vnius Imperatoris; ſed quod pacis eſt inſigne, & ocii toga, contra autem arma tumultus atque belli, more poëtarum locutus, hoc intelligi volui; bellum, ac tumultum paci, atque ocio conceſſurum. quære ex familiari tuo Græco illo poëta, probabit genus ipſum, & agnoſcet: neque te nihil ſapere mirabitur. At in illo altero inquit hæres. concedat laurea laudi. Immo me hercule habeo tibi gratiam, hærerem enim, niſi tu me expediſſes. nam cum tu timidus ac tremens tuis ipſe furaciſſimis manibus detractam cruentis faſcibus lauream ad portam Eſquilinam abieciſti, indicaſti non modo ampliſſimæ, ſed etiam minimæ laudi lauream cōceſſiſſe. Atque iſta ratione hoc tamen intelligi ſcelerate vis: Pompeium inimicum mihi iſto verſu eſſe factum, vt ſi verſus mihi nocuerit: ab eo, quem is verſus offenderit, videatur mihi pernicies eſſe quæſita. omitto, nihil iſtum verſum pertinuiſſe ad illum, non fuiſſe meum, quem quantum potuiſſem multis ſæpè orationibus ſcriptiſ-

que decoraſſem, hunc vno violare verſu. Sed ſit offenſus primo, nónne compenſabit cum vno verſiculo tot mea volumina laudum ſuarum? quod ſi eſt commotus, ad perniciem ne non dicam amiciſſimi, non ita de ſua laude meriti, non ita de Republica, non Conſularis, non Senatoris, non ciuis, non liberi, in hominis caput ille tam crudelis propter verſum fuiſſet? tu quidem, tu apud quos, de quo dicas intelligis? complecteris ampliſſimos viros ad tuum & Gabinij ſcelus; neque id occultè, nam paulo ante dixiſti, me cum ijs confligere, quos deſpicerem, non attingere eos, qui plus poſſent, quibus iratus eſſe deberem, quorum quidem, quis enim non intelligit quos dicas? quanquam non eſt vna cauſa omnium, tamen eſt omnium mihi probata. me Cn. Pompeius multis obſiſtentibus eius erga me ſtudio, atque amori ſemper dilexit, ſemper ſua coniunctione digniſſimum iudicauit, ſemper non modo incolumem, ſed etiam ampliſſimum, atque ornatiſſimum voluit eſſe. veſtræ fraudes, veſtrum ſcelus, veſtræ criminationes inſidiarum mearum, illius periculorum nefariæ fictæ, ſimul eorum, qui familiaritatis licentia, ſuorum improbiſſimorum ſermonum domicilium, in auribus eius impulſu veſtro collocauerunt, veſtræ cupiditates prouinciarum, effecerunt, vt ego excluderer, omnéſque qui me, qui illius gloriam, qui Rempub. ſaluam eſſe cupiebant, ſermone atque aditu prohiberentur, quibus rebus eſt perfectum, vt illi planè ſuo ſtare iudicio non liceret, cum certi homines non ſtudium eius a me alienaſſent, ſed auxilium retardaſſent. Nónne ad te L. Lentulus, qui tum erat Prætor, non Q. Sanga, non L. Torquatus pater, non M. Lucullus venit? qui omnes ad eum multíque mortales oratum in Albanum obſecratúmque venerant, ne meas fortunas deſereret cum Reip. ſalute coniunctas. quos ille ad te & ad tuum collegam remiſit, vt cauſam publicam ſuſciperetis, vt ad Senatum referretis, ſe contra armatum Tribunum Ple. ſine conſilio publico decertare nolle: Conſulibus ex S. C. Rempub. defendentibus ſe arma ſuſcepturum. Ecquid infelix recordaris, quid reſponderis? In quo illi omnes quidem, ſed Torquatus præter cæteros furebat contumacia reſponſi tui, te non eſſe tam fortem quàm ipſe Torquatus in Conſulatu fuiſſet, aut ego; nihil opus eſſe armis, nihil contentione, me poſſe iterum Rempub. ſaluare ſi ceſſiſſem, infinitam cædem fore, ſi reſtitiſſem. deinde ad extremum neque ſe, neque generum, neque Collegam ſuum, Tribuno Plebis defuturum, hic tu hoſtis ac proditor alijs me inimiciorem quàm tibi debere eſſe dicis? Ego C. Cæſarem non eadem de Repub. ſenſiſſe, quæ me, ſcio; ſed tamen, quod iam de eo, his audientibus, ſæpè dixi, me ille ſui totius Conſulatus, eorúmque honorum, quos cum proximis communicauit, ſocium eſſe voluit, detulit, inuitauit, rogauit. non ſum ego propter nimiam fortaſſe conſtantiæ cupiditatem adductus ad cauſam, non poſtulabam vt ei chariſſimus eſſem, cuius ego beneficijs quidem ſententiam meam tradidiſſem. Adducta res in certamen te Conſule putabatur, vtrum quæ ſuperiore anno ille geſſiſſet, manerent, an reſcinderentur? quid loquar plura? ſi tantum ille in me eſſe vno roboris, & virtutis putauit, vt ea, quæ ipſe geſſerat, conciderent, ſi ego reſtitiſſem, cur non ignoſcam, ſi antepoſuit ſuam ſalutem meæ? Sed præterita omitto, me vt Cn. Pompeius omnibus ſuis ſtudijs, laboribus, vitæ periculis complexus eſt: cum municipia pro me adiret, Italiæ fidem imploraret, P. Lentulo Conſuli authori ſalutis meæ frequens aſſideret; Senatui ſententiam præſtaret, in concionibus non modo ſe defenſorem ſalutis meæ, ſed etiam ſupplicem pro me profiteretur, huius voluntatis eum, quem multum poſſe intelligebat, mihi non inimicum eſſe cognorat, ſocium ſibi & adiutorem C. Cæſarem adiunxit. Iam vides me tibi non inimicum, ſed hoſtem, illis, quos deſcribis, non modo non iratum, ſed etiam amicum eſſe debere, quorum alter, id quod meminero ſemper; æquè mihi fuit amicus, ac ſibi; alter id, quod obliuiſcar aliquando: ſibi amicior quàm mihi. deinde hoc ita fit, vt viri fortes, etiam ſi ferro inter ſe com nus decertarint, tamen illud contentionis odium, ſimul cum ipſa pugna armíſque ponant. Atque me ille odiſſe nunquam potuit, ne tum quidem cum diſſidebamus. habet hoc virtus, quam tu ne de facie quidem noſti: vt viros fortes ſpecies eius, & pulchritudo etiam in hoſte poſita delectet. Equidem dicam ex animo P. C. quod ſentio, & quod vobis audientibus ſæpè iam dixi. ſi mihi nunquam amicus C. Cæſar fuiſſet, ſed ſemper iratus, ſi aſperna-

retur

retur amicitiam meam, se séque mihi implacabilem inexpiabilémque præberet, tamen ei, cum tantas res gessisset, gereretque quotidie, non amicus esse non possem, cuius ego imperio, non alpium vallum contra ascensum transgressionémque gallorum, non rheni fossam, gurgitibus illis redundantem, germanorum immanissimis gentibus obijcio, & oppono. perfecit ille, vt si montes resedissent, amnes exaruissent, non naturæ præsidio, sed victoria sua rebúsque gestis Italiam munitam haberemus. sed cum me expetat, diligat, omni laude dignum putet, tu me a tuis inimicitijs ad simultatem reuocabis? sic tuis sceleribus Reipub. præterita facta refricabis? quod quidem tu, qui bene nosses coniunctionem meam, & Cæsaris, eludebas, cum a me trementibus omnino labris, sed tamen cur tibi nomen non deferrem requirebas. quanquam, quod ad me attinet nunquam istam imminuam curam inficiando tibi, tamen est mihi considerandum, quantum illi tantis Reipub. negociis, tantóque bello impedito, ego homo amicissimus, sollicitudinis atque oneris imponam. nec despero tamen, quanquam languet iuuentus, nec perinde atque debeat, in laudis & gloriæ cupiditate versetur, fututos aliquos, qui abiectum hoc cadauer, consularibus spolijs nudare non nolint, præsertim tam afflicto, tam infirmo, tam eneruato reo, qui te ita gesseris, vt timeres, ne indignus beneficio videreris, nisi eius, a quo missus eras, simillimus extitisses. An verò tu parum putas inuestigatas esse a nobis labes imperij tui, stragésque prouinciæ? quas quidem nos non vestigijs odorantes ingressus tuos, sed totis volutationibus corporis, & cubilibus persecuti sumus. notata a nobis sunt & prima illa scelera in aduentu, cum accepta pecunia a dyrrhachinis ob necem hospitis tui Platoris, eius ipsius domum euertisti, cuius sanguinem addixeras, eúmque, seruis symphoniacis, & alijs muneribus acceptis, timentem & multum dubitantem confirmasti, & Thessalonicam fide tua venire iussisti. quem ne maiorum quidem more supplicio affecisti, cum miser ille securibus hospitis sui ceruices subijcere gestiret, sed ei medico, quem tecum eduxeras, imperasti, vt venas hominis incideret. tum quidem tibi etiam accessio fuit ad necem Platoris, Pleuratus eius comes, quem necasti verberibus summa senectute confectum. Idémque tu Rabocentum bessicæ gentis principem, cum te trecentis talentis Regi Cotto vendidisses, securi percussisti, cum ille ad te legatus in castra venisset, & tibi magna præsidia & auxilia a bessis peditum equitúmque polliceretur. neque eum solum, sed etiam cæteros legatos qui simul venerant, quorum omnium capita Regi Cotto vendidisti; Denseletis, quæ natio semper obediens huic imperio, etiam in illa omnium barbarorum defectione Macedonica, C. Sextium prætorem tutata est, nefarium bellum & crudele intulisti, eísque cum fidelissimis sociis vti posses, hostibus vti acerrimis maluisti, Ita perpetuos defensores Macedoniæ, vexatores, ac perditores effecisti. vectigalia nostra perturbarunt, vrbes cœperunt: vastarunt agros, socios nostros in seruitutem adduxerunt, familias arripuerunt, pecus abegerunt, Thessalonicenses, cum oppido desperassent, munire arcem coegerunt. A te Iouis Velsuri fanum antiquissimum barbarorum, sanctissimúmque direptum est. tua scelera dij immortales in nostros milites expiauerunt. qui cum vno genere morbi affligerentur, neque se recreare quisquam posset, qui semel incidisset, dubitabat nemo, quin violati hospites, legati necati, pacati atque socij nefario bello lacessiti, fana vexata, hanc tantam efficerent vastitatem. cognoscis ex particula parua scelerum & crudelitatis tuæ genus vniuersum. quid auaritiæ, quæ criminibus infinitis implicata est, summam nunc explicem? generatim ea, quæ maximè nota sunt, dicam. nónne sestertium centies & octogies, quod, quasi vasarii nomine, in venditione mei capitis ascripseras, ex ærario tibi ad tributum Romæ in quæstu reliquisti? nónne cum CC. talenta tibi Apolloniatæ Romæ dedissent, ne pecunias creditas soluerent, vltro Fufidium Equitem Rom. hominem ornatissimum, creditorem debitoribus suis addixisti? nónne hyberna cum legato, præfectóque tradidisses, euertisti miseras funditus ciuitates? quæ non solum bonis sunt exhaustæ, sed etiam nefarias libidinum contumelias turpitudinésque subierunt. qui modus tibi fuit frumenti æstimandi? qui honorarij? siquidem, potest vi & metu extortum honorarium nominari. quod cum peræquè omnes, tum acerbissimè Bœotii, & Byzantii, Cherronenses, Thessalonica sensit. vnus tu dominus, vnus æsti-

mator, vnus venditor, tota in prouincia per triennium frumenti omnis fuisti. quid ego rerum capitalum quæstiones, reorum pactiones, redemptiones, acerbissimas damnationes, libidinosissimas liberationes proferam? tantum locum aliquem cum mihi notum senseris, tecum ipse licebit quot in eo genere & quanta sint crimina recordere, quid? illam armorum officinam ecquid recordaris? cum omni totius prouinciæ pecore compulso, pellium nomine, omnem quæstum illum domesticum paternúmque renouasti? videras enim grandis iam puer bello Italico repleri quæstu vestram domum, cum pater armis faciendis tuus præfuisset. quid? vectigalem prouinciam, singulis rebus, quæcunque venirent, certo portorio imposito, seruis tuis publicanis a te factam esse meministi? quid? centuriatus palàm venditos? quid? per tuum seruulum ordines assignatos? quid? stipendium militibus per omnes annos a ciuitatibus mensis palàm propositis esse numeratum? quid illa in pontum profectio & conatus tuus? quid debilitatio, atque abiectio animi tui, macedonia Prætoria nunciata, cum tu non solum quod tibi succederetur, sed quod Gabinio non succederetur, exanguis & mortuus concidisti? quid quæstor Aedilitius reiectus præpositus? legatorum tuorum optimus abs te quisque violatus? tribuni militum non recepti? M. Bebius vir fortis interfectus iussu tuo? quid quod tu totiens diffidens, ac desperans rebus tuis, in sordibus, lamentis, luctúque iacuisti? quod populari illi sacerdoti sexcentos ad bestias amicos sociósque misisti? quid? quod cum sustentare vix posses mœrorem tuum, dolorémque decessionis: Samothraciam te primum, inde Tharsum cum tuis teneris saltatoribus, & cum Antobulo, & Athamante, & Timocle formosis fratribus contulisti? quid? cum inde te recipiens, in villa Euchadiæ, quæ fuit vxor exegisti? iacuisti mœrens aliquot dies? atque inde obsoletus Thessalonicam omnibus inscientibus noctúque venisti. qui cum concursum plorantium, ac tempestatem querelarum ferre non posses, in oppidum deuium Beroam perfugisti. quo in oppido cum tibi spe falsa, quod Q. Acharium non esse successurum putares, animos rumor inflasset, quo te modo ad tuam intemperantiam scelerate innouasti? mitto aurum coronarium, quod te diutissimè torsit, cum modo velles, modo nolles. lex enim generi tui & decerni, & te accipere vetabat, nisi decreto triumpho. in quo tu accepta tamen & deuorata pecunia Vtinachorum centum talenta euomere non poteras, vocabula tantum pecuniarum & genera mutabas. mitto diplomata tota in prouincia passim data, mitto numerum nauium, summámque prædæ, mitto rationem exacti imperatíque frumenti, mitto ereptam libertatem populis, ac singulis, qui erant affecti præmiis nominatim, quorum nihil est, quod non sit lege Iulia, ne fieri liceat, sancitum diligenter. Aetoliam, quæ procul a barbaris disiuncta gentibus in sinu pacis posita medio ferè græciæ gremio continetur: O pœna, ò furia sociorum, decedens miseram perdidisti. Affinoan Thracum, Neopactum, vt modo tu te indicasti, nobiles vrbes, atque plenas fateris ab hostibus esse captas. quibus autem hostibus? nempe his, quos tu Ambraciæ sedens, primo tuo aduentu ex oppidis Aggrinarum, atque Dolopum demigrare, & aras, & focos relinquere coegisti. hoc tu in exitu præclare imperator, cum tibi ad pristinas clades accessio fuisset Aetoliæ repentinus interitus, exercitum dimisisti, neque vllam pœnam, quæ tanto facinori deberetur, non maluisti subire, quàm numerum tuorum militum reliquiá que cognoscere. Atque vt duorum Epicureorum similitudinem in re militari imperióque videatis. Albutius cum in Sardinia triumphasset, Romæ damnatus est. hic cum similem exitum spectaret, in Macedonia Trophea posuit, eáque, quæ bellicæ laudis victoriaéque omnes gentes insignia & monumenta esse voluerunt, noster hic præposterus Imperator amissorum oppidorum, cæsarum legionum, prouinciæ præsidio & reliquis militibus orbatæ ad sempiternum dedecus sui generis & nominis indicia constituit. idémque, vt esset quod in basi tropheorum incidi, inscribíque posset: Dyrrhachium vt venit decedens, obsessus est ab iisipsis militibus, quos paulo ante Torquato respondit, beneficii causa ab se esse dimissos. quibus cum iuratus affirmasset, se, quæ deberentur, postero die persoluturum: domum se abdidit. inde nocte intempesta crepidatus veste seruili nauem conscendit. Brundusiúmque vitauit, & vltimas Adriani maris oras petiuit, cum interim Dyrrhachij milites

milites domum, in qua istum esse arbitrabantur, obsidere cœperunt, & cum latere hominem putarent, ignes circundederunt. quo metu commoti Dyrrhachini, profugisse noctu crepidatum imperatorem indicauerunt, illi autem statuam istius persimilem, quam stare celeberrimo in loco voluerat, ne suauissimi hominis memoria moreretur, deturbant, affligunt, comminuunt, dissipant. sic odium quod in ipsum attulerant, id in eius imaginem ac simulachrum profuderunt. Quæ cum ita sint, non enim dubito, quin cum hæc quæ excellunt me nosse videas, non existimes, mediam illam partem & turbam flagitiorum tuorum mihi esse inauditam, nihil est quod me hortere, nihil est quod inuites. admoneri me satis est, admonebit autem nemo alius, nisi Reip. tempus, quod mihi quidem magis videtur, quàm tu vnquam arbitratus es, appropinquare. Ecquid vides, ecquid sentis, lege iudiciaria lata, quos posthac iudices simus habituri? non æquè legetur quisquis voluerit, nec quisquis noluerit non legetur. nulli conijcientur in illum ordinem, nulli eximentur, non ambitio ad gratiam, non iniquitas ad simulationem, conijcietur. iudices iudicabunt ij, quos lex ipsa, non quos hominum libido delegerit. quod cum ita sit, mihi crede, neminem inuitus inuitabis, res ipsa & rei p. tempus aut me ipsum, quod nolim, aut aliũ quempiam, aut inuitabit, aut dehortabitur. Equidem, vt paulo ante dixi, non eadem supplicia esse in hominibus existimo, quæ fortasse plerique damnationes, expulsiones, neces. denique nullam mihi pœnam videtur habere id, quod accidere innocenti, quod forti, quod sapienti, quod bono viro, & ciui potest. damnatio ista, quæ in te flagitatur, obtigit P. Rutilio, quod specimen habuit hæc ciuitas innocentiæ. maior mihi iudicum, & Reipub. pœna illa visa est, quàm Rutilij. L. Opimius eiectus est a patria is, qui Prætor, & Consul maximis Remp. periculis liberarat. nõ in eo, cui facta est iniuria; sed in ijs, qui fecerunt, sceleris ac conscientiæ pœna remansit. at contra bis Catilina absolutus, emissus etiam ille author tuus prouinciæ, cum stuprum bonæ deæ puluinaribus intulisset. quis fuit in tanta ciuitate? qui illum incesto liberatum, non eos, qui ita iudicarunt, pari scelere astrictos arbitraretur? An ego expectem, dum de te quinque & septuaginta tabellæ diripiantur? de quo iam pridem omnes mortales omnium generum, ætatum, ordinum iudicauerunt? quis enim te aditu, quis vllo honore, quis denique communi salutatione dignum putet? omnes memoriam Consulatus tui, facta, mores, faciem denique, ac nomen a Repub. detestantur. legati qui vna fuere, alienati: Tribuni Mil. inimici: Centuriones, & si qui ex tanto exercitu reliqui milites existunt: non dimissi abs te, sed dissipati te oderunt, tibi pestem exoptant, te execrantur: Achaia exhausta; Thessalia vexata, laceratæ Athenæ: Dyrrhacchium & Apollonia exinanita: Ambracia direpta: Parthini, & Bullienses illusi, Epirus excisa, Locri, Phocij, Bœotij exusti: Acarnania, Amphilochia, Perrhebia, Athamanúmque gens vendita, Macedonia condonata barbaris: Aetolia amissa, Dolopes finitimíque montani oppidis atque agris exterminati, ciues Rom. qui in his locis negociantur, te vnum, solum, suum depeculatorem, vexatorem, prædonem, hostem, venisse senserunt. ad horum omnium iudicia tot atque tanta, domesticum iudicium accessit, sententiæ damnationis tuæ, occultus aduentus, furtiuum iter per Italiam, introitus in vrbem desertus ab amicis, nullæ ad Senatum è prouincia literæ, nulla trinis æstiuis gratulatio, nulla triumphi mentio, non modo quid gesseris, sed ne quibus in locis quidem fueris dicere audes. Ex illo fonte & seminario triumphorum, cum arida folia laureæ retulisses: cum ea abiecta ad portam reliquisti, tum tu ipse de te sententiam tulisse videris, tum indicium pronunciauisti, qui si nihil gesseras dignum honore, vbi exercitus? vbi sumptus? vbi imperium? vbi illa vberrima supplicationibus triumphísque prouincia? sin autem aliquid sperare volueras, cogitaras id, quod Imperatoris nomẽ, quod laureati fasces, quod illa trophea plena dedecoris, & risus, te commentatum esse declarant, quis te miserior? quis te damnarior? qui neque scribere ad Senatum a te bene Rempub. esse gestam, neque præsens dicere ausus es? An tu mihi, cui semper ira persuasum fuerit, non euentis sed factis cuiusque fortunam ponderari, dicere audes? neque in tabellis paucorum iudicum, sed in sententijs omnium ciuium famam nostram fortunámque pendẽre? te indemnatum videri putas? quem socij, quem fœderati, quem liberi populi,

quem

quem ſtipendiarij, quem negociatores, quem publicani, quem vniuerſa ciuitas, quem Legati, quem Tr. militares, quem reliqui milites, qui ferrum, qui famem, qui mortem effugerunt, omni cruciatu digniſſimum putant, cui non apud Senatum, non apud vllum ordinem, non apud Equites Romanos, non in vrbe, non in Italia maximorum ſcelerum venia vlla ad ignoſcendum dari poſsit: qui ſeipſum oderit: qui metuat omnis: qui ſuam cauſam nemini committere audeat: qui ſeipſum condemnet. Nunquam ego ſanguinem expetiui tuum: nunquam illud extremum quod poſſet eſſe improbis & probis commune ſupplicium, legis, ac iudicij: ſed abiectum, contemptum, deſpectum a cæteris, a te ipſo deſperatum, & relictum, circunſpectantem omnia, quicquid increpuiſſet pertimeſcentem, diffidentem tuis rebus, ſine voce, ſine libertate, ſine authoritate, ſine vlla ſpecie conſolari, horrentem, trementem, adulantem omnis videre te volui, vidi. quare ſi tibi euenerit, quod metuis ne accidat: equidem non moleſtè feram. ſin id tardiùs fortè fiet: fruar tamen tua indignitate, nec minus libenter metuentem videbo ne reus fias: quàm reum: nec minus lætabor cum te ſemper ſordidum, quàm ſi pauliſper ſordidatum viderem.

Finis totius Voluminis Sexti.

Errata ſi quæ in hac Oratione pro L. Manilia, & reliquis occurrerint Prudentiæ Lectoris emendanda relinquimus.

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V.

Omnes ſunt Terniones præter V, quæ ſunt Duerniones.

Henricus Clericus Gallus Valliscolorenſis publ. auth. corrigebat.